This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600084584Z

L. ANNAEI SENECAE

LIBRI

DE BENEFICIIS ET DE CLEMENTIA.

AD CODICEM NAZARIANUM

RECENSUIT

M. C. GERTZ

DR. PHIL. HAUNIENSIS.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA ·

BEROLINI

APUD WEIDMANNOS

MDCCCLXXVI.

294. f. 21

PRAEFATIO.

Anno 1874, cum librum, qui inscribitur „Studia critica in L. Annaei Senecae dialogos", edidissem eamque operam, quam in his scriptis emendandis posueram, hominibus doctis placuisse uiderem, consilium exsequi statui, quod iam antea ceperam, librorum Senecae de beneficiis et de clementia edendorum, quibus libris, ut par erat, iam tum multum studii tribueram. Quod consilium ut perficerem, eo maxime motus sum, quod Mauricii Hauptii V. C. beneuolentia noua codicis Nazariani conlatione, quam ex Hermae uol. III p. 151 eum habere conpereram, in hac editione adornanda uti mihi licebat. Nam ab eo Maduigius inpetrauerat, ut hanc conlationem sibi mitteret, qua ego in his libris edendis uterer. Ex hac igitur conlatione apographum confeci ita, ut usque ad lib. de benef. IV cap. 12 omnia summa, ut confido, diligentia describerem, deinde non nisi minutissimas quasque et leuissimas scripturae discrepantias, quas plane nullius momenti esse facile adparebat, omitterem; quo apographo inter edendum uti coactus sum, quoniam ipsa conlatio, cum Hauptius interea diem supremum obiisset, a Maduigio eius heredibus remissa erat.

Codicem Nazarianum s. Uaticano-Palatinum 1547 in Hauptii usum cum exemplari editionis Haasianae contulerat R. Kekulé, qui epistula Roma postrid. Id. Apr. anni 1866 ad Hauptium data his fere uerbis codicem descripsit:

„Cod. Uat.-Palat. 1547 membranaceus, in Octav, geschrieben zu Anfang des 10. oder vielleicht noch zu Ende des 9. Jahrhunderts. Er enthält nichts anderes als die 148 von mir verglichenen Blätter, welche oben rechts von neuer Hand mit Bleistift mit arabischen Ziffern bezeichnet sind. Die Handschrift besteht aus 18 ungleichen, zum Theil bezeichneten Quaternionen:

I: 6 Blätter; am unteren Rande von Fol. 6 B steht A
II: 8 „ „ „ „ „ „ 14 B „ B
III: 8 „ „ „ „ „ „ 22 B „ C“
(et sic ceteros quaterniones Kekulé descripsit, quam descriptionem sine damno hic omitti potuisse putaui; deinde sic pergit:)

„Die Handschrift ist im ganzen ziemlich gleichmäszig geschrieben. Es stehen gewöhnlich 29—30 Reihen auf der Seite. Besonders grosz geschrieben und weitläufig sind Fol. 47 und 48. Die erste Hand corrigirt sich selbst relativ sehr selten; sehr selten ist auch die von mir als *pr. corr.* (= primus corrector) bezeichnete gleichzeitige Hand, welche sich darauf zu beschränken scheint, dasz sie ausgelassenes nachtrug. Die ganze Handschrift ist durchcorrigirt von einer ebenfalls noch alten Hand, welche ich als *m. sec.* bezeichnet habe. Sie corrigirt namentlich orthographische Fehler, Verschreibungen u. s. w. Von ihr scheint auch der gröszere Theil der Interpunction herzurühren. Sie corrigirt auch meist falsche Worttrennung und Wortverbindung.“ [In mea editione littera N primam scriptionem primae manus signaui; idem significat N^1, nisi ubi hoc N litterae contrarium ponitur, ibi enim N^1 secundam scriptionem primae manus significat; *pr. corr.* retinui; N^2 significat manum secundam.]

„Spätere Hände sind: 1) die von mir als *m. sec.* 1 bezeichnete. Sie schreibt von Fol. 49 (lib. IV de benef. cap. 1) an sehr oft über die Nexe die dadurch bezeichneten Buchstaben, fügt mitunter Varianten bei, und von dieser Hand scheinen auch die meisten Randbemerkungen herzurühren; mitunter sind diese durch Beschneidung der Blätter theilweise weggefallen. Sie wird aus dem 13—14 sec. sein.“ [Hanc manum ego siglo N^2(?) signaui. Kekulé dicit eam interdum a *m. sec.* (N^2) uix discerni posse, et eiusmodi locos siglo *m. sec.* (?) notauit; sed cum addat se eo inclinare, ut his locis, ubi dubitatio oritur, semper *m. sec.* 1 (N^2(?)) uersatam esse credat, ego ubique N^2(?) posui aut N^2(?) *ut uid.*, praesertim cum in rebus fere nullius momenti hanc dubitationem oriri uiderem. Hanc manum interdum satis prudenter locos conruptos conrexisse in „Adnotatione critica“ ad lib. de benef. IV, 16, 2 dixi; sed solo ingenio, non codice aliquo meliore, in conrigendo hunc hominem usum esse inde conligo, quod non raro

falsas scripturas intulit; cfr. nostrae editionis p. 6, 19; 10, 25; 15, 12 et 25 et 30; 16, 9; 23, 12; 25, 16; 37, 5; 60, 23—24; 64, 13; 70, 7. Adnotationes marginales, quas Kekulé hic illic, ubi *legi* potuerant, enotauerat, consulto omnes omisi, cum ad uerba Senecae emendanda non pertinerent; exempli causa hic unam adiciam, quae ad lib. IV cap. 11 init. adscripta est: *N | etĩ eli | gaĩ | cui be | nefi | ciũ | deĩ |*, h. e. *etiam eligatur, cui beneficium detur.*]

2) „*man. tertia* (N^3) kommt relativ selten mit einzelnen Varianten und Noten vor; ist mit *m. sec.* 1 (N^2(?)) etwa gleichzeitig. Ueber *m. sec.* 1 und *m. tert.* ist öfter Zweifel möglich.“ [Hoc ego interdum siglo N^3(?) aut N^3 *ut uid.* signaui.]

3) „*man. quarta* ist ganz spät. Sie hat die Capiteleintheilung am Rande bezeichnet und gewöhnlich das Anfangswort unterstrichen. Von derselben Hand scheint die Buchbezeichnung mit 'lib. I' u. s. w. herzurühren, welche sich auf jedem Blatte oben rechts findet. Sie wird aus 16—17 sec. sein.“ [Haec ego *nusquam* conmemoranda putaui.]

„Ueber *m. prim.* und *m. sec.* (N siue N^1 et N^2) ist selten Zweifel möglich; wo dieses der Fall ist, habe ich es mit *m. prima uidetur* ausgedrückt.“ [Ego scripsi N^1 *ut uid.*]

„Ob das Häckchen an ę für *ae* von erster oder späterer Hand herrühre, läszt sich oft eben so wenig mit Sicherheit sagen, als dieses bei Punkten, Strichen und auch einzelnen Buchstaben möglich ist. Eine der späteren Hände (*m. sec.* 1 oder *m. tert.*) setzt dieses Häckchen auch oft an falscher Stelle.“

„Auf Fol. 1 A steht (vielleicht mit *m. sec.* gleichzeitig):

Seneca de beneficiis
Et de Instituti. Artis oratorie*)
Ad AEbuṭium Liberalẽ
Sct
Mathias palat } (14. oder 15. Jahrh.)
Codex Sct Nazarij in Laurissa (nach alter Art geschrieben, aber wohl neu).“

---

*) Uerba, quae sunt: „Et de Instituti. Artis oratorie“, ducta per litteras linea deleta sunt; sed notandum est etiam in subscriptionibus trium primorum librorum mirum hunc et falsum titulum adparere, qui unde oriri potuerit nescio.

Hoc igitur modo Kekulé codicem Nazarianum descripsit. Hunc librum olim adhibuerat Gruterus, sed nec ipse satis diligenter aut plene eius scripturas indicauerat, nec Fickertus semper ea, quae Gruterus ex eo adtulerat, in commentarium suum diligenter rettulit, ut usque ad hoc tempus satis certa et plena eius notitia destitueremur. Maxime quod ad uerborum ordinem adtinet multa Gruterus neglexerat, interdum etiam quae magni momenti essent, id quod intellegi poterit, si ea, quae nostrae editionis p. 113, 30—32 et 180, 8 leguntur, ut his exemplis defungar, cum iis conparaueris, quae antea edebantur; sed etiam multis locis noua codicis conlatione effectum est, ut tam in minoribus quam in maioribus rebus Senecae uerba ad meliorem formam reduci possent, cum aut simpliciter bonae codicis scripturae, quae antea ignorabantur, reciperentur, aut certius et magis perspicuum uitiorum remouendorum fundamentum acciperemus. Utriusque generis exempla in Adnotatione critica adtuli; plura facile inuenient, qui nostram editionem cum Fickerti conparare uoluerint. Ante Gruterum iam Erasmum codice Nazariano usum esse eumque „Langobardici“ aut „uetustissimi“ nomine signauisse Fickertus inde conligit, quod aliquot locis (uelut nostrae edit. p. 56, 32 et 64, 13) easdem scripturas ex Langobardico adtulit, quae in Nazariano solo, ut uidetur, reperiuntur; sed tamen aliis locis (uelut p. 131, 25) diuersae scripturae ab Erasmo adferuntur, ut dubitari possit, an parum recte Fickertus iudicauerit.

Praeter codicis Nazariani conlationem in his libris Senecae edendis nulla aliorum codicum subsidia adhibere potui. Fickertus in commentarium suum magnam scripturarum farraginem ex aliis codicibus ductarum congessit, quibus uel alii editores uel ipse usus erat; sed cum aliquot paginis perlectis facile cuiuis adpareat omnes hos codices deterioris notae esse atque aut ex ipso Nazariano aut ex codice plane gemino descriptos, utpote qui easdem lacunas (p. 1, 2; 8, 1; 10, 11 et 15; 11, 25 et saepissime alibi) eademque scripturae uitia saepe in peius deprauata (1, 13; 4, 11; 5, 8 et 12 et 13 et 22; 6, 6 et 9; 7, 8 et 23 et 28 et innumeris aliis locis) referant, interdum ita, ut N^2 auctoritatem sequantur (p. 2, 21 et 28; 3, 22; 8, 9; 10, 18 et 21; 12, 3; 15, 28), rarius uero licentius a Nazariano digrediantur nec tamen probabile quidquam

offerant (p. 4, 17: *obsequium* et *officium*; 5, 27; 19, 24; cfr. Adnot. crit. ad lib. de benef. II, 13, 1), hoc adparatu molesto et inutili commentarium meum onerare nolui, sed eos, qui haec cognoscere uoluerint, ad editionem Fickerti delegabo. Nihilo minus hic illic bonae librariorum coniecturae inter multas ineptias reperiuntur, quas, ut par erat, recepi aut saltem conmemoraui, sicubi non satis certae aut necessariae uidebantur. Littera D ea signaui, quae ex uno aut pluribus codicibus deterioribus duxi; ipsos codices singillatim nominare necessarium non putaui.

Codicis Nazariani conlatione ita usus sum, ut in Discrepantia scripturae singulis paginis subiecta per primum de beneficiis librum omnia adnotarem, in quibus codicis scriptura a contextu, quem exhibui, discederet, nisi quod minuta quaedam uitia, quae identidem occurrebant, semel aut bis notare satis habui; per ceteros libros plura praetermisi, nec tamen quidquam, quod ullius momenti esset, me abiecisse certo confido. Immo uereor, ne hoc *potius mihi* culpae detur, quod ex ingenti leuissimorum mendorum copia, qua hic codex abundat, nimis multa conmemorauerim. Praeter scripturas Nazariani et selectas codicum deteriorum, quas Fickerto debeo, coniecturas uirorum doctorum multas adtuli, quae certae aut probabiles uidebantur aut saltem dignae, quae conmemorarentur; et antiquiorum quidem enarratorum coniecturas maximam partem iam Fickertus conlegerat, sed tamen quasdam bonae notae praetermiserat, alias parum recte adnotauerat; eas uero, quae post Fickertum ab Haasio, Hauptio, C. F. W. Müllero, Maduigio, Kochio aliisque propositae erant, quam potui diligentissime ipse conlegi omnesque, nisi quae plane inprobandae uidebantur, in margine posui. Eorum uirorum nomina, quorum coniecturae saepius conmemorandae erant, his siglis notaui:

Er.	= Erasmus	*L.*	= Lipsius
Gr.	= Gronouius	*Mg.*	= Maduigius
Gt.	= Gruterus	*Mt.*	= Muretus
He.	= Haasius	*Pinc.*	= Pincianus
Hpt.	= Hauptius	*Wsbg.*	= Wesenbergius.

Denique siglo, quod est *ug.*, eas scripturas signaui, quarum in editionibus inde ab Erasmo usque ad Fickertum et Haasium uulgo positarum auctores non certo indicare poteram. In con-

textu litteris inclinatis ea signaui, quae praeter codicis fidem addidi; * significat defectum scripturae, † uerba conrupta, quorum adhuc nulla probabilis emendatio proposita est; uncos [ ] bis aut ter posui, ut uerba, quae mihi spuria uidebantur, arguerem. In Discrepantia scripturae lineola | finem uersus in codice N signaui.

Quod ad uerborum scribendorum rationem adtinet, cum librarius codicis Nazariani minime sibi constaret et tali inconstantia ualde offenderer, Haasium secutus atque etiam longius progressus certam scribendi rationem ita sequi conatus sum, ut eam uerborum formam repraesentare studerem, quam ex obscuris codicis uestigiis in archetypo fuisse suspicabar. Sed tamen nec ipse semper satis mihi constiti, et fieri potest ut quaedam legentibus parum placeant; quorum ueniam et in hac re mihi contingere uelim et si quos praeterea errores conmisi.

Restat ut grato animo eos uiros conmemorem, quorum auxilio in hac editione curanda usus sum, Maduigium dico et Wesenbergium, qui, cum extremos uitae annos Senecae librorum studio dedisset, amico et beneuolo animo omnes huius lectionis fructus mihi obtulit, denique Siesbyeum, qui non modo in plagulis conrigendis mihi adfuit sed etiam prudentissimo consilio multis locis me adiuuit et pro insigni Latinae linguae peritia multa utiliter me admonuit.

Scribebam Hauniae ipsis Kal. Octobr. anni 1876.

M. C. Gertz.

L. ANNAEI SENECAE

AD

AEBUTIUM LIBERALEM

DE BENEFICIIS

LIBER I.

Inter multos ac uarios errores temere inconsulteque uiuen- I, 1
tium nihil prope modum, uir optime Liberalis, dixerim, * quod
beneficia nec dare scimus nec accipere. Sequitur enim, ut male
conlocata male debeantur; de quibus non redditis sero querimur;
5 ista enim perierunt, cum darentur. Nec mirum est inter plurima 2
maximaque uitia nullum esse frequentius quam ingrati animi.
Id euenire ex causis pluribus uideo. Prima illa est, quod non eli-
gimus dignos, quibus tribuamus, sed nomina facturi diligenter
in patrimonium et uitam debitoris inquirimus, semina in solum
10 effetum et sterile non spargimus, beneficia sine ullo dilectu magis
proicimus quam damus. Nec facile dixerim, utrum turpius sit 3
infitiari an repetere beneficium; id enim genus huius crediti est,
ex quo tantum recipiendum sit, quantum ultro refertur; deco-
quere uero foedissimum ob hoc ipsum, quia non opus est ad
15 liberandam fidem facultatibus sed animo; reddit enim beneficium,

---

Discrepantia scripturae maxime codicis Uaticano-Palatini 1547 siue Nazariani (**N**). INCIPIT: LIB. L. ANNEI SENECE: | DE BENEFICIIS. FELICITER. (*rubr. script.*) 1 error estemere **N**[1] *corr.* **N**[2] 2 dixerim quod **N** *mance; excidisse inter* dixerim *et* quod *haec fere uerba uidentur:* quod magis societatem humanam turbet, quam; *uid. Adn.* 3 benificia **N** 4 dequib; **N** quaerimur **N** 6 ingratia nimi **N**[1] *corr.* **N**[2] 7 plurib; **N** (*et sic saepe*) 9 deuitoris **N**[1] *corr.* **N**[2] 10 dilectu **N** delectu **N**[1] 13 decoque reuero **N**[1] deqoq; reuera **N**[2]; *corr. Mt.*

4 qui debet. Sed cum sit in ipsis crimen, qui ne confessione quidem grati sunt, in nobis quoque est. Multos experimur ingratos, plures facimus, quia alias graues exprobratores exactoresque sumus, alias leues et quos paulo post muneris sui paeniteat, alias queruli et minima momenta calumniantes; gratiam omnem con- 5 rumpimus, non tantum postquam dedimus beneficia, sed dum
5 damus. Quis nostrum contentus fuit aut leuiter rogari aut semel? quis non, cum aliquid a se peti suspicatus est, frontem adduxit, uultum auertit, occupationes simulauit, longis sermonibus et de industria non inuenientibus exitum occasionem petendi abstulit 10
6 et uariis artibus necessitates properantes elusit, in angusto uero conprensus aut distulit, id est, timide negauit, aut promisit, sed difficulter, sed subductis superciliis, sed malignis et uix
7 exeuntibus uerbis? Nemo autem libenter debet, quod non accepit sed expressit. Gratus aduersus eum esse quisquam potest, qui 15 beneficium aut superbe abiecit aut iratus inpegit aut fatigatus, ut molestia careret, dedit? Errat, si quis sperat responsurum sibi,
8 quem dilatione lassauit, expectatione torsit. Eodem animo beneficium debetur, quo datur, et ideo non est neglegenter dandum — sibi enim quisque debet, quod a nesciente accepit —; ne tarde qui- 20 dem, quia, cum omni in officio magni aestimetur dantis uoluntas, qui tarde fecit, diu noluit; utique non contumeliose; nam cum ita natura conparatum sit, ut altius iniuriae quam merita descendant et illa cito defluant, has tenax memoria custodiat, quid expectat, qui offendit, dum obligat? Satis aduersus illum gratus 25
9 est, si quis beneficio eius ignoscit. Non est autem, quod tardiores faciat ad bene merendum turba ingratorum. Nam primum, ut dixi, nos illam augemus; deinde ne deos quidem inmortales ab hac tam effusa nec cess*ante benign*itate sacrilegi neglegentesque

---

1 qui debet **N** qui libenter debet *ug.* in ipsis **N** *fort.* in istis 5 corrumpimus **N** *ut alibi* 7 contemptus **N** *corr.* **N**[1] 8 suspictus **N** 9 auert& **N**[1] *corr.* **N**[2] occupationis **N**[1] *corr.* **N**[2] 11 properantes **N**[1] properantis **N**[2] 12 conprehensus (conprensus) *ug.* conpressos **N**[1] conpressus **N**[2] id est **N**[2] idē **N**[1] 13 superciriis **N**[1] *corr.* **N**[2] 14 *et* 20 accipit **N**[1] *corr.* **N**[2] 15 express& **N**[1] *corr.* **N**[2] 16 adiec& **N**[1] *corr.* **N**[2] aut molestia **N**[1] *corr.* **N**[2] 18 tors& **N**[1] *corr.* **N**[2] 19 neclegenter **N** *corr.* **N**[1] (*sic saepe*) 21 omni in officio *scripsi;* omni (in omni **N**[2]) & officio **N**[1] in omni officio *ug.* aestimetur **N**[1] aestimatur **N**[2] uolumtas **N**[1] *corr.* **N**[2] (*sic saepe*) 22 fec& **N**[1] *corr.* **N**[2] 23 ita natura **N** ita a natura *duo* **D** *et recc. edd.* discindant **N** discendant **N**[1] *corr. ug.* 24 deffluant **N**[1] *corr.* **N**[2] costodiat **N**[1] *corr.* **N**[2] 25 oblicat **N** *corr.* **N**[1] (*sic saepe*) 28 augemus **N** augeamus **N**[2] inmortalis **N**[1] *corr.* **N**[2] 29 nec cessante benignitate *L.*; necessitate **N** sagrilegi **N**[1] *corr.* **N**[2] (*sic saepe*)

eorum deterrent: utuntur natura sua et cuncta interque illa ipsos munerum suorum malos interpretes iuuant. Hos sequamur duces, quantum humana inbecillitas patitur; demus beneficia, non feneremus. Dignus est decipi, qui de recipiendo cogitauit, cum daret. „At male cessit.“ Et liberi et coniuges spem fefellerunt, tamen et educamus et ducimus, adeoque aduersus experimenta pertinaces sumus, ut bella uicti et naufragi maria repetamus. Quanto magis permanere in dandis beneficiis decet! quae si quis non dat, quia non recepit, dedit, ut reciperet, bonamque ingratorum facit causam, quibus turpe est non reddere, si licet. Quam multi indigni luce sunt! tamen dies oritur. Quam multi, quod nati sunt, queruntur! tamen natura subolem nouam gignit ipsosque, qui non fuisse mallent, esse patitur. Hoc et magni animi et boni proprium est, non fructum beneficiorum sequi sed ipsa et post malos quoque bonum quaerere. Quid magnifici erat multis prodesse, si nemo deciperet? nunc est uirtus dare beneficia non utique reditura, quorum a uiro egregio statim fructus perceptus est. Adeo quidem ista res fugare nos et pigriores ad rem pulcherrimam facere non debet, ut, si spes mihi praecidatur gratum hominem reperiendi, malim non recipere beneficia quam non dare, quia, qui non dat, uitium ingrati antecedit. Dicam quod sentio: qui beneficium non reddit, magis peccat; qui non dat, citius.

Beneficia in uulgus cum largiri institueris, II,1
Perdenda sunt multa, ut semel ponas bene.

In priore uersu utrumque reprehendas; nam nec in uulgum effundenda sunt, et nullius rei, minime beneficiorum, honesta largitio est; quibus si detraxeris iudicium, desinent esse beneficia, in aliud quodlibet incident nomen. Sequens sensus mirificus est, qui uno bene posito beneficio multorum amissorum damna solatur. Uide, oro te, ne hoc et uerius sit et magnitudini bene

1 & cuncta N¹ ad cuncta N² 3 quanto N¹ *corr.* N² domus N *corr.* N¹ feneremus N feneremur *aliquot* D 4 q̃idem recipiendo N¹ q̃ide rec. N² 5 At m. cessit *ug.* At m. cesserit N; Ut m. cesserit *coni. Koch* coniungis N¹ *corr.* N² 6 ducimus N¹ edocemus N² pertinacis N¹ *corr.* N² 8 decit N¹ *corr.* N² 9 ut receperit N¹ *corr.* N² 11 sunt N¹ sint N²(?) 13 mallen tes sepatitur N¹ *corr.* N² 15 erat . . deciperet *ug.* erat . . deceperit N erit . . deceperit *aliquot* D 17 redditura N¹ *corr.* N² aegregio N¹ *corr.* N² (*sic saepius*) 21 iugra | diantecedit N¹ ingrati | antecedit N² quo N¹ *corr.* N² 22 redd& N¹ *corr.* N² peccat qui N¹ peccat quã qui N² 26 reprihendas N¹ *corr.* N² uulgum N uulgus *ug.* 28 desinent *scripsi cum uno* D; desinunt N 29 aliut N¹ *corr.* N² (*sic plerumque*) 31 sit et *ug.* sed & N magnidudini N¹ *corr.* N² (*sic saepius*)

facientis aptius, ut illum hortemur ad danda, etiam si nullum bene positurus est. Illud enim falsum est „Perdenda sunt multa“;
3 nullum perit, quia, qui perdit, conputauerat. Beneficiorum simplex ratio est, tantum erogatur; si reddit aliquis, lucrum est, si non reddit, damnum non est. Ego illud dedi, ut darem. Nemo beneficia in calendario scribit nec auarus exactor ad horam et diem adpellat. Numquam illa uir bonus cogitat nisi admonitus a reddente; alioqui in formam crediti transeunt. Turpis fene-
4 ratio est beneficium expensum ferre. Qualiscumque priorum euentus est, perseuera in alios conferre; melius apud ingratos iacebunt, quos aut pudor aut occasio aut imitatio aliquando gratos poterit efficere. Ne cessaueris, opus tuum perage et partes boni uiri exsequere. Alium re, alium fide, alium gratia, alium
5 consilio, alium praeceptis salubribus adiuua. Officia etiam ferae sentiunt, nec ullum tam inmansuetum animal est, quod non cura mitiget et in amorem sui uertat. Leonum ora a magistris inpune tractantur, elephantorum feritatem usque in seruile obsequium demeretur cibus; adeo etiam, quae extra intellectum atque aestimationem beneficii posita sunt, adsiduitas tamen meriti pertinacis euincit. Ingratus est aduersus unum beneficium? aduersus alterum non erit; duorum oblitus est? tertio etiam in eorum, quae exciderunt, memoriam reducetur.

III, 1 Is perdit beneficia, qui cito se perdidisse credit; at qui instat et onerat priora sequentibus, etiam ex duro et inmemori pectore gratiam extundit. Non audebit aduersus multa oculos adtollere; quocumque se conuerterit memoriam suam fugiens, ibi te uideat;

---

1 facientes **N**[1] *corr.* **N**[2] 2 illut **N** (*sic fere ubique; saepe corr.* **N**[2]) 3 quia **N**[2](?) q; a **N**[1] perd& **N**[1] perdit **N**[2] *fort.* perdidit 4 aerogatur **N**[1] *corr.* **N**[2] si reddit aliquis . . . si non reddit *scripsi;* si redd& aliquid . . . si non redd& **N**; si reddit aliquid . . . si non reddit *unus* **D**; si reddet aliquis . . . si non reddet *duo* **D**; si redit aliquid . . . si non redit *coni. Er.* 6 calendario **N**[1] kalendario **N**[2](?) 7 appellat **N** (*sic aut* apellat *plerumque scribitur*); debitorem adpellat *Mt.* 8 alioqui **N**[1] alioquin **N**[2](?) crediti *ug.* crededi **N**[1] credendi **N**[2] 10 aput **N** (*sic fere ubique; saepe corr.* **N**[2]) 11 putor **N**[1] *corr.* **N**[2] (*sic multis locis*) aut imitatio **N**[3](?) aut timidatio **N**[1]; aut inuitatio *codd. Er.* 14 officia **N**; *notat Mg.;* beneficia *unus* **D** 16 ora **N**, *sed fuit* hora; *sic multis locis* h *erasum est* 17 elefantorum **N** 18 exstimationem **N**[1] existimationem **N**[3](?) 19 adsuitas **N** *corr.* **N**[1] *et* **N**[2] 20 ingratos **N**[1] *corr.* **N**[2] 21—22 tertio etiam in eorum, quae exciderunt, memoriam reducetur *scripsi;* tertium etiã i. e. que (**N**[2] quę) excitetur memoria reducetur **N**; tertium e. eorum (*uel* in eorum), quae exciderunt, memoriam reducet *ug.* 23 perdit . . credit *multi edd.* perd& . . cred& **N**[1] credit **N**[2] perdisse **N**[1] *corr.* **N**[2] 24 pectore **N**[3](?) peccatore **N**[1] 25 extondit **N**[1] *corr.* **N**[2] 26 conuerterit *aliquot* **D** conuertit **N**

beneficiis illum tuis cinge. Quorum quae uis quaeue proprietas sit, 2
dicam, si prius illa, quae ad rem non pertinent, transsilire mihi
permiseris, quare tres Gratiae, et quare sorores sint, et quare
manibus inplexis, et quare ridentes *et iuuenes* et uirgines solu-
5 taque ac perlucida ueste. Alii quidem uideri uolunt unam esse, 3
quae det beneficium, alteram, quae accipiat, tertiam, quae reddat;
alii tria beneficorum esse genera, promerentium, reddentium,
simul accipientium reddentiumque. Sed utrumlibet ex istis iudica 4
uerum: quid ista nos scientia iuuat? Quid ille consertis manibus
10 in se redeuntium chorus *sororum*? Ob hoc, quia ordo beneficii
per manus transeuntis nihilo minus ad dantem reuertitur et totius
speciem perdit, si usquam interruptus est, pulcherrimus, si co-
haeret et uices seruat. In eo est aliqua tamen maioris dignatio,
sicut promerentium. Uultus hilaris sunt, quales solent esse, qui 5
15 dant uel accipiunt beneficia. Iuuenes, quia non debet beneficio-
rum memoria senescere. Uirgines, quia incorrupta sunt et sin-
cera et omnibus sancta; in quibus nihil esse adligati decet nec
adstricti: solutis itaque tunicis utuntur; perlucidis autem, quia
beneficia conspici uolunt. Sit aliquis usque eo Graecis eman- 6
20 cipatus, ut haec dicat necessaria; nemo tamen erit, qui etiam
illud ad rem iudicet pertinere, quae nomina illis Hesiodus inpo-
suerit. Aglaien maximam natu adpellauit, mediam Euphrosynen,
tertiam Thalian. Horum nominum interpretationem, prout cui-
que uisum est, deflectit et ad rationem aliquam conatur perdu-
25 cere, cum Hesiodus puellis suis, quod uoluit, nomen inposuerit.
Itaque Homerus uni mutauit, Pasithean adpellauit et in matri- 7
monium promisit, ut scias non esse illas uirgines Uestales. In-
ueniam alium poetam, apud quem praecingantur et spissis aut

---

1 propri&etas sed N[1] *(sed & erasum) corr.* N[2] 2 que (*sic saepe aut* quę) N at rem N[1] *corr.* N[2] 3 sororis N[1] *corr.* N[2] 4 et iuuenes *addidi; om.* N; iuuenes *uel* et quare iuuenes *add. nonnulli* D uirginis N[1] *corr.* N[2] 7 trea N[1] *corr.* N[2] beneficorum *Mg.;* beneficiorum N 8 istes N[1] *corr.* N[2] 9 nos N[2] nus N[1] stientia N[1] *corr.* N[2] (*sic saepe*) 10 sororum *addidi; uid. Adn.* 12 sp&iem N pulcerrimus N[1] *corr.* N[2] (*sic saepe*) cohaeret N[2] cohęditherit N[1]; cohaesit *ug.* 13 In eo *Mg.;* Ideo N maior is N[1] maior his N[2] 14 Uultus hilaris *scripsi;* uultus hilari N 15 iuuenis N[1] *corr.* N[2] 17 alligati N (*et sic saepe*) 18 adstricti *Er. et aliquot* D adscripti N 19 gregis N 20 er& N[1] *corr.* N[2] 21 iudicit N[1] *corr.* N[2] illius N[1] *corr.* N[2] 22 Aglaien *scripsi;* Aglę (*i. e.* Aglae) N; Aglaian *uel* Aeglen *ug.* eufrosinen N 23 thaliā N interpretationū N[1] *corr.* N[2] 26 uni N[1] uni nom̄ N[2](?) 27 promisit N produxit *ug.* uirginis uestalis N[1] *corr.* N[2] 28 spissis aut Phryxianis N (*sed litterae* ry *ex corr. m. pr. sunt*); spissis auro Ph. *Mt.* („*ex codd.*")

Phryxianis prodeant. Ergo et Mercurius una stat, non quia
beneficia ratio conmendat uel oratio, sed quia pictori ita uisum
8 est. Chrysippus quoque, penes quem subtile illud acumen est
et in imam penetrans ueritatem, qui rei agendae causa loquitur
et uerbis non ultra, quam ad intellectum satis est, utitur, totum 5
librum suum his ineptiis replet, ita ut de ipso officio dandi, accipiendi, reddendi beneficii pauca admodum dicat; nec his fabulas
9 sed haec fabulis inserit. Nam praeter ista, quae Hecaton transcribit, tres Chrysippus Gratias ait Iouis et Eurynomes filias
esse, aetate autem minores quam Horas et meliuscula facie et 10
ideo Ueneri datas comites. Matris quoque nomen ad rem iudicat
pertinere: Eurynomen enim dictam, quia late patentis patrimonii
sit beneficia diuidere; tamquam matri post filias soleat nomen
10 inponi, aut poetae uera nomina reddant. Quemadmodum nomenclatori memoriae loco audacia est et, cuicumque nomen non 15
potest reddere, inponit, ita poetae non putant ad rem pertinere
uerum dicere, sed aut necessitate coacti aut decore conrupti id
quemque uocari iubent, quod belle facit ad uersum. Nec illis
fraudi est, si aliud in censum detulerunt; proximus enim poeta
suum illas ferre nomen iubet. Hoc ut scias ita esse, ecce Thalia, 20
de qua cum maxime agitur, apud Hesiodum Charis est, apud Homerum Musa.

IV, 1 Sed ne faciam, quod reprehendo, omnia ista, quae ita extra
rem sunt, ut ne circa rem quidem sint, relinquam. Tu modo nos
tuere, si quis mihi obiciet, quod Chrysippum in ordinem coe- 25
gerim, magnum mehercules uirum, sed tamen Graecum, cuius
acumen nimis tenue retunditur et in se saepe replicatur; etiam
2 cum agere aliquid uidetur, pungit, non perforat. Hic uero quod
acumen est? De beneficiis dicendum est et ordinanda res, quae
maxime societatem humanam adligat; danda lex uitae, ne sub 30

---

3 chrisippus (*sic plerumque*) **N** suptile **N** 4 agende **N**[1] *corr.* **N**[2] 6—7 de ipso officio .. reddendi beneficii *scripsi;* d. i. beneficio ..r. b. **N** 8 preter **N**[1] pręter **N**[2] (*et haec uirgula multis locis, interdum autem parum recte, addita est m. s.*) quę hęcaton **N** 9 eorinomes **N**[1] eurinomes **N**[2](?); *ead. m.* euriones *in marg. adser.* 10 Horas et *scripsi;* horas sed **N** faciae **N**[1] *corr.* **N**[2] 11 dadas **N**[1] *corr.* **N**[2] nom̃ **N** 12 eorinomen **N**[1] eurionē **N**[2](?) enim **N** *sed* im *ex corr.* **N**[2] patrimonii *unus* **D** *et Er.* matrimonii **N** 13 sit **N**[2] sed **N**[1] 14 poete **N** 16 imponi **N**[1] *corr.* **N**[2] 18 quod uelle fecit **N**[1] *corr.* **N**[2] 19 si aliud *Mg.;* si aliquid **N**; si aliud quid *ug.* in censum **N**[1] in sensum **N**[2](?) 20 suum **N**[2] sum **N**[1] 24 ne circa *scripsi;* nec circa **N** 25 chrysippus **N**[1] *corr.* **N**[2] 26 mehercules **N** (*ut semper*) *sed* s *eras.* tam̃ **N** gregus **N**[1] *corr.* **N**[2] 28 Hic **N** Hoc *ug.* 29 dicend̃ **N**[1] dicendū **N**[2] 30 sociaetatem **N**[1] *corr.* **N**[2] uite **N**

specie benignitatis inconsulta facilitas placeat, nec liberalitatem,
quam nec deesse oportet nec superfluere, haec ipsa obseruatio
restringat, dum temperat; docendi sunt *libenter dare,* libenter ac- 3
cipere, libenter reddere et magnum ipsis certamen proponere,
5 eos, quibus obligati sunt, re animoque non tantum aequare sed
uincere, quia, qui referre gratiam debet, numquam consequitur,
nisi praecessit; hi docendi sunt nihil inputare, illi plus debere.
Ad hanc honestissimam contentionem beneficiis beneficia uincendi 4
sic nos adhortatur Chrysippus, ut dicat uerendum esse, ne, quia
10 Charites Iovis filiae sunt, parum se grate gerere sacrilegium sit,
et tam bellis puellis fiat iniuria. Tu me aliquid eorum doce, per 5
quae beneficentior gratiorque aduersus bene merentes fiam, per
quae obligantium obligatorumque animi certent, ut, qui prae-
stiterunt, obliuiscantur, pertinax sit memoria debentium. Istae
15 uero ineptiae poetis relinquantur, quibus aures oblectare propo-
situm est et dulcem fabulam nectere. At *qui* ingenia sanare et 6
fidem in rebus humanis retinere, memoriam officiorum incidere
animis uolunt, serio loquantur et magnis uiribus agant; nisi forte
existimas leui ac fabuloso sermone et anilibus argumentis pro-
20 *hiberi* posse rem perniciosissimam, beneficiorum nouas tabulas.

Sed quemadmodum superuacua transcurram, ita exponam V,1
necesse est hoc primum nobis esse discendum, quid accepto
beneficio debeamus. Debere enim se *ait* alius pecuniam, quam
accepit, alius consulatum, alius sacerdotium, alius prouinciam.
25 Ista autem sunt meritorum signa, non merita. Non potest bene- 2
ficium manu tangi: res animo geritur. Multum interest inter
materiam beneficii et beneficium; itaque nec aurum nec argen-
tum nec quidquam eorum, quae pro maximis accipiuntur, bene-
ficium est, sed ipsa tribuentis uoluntas. Inperiti autem id, quod
30 oculis incurrit et quod traditur possideturque, solum notant, cum

---

1 speciae N 3 libenter dare *addidi cum duobus* D 7 hi N^1 hii N^2 8 ad hęc N^1 *corr.* N^2 10 charitis lobi N^1 *corr.* N^2 sit N^2 sed N^1 14 sit N^2 sed N^1 deuentium N^1 *corr.* N^2 (*sic saepius*) 15 quib; auresublectare N^1 *corr.* N^2 16 nectere. At qui ingenia *ug.* necterreat ingenia N^1 nectere at q ingenia N^2(?) 17 incidere *Mg.;* incedere N^1 ingerere N^2(?) *et ug.* 19 annilibus N^1 *corr.* N^2 20 nobas N^1 *corr.* N^2 23 ait *add. Mg.;* dicit *uel* putat *add.* D, *alii alio loco.* alios N^1 *corr.* N^2 24 accipit N^1 *corr.* N^2 consolatum N^1 *corr.* N^2 26 tangi : res *Gr.;* tangiles N^1 tangi sed N^2 28 quicquam N *ut plerumque* quae pro maximis *Gt.;* que proximis N^1 que proximis *et in marg.* xeniis(?) N^2 que a proximis N^2(?) xeniis *adscr.* N^3 quae pro summis *L.;* quae pro eximiis *Gr.* 29 tribu&is N^1 *corr.* N^2 30 incurr& N^1 *corr.* N^2 occurrit *aliquot* D

contra illud, quod in re carum atque pretiosum *est, neglegunt.*
3 Haec, quae tenemus, quae adspicimus, in quibus cupiditas nostra haeret, caduca sunt, auferre nobis et fortuna et iniuria potest; beneficium etiam amisso eo, per quod datum est, durat; est enim
4 recte factum, quod inritum nulla uis efficit. Amicum a piratis redemi, hunc alius hostis excepit et in carcerem condidit: non beneficium sed usum beneficii mei sustulit. Ex naufragio alicui raptos uel ex incendio liberos reddidi, hos uel morbus uel aliqua fortuita iniuria eripuit: manet etiam sine illis, quod in illis da-
5 tum est. Omnia itaque, quae falsum beneficii nomen usurpant, ministeria sunt, per quae se uoluntas amica explicat. Hoc in aliis quoque rebus euenit, ut aliubi sit species rei, aliubi ipsa res.
6 Imperator aliquem torquibus, murali et ciuica donat: quid habet per se corona pretiosum? quid praetexta? quid fasces? quid tribunal et currus? Nihil horum honor est, sed honoris insigne. Sic non est beneficium id, quod sub oculos uenit, sed beneficii uestigium et nota.

VI, 1 Quid est ergo beneficium? Beneuola actio tribuens gaudium capiensque tribuendo, in id, quod facit, prona et sponte sua parata. Itaque non, quid fiat aut quid detur, refert, sed qua mente, quia beneficium non in eo, quod fit aut datur, consistit, sed in
2 ipso dantis aut facientis animo. Magnum autem esse inter ista discrimen uel ex hoc intellegas licet, quod beneficium utique bonum est, id autem, quod fit aut datur, nec bonum nec malum est. Animus est, qui parua extollit, sordida inlustrat, magna et in pretio habita dehonestat; ipsa, quae adpetuntur, neutram naturam habent, nec boni nec mali: refert, quo illa rector inpellat,
3 a quo forma rebus datur. Non est beneficium ipsum, quod numeratur aut traditur, sicut ne in uictimis quidem, licet opimae

---

1 contra illud N^1 contra sic illud N^2(?) est, neglegunt *addidi ex uno* D; est, parui pendunt *add. al.* 2 aspicimus N (*sic saepius*) 3 haerit N^1 *corr.* N^2 caduca s̃ N nob̃ N (*sic plerumque*) auferre . . potest N, *sed litterae* tes *ex corr.* N^2 *sunt; ug.* ea *uario loco add. Fort. fuit:* auferri . . possunt 4 dur& N^1 *corr.* N^2 5 effic& N^1 *corr.* N^2 6 hostes excipit N^1 *corr.* N^2 condedit N^1 *corr.* N^2 7 sustul& N^1 *corr.* N^2 8 raptus N^1 *corr.* N^2 morbos N^1 *corr.* N^2 9 in illis N^1 in illos N^2 10 nom̃ N 13 inperator N morali N^1 *corr.* N^2 militari *adscr.* N^3 14 fascis N^1 *corr.* N^2 16 uen& N^1 *corr.* N^2 19 fac& N^1 *corr.* N^2 21 consist& N^1 *corr.* N^2 22 dantes N^1 *corr.* N^2 25 sordita N^1 *corr.* N^2 (*sic saepe*) 26 habida N^1 *corr.* N^2 neutrum N^1 *corr.* N^2 27 refert N^1 inest N^3 illa rector N ille rector (*scil.* animus) *cont. Gr.* ille ea rector *Wsbg.* 28 furma N^1 *corr.* N^2 (*sic etiam alibi*) quo numeratur N^1 quod munerat N^3, *sed* munerat *currus deletum est.*

sint auroque praefulgeant, deorum est honor sed *in* recta ac pia uoluntate uenerantium. Itaque boni etiam farre ac fitilla religiosi sunt; mali rursus non effugiunt inpietatem, quamuis aras sanguine multo cruentauerint.

5 Si beneficia in rebus, non in ipsa bene faciendi uoluntate VII, 1
consisterent, eo maiora essent, quo maiora sunt, quae accipimus. Id autem falsum est; non numquam enim magis nos obligat, qui dedit parua magnifice, qui „regum aequauit opes animo", qui exiguum tribuit sed libenter, qui paupertatis suae oblitus *est,*
10 dum meam respicit, qui non uoluntatem tantum iuuandi habuit sed cupiditatem, qui accipere se putauit beneficium, cum daret, qui dedit tamquam *non* recepturus, recepit, tamquam non dedisset, qui occasionem, qua prodesset, et occupauit et quaesiuit. Contra ingrata sunt, ut dixi, licet re ac specie magna uideantur, 2
15 quae danti aut extorquentur aut excidunt, multoque gratius uenit quod facili quam quod plena manu datur. Exiguum est, quod 3
in me contulit, sed amplius non potuit; at hic quod dedit, magnum est, sed dubitauit, sed distulit, sed, cum daret, gemuit, sed superbe dedit, sed circumtulit et placere non ei, cui praestabat,
20 *uoluit*; ambitioni dedit, non mihi.

Socrati cum multa pro suis quisque facultatibus obferrent, VIII, 1
Aeschines pauper auditor: „Nihil" inquit „dignum te, quod dare tibi possim, inuenio et hoc uno modo pauperem me esse sentio. Itaque dono tibi, quod unum habeo, me ipsum. Hoc
25 munus rogo, qualecumque est, boni consulas cogitesque alios, cum multum tibi darent, plus sibi reliquisse." Cui Socrates: 2
„Quidni tu" inquit „magnum munus mihi dederis, nisi forte te paruo aestimas? Habebo itaque curae, ut te meliorem tibi reddam, quam accepi." Uicit Aeschines hoc munere Alcibiadis pa-

---

1 sed N² se N¹ in *add. He.* 2 fitilla *nonn.* D fictilla N¹ fixitilla N³(?) fritilla *coni. Pinc.* 3 impiaetatē N¹ *corr.* N² 6 essint N¹ *corr.* N³(?) 9 tribu& N¹ *corr.* N² est *add. ug.* 10 respic& N¹ *corr.* N² habu& N¹ *corr.* N² (*et sic fere per totum codicem; quare inde ab hoc loco talia commemorare omitto, nisi in dubiis locis*) 11 que acc. N¹ *corr.* N² 12 tamq. non recepturus *legitur apud Vincent. Bellou.* (*Sp. H. IX, 106*), *item in multis* D *et edd. antq.* tamquam recepturos N¹ (recepturus N²) recipit N¹ *corr.* N² 15 gradius N¹ *corr.* N² (*huius generis menda iam hinc non afferam*) 18 si dubitauit N¹ *corr.* N² 21 multa N multa multi *ug.* quisque *ug.* quicque N, *sed* c *eras.* offerrent N² offerrit N¹; *fort.* obferret 22 inquit N¹ *corr.* N² 23 unum N¹ *corr.* N² 25 consolas N¹ *corr.* N² (*sic saepius*) 26 relinquisse N¹ *corr.* N² Sograte N¹ *corr.* N² (*sic saepe*) 27 inquid N¹ *corr.* N² (*sic fere ubique*) 29 alcibiades N¹ *corr.* N²

rem diuitiis animum et omnem iuuenum opulentorum munificentiam.

IX, 1 Uides, quomodo animus inueniat liberalitatis materiam etiam inter angustias? Uidetur mihi dixisse: „Nihil egisti, fortuna, quod me pauperem esse uoluisti; expediam dignum nihilo minus huic uiro munus, et quia de tuo non possum, de meo dabo.“ Neque est, quod existimes illum uilem sibi fuisse: pretium se sui fecit. Ingeniosus adulescens inuenit, quemadmodum Socraten sibi daret. Non quanta quaeque sint, sed a quali proficis*cantur animo, respici*endum.*

2 *callidus non difficilem aditum praebuit inmodica cupientibus spesque inprobas nihil re adiuturus uerbis fouit; at peior opinio, si lingua asper, uultu grauis cum inuidia fortunam suam explicuit. Colunt enim detestanturque felicem et, si potuerint, eadem facturi odere facientem.*

3 Coniugibus alienis ne clam quidem sed aperte ludibrio habitis suas aliis permisere. Rusticus, inhumanus ac mali moris et inter matronas abominandus conuicio est, si quis coniugem suam in sella prostare uetuit et uulgo admissis inspectoribus
4 uehi perspicuam undique. Si quis nulla se amica fecit insignem nec alienae uxori annuum praestat, hunc matronae humilem et sordidae libidinis et ancillariolum uocant. Inde decentissimum sponsaliorum genus est adulterium et in consensu uiduitas caeli-
5 batusque: nemo uxorem duxit, nisi qui abduxit. Iam rapta spargere, sparsa † erat acri auaritia recolligere certant, nihil pensi habere, paupertatem alienam contemnere, suam *magis* quam

---

1 diuitis N¹ *corr.* N² 3 liueralitatis N¹ *corr.* N² (*et sic multis locis manifesto* u *et* b *permutata sunt*) 9 quanta N quanti *ug.* a quali proficiscantur animo, respiciendum *scripsi;* aquali (dentur *add. ug.*) proficiendum N (pfecta *adscr.* N²(?)). *Post haec uerba aliqua excidisse Agricola primus uidit; item infra u.* 15. 11 callidus N; *initium sententiae lacunam hausisse credo; fuit fort.* Bene audit homo diues, si callidus difficilem *ug.* difficile N 12 fouit N² fou& N¹ at peior opinio (*h. e.* fama), si *scripsi cum* D; ad (N² at) peior opino si N¹; *ug. ex Pinc. coni.* at peior, opinor, qui (*u.* si). 16 habitis N²(?) *et ug.* aditis N¹ 18 abominandus conuicio *coni. Hpt.* (*Herm. IV p. 146*); abhominanda (h *eras.*) conditio N¹ abominandae condicionis N² 19 sellã prostrare (r *eras.*) N amissis N¹ *corr.* N² 21 annuum N¹ anulum N² 22 sordite liuidinis N¹ *corr.* N² Inde decentissimum N² Inde decertissimum N¹; Inde certissimum *nonnulli* D 23 sponsariolum N¹ *corr.* N² uiduitas caelibatusque: nemo *scripsi;* uiduicae libatus quem nemo N¹ uidui caelibatus quam nemo N² uidui caelibatus nemo *ug.; uid. Adn.* 24 dux& N¹ *corr.* N²; *fort.* ducit 25 sparsa erat agri auaritia N¹ rapaci uel acri *adscr.* N²(?); *fort.* sparsa aegra et acri auaritia recollegere N¹ *corr.* N² 26 suam magis quam *scripsi;* suã quã N

ullum aliud uereri malum, pacem iniuriis perturbare, inbecilliores ui ac metu premere. Nam prouincias spoliari et numarium tribunal audita utrimque licitatione alteri addici non mirum, quoniam, quae emeris, uendere gentium ius est.

5 Sed longius nos inpetus euehit prouocante materia; itaque X,1 sic finiamus, ne in nostro saeculo culpa subsidat. Hoc maiores nostri questi sunt, hoc nos querimur, hoc posteri nostri querentur, euersos mores, regnare nequitiam, in deterius res humanas et omne nefas labi; at ista eodem stant loco stabuntque, paulum 10 dumtaxat ultro aut citro mota, ut fluctus, quos aestus accedens longius extulit, recedens interiore litorum uestigio tenuit. Nunc 2 in adulteria magis quam in alia peccabitur, abrumpetque frenos *in*pudicitia; nunc conuiuiorum uigebit furor et foedissimum patrimoniorum exitium, culina; nunc cultus corporum nimius et 15 formae cura prae se ferens animi deformitatem; nunc in petulantiam et audaciam erumpet male dispensata libertas; nunc in crudelitatem priuatam ac publicam ibitur bellorumque ciuilium insaniam, qua omne sanctum ac sacrum profanetur; habebitur aliquando ebrietati honor, et plurimum meri cepisse uirtus erit. 20 Non expectant uno loco uitia, sed mobilia et inter se dissidentia 3 tumultuantur, pellunt in uicem fuganturque; ceterum idem semper de nobis pronuntiare debebimus, malos esse nos, malos fuisse, inuitus adiciam, et futuros esse. Erunt homicidae, tyranni, fures, 4 adulteri, raptores, sacrilegi, proditores; infra omnia ista ingratus 25 est, nisi quod omnia ista ab ingrato sunt, sine quo uix ullum magnum facinus adcreuit. Hoc tu caue tamquam maximum crimen ne admittas, ignosce tamquam leuissimo, si admissum est. Haec est enim iniuriae summa: *beneficii materiam, non ipsum beneficium* perdidisti. Saluum est enim tibi ex illo, quod est 30 optimum: dedisti. Quemadmodum autem curandum est, ut in 5 eos potissimum beneficia conferamus, qui grate responsuri erunt,

---

2 numarium N[1] nummarium N[2] 3 qm̃ (*i. e.* quoniam) N 7 querimur N[1] *in ras.* 8 euersus N *corr.* N[1] 9 omne nefas N[2] omne fas N[1] labi a ut ista N 10 ultro aut citro *ug.* ultra aut citra N 11 extolit N *corr.* N[1](?) 12 peccauitur N[1] *corr.* N[2] 13 inpudicitia *scripsi cum duobus* D; puticitia N[1] pudicitia N[2] (*sic* d *pro* t *saepe scribitur et contra; plerumque* N[2] *corr.*) patrimonorum N[1] *corr.* N[2] 16 erumpit N 17 credulitatem N[1] *corr.* N[2] puplicã N (*sic fere semper*) 18 omne sc̃m N 21 item N 23 tirranni N[1] *corr.* N[2] (*sic etiam alibi aut similiter*) 25 ingrato N ingrato animo *ug.; uid. Adn.* 27 amissum N[1] *corr.* N[2] 28 summa beneficium perdedisti. Saluum est enim tibi N *mance; lacunam expleui, uid. Adn.*

ita quaedam, etiam si male de illis sperabitur, faciemus tribuemusque, non solum si iudicabimus ingratos fore, sed si sciemus fuisse. Tamquam filios alicui restituere potero magno periculo liberatos sine ullo meo: non dubitabo. Dignum etiam inpendio sanguinis mei tuebor et in partem discriminis ueniam; indignum 5 si eripere latronibus potero clamore sublato, salutarem uocem homini non pigebit emittere.

XI, 1 Sequitur, ut dicamus, quae beneficia danda sint et quemadmodum. Primum demus necessaria, deinde utilia, deinde iucunda, utique mansura. Incipiendum est autem a necessariis; aliter 10 enim ad animum peruenit, quod uitam continet, aliter, quod exornat aut instruit. Potest in eo aliquis fastidiosus esse aestimator, quo facile cariturus est, de quo dicere licet: „Recipe, non desidero; meo contentus sum.“ Interim non reddere tantum 2 libet, quod acceperis, sed abicere. Ex iis, quae necessaria sunt, 15 quaedam primum optinent locum, sine quibus non possumus uiuere, quaedam secundum, sine quibus non debemus, quaedam 3 tertium, sine quibus nolumus. Prima huius notae sunt: hostium manibus eripi et tyrannicae irae et proscriptioni et aliis periculis, quae uaria et incerta humanam uitam obsident. Quidquid horum 20 discusserimus, quo maius ac terribilius erit, hoc maiorem inibimus gratiam; subit enim cogitatio, quantis sint liberati malis, et lenocinium est muneris antecedens metus. Nec tamen ideo debemus tardius quemquam seruare, quam possumus, ut muneri 4 nostro timor inponat pondus. Proxima ab his sunt, sine quibus 25 possumus quidem uiuere, sed ut mors potior sit, tamquam libertas et pudicitia et mens bona. Post haec habebimus coniunctione ac sanguine usuque et consuetudine longa cara, ut liberos, coniuges, penates, cetera, quae usque eo animus sibi adplicuit, ut ab illis 5 quam uita diuelli grauius existimet. Subsequuntur utilia, quorum 30 uaria et lata materia est; hic erit pecunia non superfluens sed ad sanum modum habendi parata; hic erit honor et processus ad altiora tendentium; nec enim utilius quidquam est quam sibi

---

1 tribuemus | quem N¹ *corr.* N² tribuemusq: N³ 3 Tamquam ... meo : non d. N¹ Tamquam, si .. meo, non d. N²; *uid. Adn.* 9 Primum *nonn.* D *et ug.* prima N iocunda N (*sic fere semper*) 10 insipiendum N¹ *corr.* N² 11 ad animum N² quod animum N¹ 13 quod facile N *sed* d *eras.* 15 Ex iis *Wsbg.;* ex his N 16 quandam N¹ *corr.* N² optinent N (*et sic fere* p *ante* t *in compositis*) 21 terre | bilius N 23 nec tamen neç ideo N; *alterum* nec *expunct. uid. m.* 2 *et* 3 24 quemquam *ug.;* quemque N 28 usuque *ei & cons.* N 29 cetera N¹ ceteraq; N² *et ug.* 30 quam uita N¹ quam a uita N² *et ug.; uid. Adn.* Subsecuntur N (*sic saepius*) 33 utillius N

utilem fieri. Iam cetera ex abundanti ueniunt delicatos factura;
in his sequemur, ut opportunitate grata sint, ut non uulgaria,
quae[que] aut pauci habuerint aut pauci intra hanc aetatem aut
hoc modo, quae, etiam si natura pretiosa non sunt, tempore aut
5 loco fiant. Uideamus, quid oblatum maxime uoluptati futurum 6
sit, quid frequenter occursurum habenti, ut totiens nobiscum
quotiens cum illo sit; utique cauebimus, ne munera superuacua
mittamus, ut feminae aut seni arma uenatoria aut rustico libros
aut studiis ac litteris dedito retia. Aeque ex contrario circum-
10 spiciemus, ne, dum grata mittere uolumus, suum cuique morbum
exprobratura mittamus, sicut ebrioso uina et ualetudinario medi-
camenta. Maledictum enim incipit esse, non munus, in quo
uitium accipientis adgnoscitur.

Si arbitrium dandi penes nos est, praecipue mansura quae- XII,1
15 remus, ut quam minime mortale munus sit. Pauci enim sunt
tam grati, ut, quid acceperint, etiam si non uident, cogitent. *In*
ingratos quoque memoria cum ipso munere incurrit, ubi ante
oculos est et obliuisci sui non sinit sed auctorem suum ingerit
et inculcat. Eo quidem magis duratura quaeramus, quia num-
20 quam admonere debemus; ipsa res euanescentem memoriam
excitet. Libentius donabo argentum factum quam signatum; 2
libentius statuas quam uestem et quod usus breuis deterat. Apud
paucos post rem manet gratia; plures sunt, apud quos non diu-
tius in animo sunt donata quam in usu. Ego, si fieri potest, con-
25 sumi munus meum nolo; extet, haereat amico meo, conuiuat.
Nemo tam stultus est, ut monendus sit, ne cui gladiatores aut 3
uenationem iam munere edito mittat et uestimenta aestiua bruma,
hiberna solstitio. Sit in beneficio sensus communis; tempus,
locum obseruet, personas, quibus momentis, quae damus, grata
30 et ingrata sunt. Quanto acceptius est, si id damus, quod quis
non habet, quam cuius copia abundat? quod diu quaerit nec in-

---

1 cetere N¹ cętera N² 2 uto. portunitate N (*in ras. fuit* p) 3 quae[que] aut *scripsi;* queque aut N; que aut *unus* D 8 feminea ut seni N¹ *corr.* N² 9 deditor etiã N¹ *corr.* N² aeque N 11 exprofratura N¹ *corr.* N² ebriuso N¹ *corr.* N² ualetudinario N¹ ualitud. N² 14 pręcipue N² precipuae N¹ 15 sunt tam N²(?) sumus tã N¹ 16 In ingratos *scripsi;* ingratos N; ingratis *ug.* 17 incurr& N¹ *corr.* N² 18 ñ (*pro* non *multis locis est in*) N 22 dederat N 23 post rem manit N¹ post remanet N² post rem manet N³ 24 Ego N ergo *ug.* 26 ne. cui N (*in ras. fuit* c) 28 sol. | stitio N (*in ras. fuit* i) cummunis N¹ *corr.* N² (*sic saepe* u *et* o *permutantur*) 29 obseruet, personas N¹ obseruet et pers. N²; personas obs. *ug.* quibus (quib;) mom. quae damus *scripsi;* quia mom. quaedã N

4 uenit, quam quod ubique uisurus est? Munera non tam pretiosa quam rara et exquisita sint, quae etiam apud diuitem sibi locum faciant, sicut gregalia quoque poma et post paucos dies itura in fastidium delectant, si prouenere maturius. Illa quoque non erunt sine honore, quae aut nemo illis alius dedit aut nos 5 nulli alii.

XIII, 1 Alexandro Macedoni, cum uictor Orientis animos supra humana tolleret, Corinthii per legatos gratulati sunt et ciuitate illum sua donauerunt. Cum risisset hoc Alexander officii genus, *unus* ex legatis: „Nulli" inquit „ciuitatem umquam dedimus alii 10
2 quam tibi et Herculi." Libens accepit delatum honorem et legatos inuitatione aliaque humanitate prosecutus *est*: cogitauit, non qui sibi ciuitatem darent, sed cui dedissent; et homo gloriae deditus, cuius nec naturam nec modum nouerat, Herculis Liberique uestigia sequens ac ne ibi quidem resistens, ubi illa defecerant, ad 15 socium honoris sui respexit a dantibus, tamquam caelum, quod mente uanissima conplectebatur, teneret, quia Herculi aequaba-
3 tur. Quid enim illi simile habebat uesanus adulescens, cui pro uirtute erat felix temeritas? Hercules nihil sibi uicit; orbem terrarum transiuit non concupiscendo sed uindicando, *quidquid* 20 uinceret, malorum hostis, bonorum uindex, terrarum marisque pacator; at hic a pueritia latro gentiumque uastator, tam hostium pernicies quam amicorum, qui summum bonum duceret terrori esse cunctis mortalibus, oblitus non ferocissima tantum sed ignauissima quoque animalia timeri ob malum uirus. 25

XIV, 1 Ad propositum nunc reuertamur. Beneficium qui quibuslibet dat, nulli gratum *dat*; nemo se stabularii aut cauponis hospitem iudicat nec conuiuam dantis epulum, ubi dici potest: „Quid enim in me contulit? Nempe hoc, quod et in illum uix bene notum sibi et in illum etiam inimicum ac turpissimum ho- 30

---

1 ubiq; que uisurus **N** 2 sibi locum *Mg. ex uno* **D**; sui locum **N** 4 fastidio **N**[1] *corr.* **N**[2] 7 animo **N**[1] *corr.* **N**[2] 8 corinthi **N**[1] *corr.* **N**[2] ciuitate . **N** (*in ras. fuit* m) 9 hoc alexander **N**[1] alexander hoc **N**[2] 10 unus *add.* **N**[2] *om.* **N**[1] 11 accipit dilutum honore **N**[1] *corr.* **N**[2] (a. non dilutum h. *Gt. ex Naz.*(?), *quod probat Gr. cl. ep. 29, 3*) 12 prosecutus est: cogit. *scripsi cum aliquot* **D**; prosecutus cogit. **N** *ut ug.* 15 . ac **N** (*fuit* hac, *et sic saepe*) illa de · fecerant **N** (*fuit* deffec.); illi defec. *nonn.* **D** *et edd. antq.* 18 illi simile *ug.* ille simile · (m *eras.*) **N** 20 uindicando, quidquid uinceret, malorum . . . pacator; at *Mg.;* iudicando quid uincerit malorum . . uacator at **N**[1] (uinceret *et* pacator *corr.* **N**[2]); uindicando. Quid vinceret . . pacator? at *ug.* 23 sumum **N**[1] *corr.* **N**[2] 24 ferocisima **N** 25 ob malũ uiros **N**[1] *corr.* **N**[2] 26 Beneficium qui quibuslibet dat, n. g. dat *scripsi;* Ben. qui quibuslibet dat n. g. est **N**; B., quod q. datur, n. g. e. *ug.* 27 stabularia | ut coponis **N**[1] *corr.* **N**[2]

minem. Numquid enim me dignum iudicauit? morbo suo morem
gessit.“ Quod uoles gratum esse, rarum effice: quis patitur sibi
inputari *uulgaria*? Nemo haec ita interpretetur, tamquam redu- 2
cam liberalitatem et frenis artioribus reprimam; illa uero, in
5 quantum libet, exeat, sed eat, non erret. Licet ita largiri, ut
unusquisque, etiam si cum multis accepit, in populo esse *se* non
putet. Nemo non habeat aliquam familiarem notam, per quam 3
speret se propius admissum; dicat: „Accepi idem, quod ille, sed
ultro. Accepi quod ille; sed ego intra breue tempus, cum ille
10 diu meruisset. Sunt, qui idem habeant, sed non eisdem uerbis
datum, non eadem comitate tribuentis. Ille accepit, cum rogas-
set; ego non rogaram. Ille accepit, sed facile redditurus, sed
cuius senectus et libera orbitas magna promittebat; mihi plus
dedit, quamuis idem dederit, quia sine spe recipiendi dedit.“
15 Quemadmodum meretrix ita inter multos se diuidit, ut nemo non 4
aliquod signum familiaris animi ferat, ita, qui beneficia sua ama-
bilia esse uult, excogitet, quomodo et multi obligentur et tamen
singuli habeant aliquid, quo se ceteris praeferant.

Ego uero beneficiis non obicio moras; quo plura maioraque XV,1
20 fuerint, plus adferent laudis. *At* adsit iudicium; neque enim cordi
esse cuiquam possunt forte ac temere data. Quare si quis exi- 2
stimat nos, cum ista praecipimus, benignitatis fines introrsus
referre et illi minus laxum limitem aperire, ne *ille* perperam mo-
nitiones nostras exaudit. Quam enim uirtutem magis ueneramur?
25 cui magis stimulos addimus? quibusue tam conuenit haec ad-
hortatio quam nobis, societatem generis humani sancientibus?
Quid ergo est? Cum sit nulla honesta uis animi, etiam si a recta 3
uoluntate incepit, nisi quam uirtutem modus fecit, ueto liberali-
tatem nepotari. Tunc iuuat accepisse beneficium et supinis qui-
30 dem manibus, ubi illud ratio ad dignos perducit, non quolibet

---

2—3 effice: quis .. inputari uulgaria? *ug.;* uulgaria *om.* **N**; effice, quod quis .. inputari *coni. He.* 6 esse se non putet *scripsi;* esse non potet **N**[1]; se esse non putet **N**[2] 7 habeat *ug.* habet **N** 8 prop. ius **N** (*in ras. fuit* r) item **N** 9 cum ille **N**; *fort.* ille, cum 10 &em habeant **N**[1] item hab. **N**[2](?) *ut uidetur* 11 comitare **N**[1] *corr.* *ut uid.* **N**[2](?) accipit **N**[1] *corr.* **N**[2] 12 ego non rogaram *He.; ego* non rogarem **N**[1] ego & cũ rogarem *corr. ut uid.* **N**[2](?) accipit **N**[1] *corr.* **N**[2] 15 diuid& **N**[1] *corr.* **N**[2] 17 excogitet *ug.* excogitat **N** 18 habeant **N**[2] adeant **N**[1] 20 atferent **N**[1] *corr.* **N**[2] At adsit *scripsi;* atsit **N**[1] adsit **N**[2] assit **N**[2](?) 21 quis **N**, *sed* s **N**[2] *in ras.* 23 a · perire **N** (*in ras.* c *fuisse uid.*) ille *addidi;* ne .. exaudiat **N**; ne .. exaudit *ug.* monitionis **N**[1] *corr.* **N**[2]; admonitiones *adscr.* **N**[2](?) 25 stimulus **N**[1] *corr.* **N**[2] addimus **N**[1] adicimus **N**[2](?) adortatio **N**[1] *corr.* **N**[2] 28 uirtutem mo|dus **N**[1] uirtutum motus **N**[2] 30 quo libet **N**[1] qd liber **N**[2](?)

casus et consilii indigens inpetus defert; quod ostentare libet et
4 inscribere sibi. Beneficia tu uocas, quorum auctorem fateri pudet? At illa quanto gratiora sunt quantoque in partem interiorem animi numquam exitura descendunt, quae delectant cogitantem
5 magis a quo quam quid acceperis? Crispus Passienus solebat 5
dicere quorundam se iudicium malle quam beneficium, quorundam beneficium malle quam iudicium, et subiciebat exempla: „Malo“ aiebat „diui Augusti iudicium, malo Claudii beneficium.“
6 Ego uero nullius puto expetendum esse beneficium, cuius uile iudicium est. Quid ergo? non erat accipiendum a Claudio quod 10
dabatur? Erat, sed sicut a fortuna, quam scires posse statim malam fieri. Quid ista inter se mixta diuidimus? Non est beneficium, cui deest pars optima, datum esse iudicio; alioqui pecunia ingens, si non ratione nec recta uoluntate donata est, non magis beneficium est quam thesaurus. Multa sunt autem, quae oportet 15
accipere nec debere.

---

1 defert *scripsi cum multis* D *et nonn. edd.;* de·fert N (*in ras. fuit* f) 4 exitur adescendunt N (nd *ex corr. m. pr.*) quae delect. *scripsi;* cum delect. N 8 claudi N^1 *corr.* N^2 9 puto N, *sed litterae* ut *ex corr.* N^2 uile *ug.* uite N^1 uitę N^2 uitandū N^2(?)
12 Non est N, *sed* est *ex corr.* N^2 13 alioqui N^1 alioquin N^2(?)
14 reta N^1 *corr.* N^2; *fort.* certa 15 quae oportet *ug.* queoptē N^1 que oportit *adscr.* N^3; *fort.* quae optes.

L. ANNAEI · SENICĘ | INSTITVTIONIS · ORATORIAE (*supra scr. m. sec.:* DE BENEFICIIS) | LIBER. I. EXPLICIT : INCIPIT. | LIB. II. FELICITER. (*Haec rubr. scrib.*)

L. ANNAEI SENECAE

AD

AEBUTIUM LIBERALEM

DE BENEFICIIS

LIBER II.

Inspiciamus, Liberalis uirorum optime, id quod ex priori I, 1
parte adhuc superest, quemadmodum dandum sit beneficium;
cuius rei expeditissimam uideor monstraturus uiam: sic demus,
quomodo uellemus accipere. Ante omnia libenter, cito, sine ulla 2
5 dubitatione; ingratum est beneficium, quod diu inter manus dan-
tis haesit, quod quis aegre dimittere uisus est et sic dare, tam-
quam sibi eriperetur. Etiam si quid interuenit morae, euitemus
omni modo ne deliberasse uideamur; proximus est a negante, qui
dubitauit, nullamque iniit gratiam. Nam cum *in* beneficio iucun-
10 dissima sit tribuentis uoluntas, qui nolentem se tribuisse ipsa
cunctatione testatus est, non dedit sed aduersus ducentem male
retinuit; multi autem sunt, quos liberales facit frontis infirmitas.
Gratissima sunt beneficia parata, facilia, occurrentia, ubi nulla 3
mora fuit nisi in accipientis uerecundia. Optimum est antecedere
15 desiderium cuiusque, proximum sequi; illud melius, occupare

---

Inde ab hoc loco potissimam tantum scripturae uarietatem enotaui, omissis leuissimis erroribus, quibus hic codex abundat, et maxime iis, quae ad orthographiam modo pertinent, nisi si quae digna uisa erant, quae conmemorarentur. 1 Inspiciamus Liberalis *rubr. scr.* p.riori N (e *eras.*); priore *ug.* 2 adhuc |||| superest N (*in ras. fuit* se) 7 eriperet' (*i. e.* eriperetur) N uitemus *malit Siesbye* 9 iniit *ug.* ini& N gratia N¹ *corr.* N² in benef. *ug.* in *om.* N 10 sit N² sed (*corr.* sid) N¹ se trib. N² si trib. N¹ 12 liueralis N¹ mi liberalis N² fortes infirmitas N *corrupte;* frontis infirm. *ug.*, *quod retinui, etsi de ueritate huius scripturae dubito* 14 mora N¹ *in ras.*

ante quam rogemur, quia, cum homini probo ad rogandum os con-
cur rat et subfundatur rubor, qui hoc tormentum remittit, multi-
4 plicat munus suum. Non tulit gratis, qui, cum rogasset, accepit,
quoniam quidem, ut maioribus nostris grauissimis uiris uisum est,
nulla *res* carius constat, quam quae precibus empta est. Uota ho-5
mines parcius facerent, si palam facienda essent; adeo etiam deos,
quibus honestissime supplicamus, tacite malumus et intra nosmet
ipsos precari.

II, 1 Molestum uerbum est, onerosum, demisso uultu dicendum,
rogo. Huius facienda est gratia amico et quemcumque amicum 10
sis promerendo facturus; properet licet, sero beneficium dedit,
qui roganti dedit. Ideo diuinanda cuiusque uoluntas et, cum
intellecta est, necessitate grauissima rogandi liberanda est; illud
beneficium iucundum uicturumque in animo scias, quod obuiam
2 uenit. Si non contigit praeuenire, plura rogantis uerba interci- 15
damus, ne rogati uideamur sed certiores facti. Statim promitta-
mus facturosque nos, etiam ante quam interpellemur, ipsa festi-
natione adprobemus. Quemadmodum in aegris opportunitas cibi
salutaris est, et aqua tempestiue data remedii locum optinuit, ita,
quamuis leue et uulgare beneficium est, si praesto fuit, si proxi- 20
mam quamque horam non perdidit, multum sibi adicit gratiamque
pretiosi sed lenti et diu cogitati muneris uincit. Qui tam parate
facit, non est dubium, quin libenter faciat; itaque laetus facit et
induit sibi animi sui uultum.

III, 1 Ingentia quorundam beneficia silentium aut loquendi tarditas 25
imitata grauitatem et tristitiam conrupit, cum promitterent uultu
negantium; quanto melius adicere bona uerba rebus bonis et
praedicatione humana benignaque conmendare, quae praestes!
2 Ut ille se castiget, quod tardior in rogando fuit, adicias licet fa-
miliarem querellam: „Irascor tibi, quod, cum aliquid desideras- 30
ses, non olim scire me uoluisti, quod tam diligenter rogasti, quod
quemquam adhibuisti. Ego uero gratulor mihi, quod experiri
animum meum *tibi* libuit; postea, quidquid desiderabis, tuo iure
3 exiges; semel rusticitati tuae ignoscitur." Sic efficies, ut animum
tuum pluris aestimet quam illud, quidquid est, ad quod petendum 35

---

2 remittit N^2 remittat N^1 4 qm̃ N 5 res *add.* N^2 (?) quamque N^1 quamque N^2 9 uultu N^1, *sed* uu *in ras.; antea* est *fuisse uid.* 10 quemcumque *coni. Siesbye;* cuicumq. | quem N 12 uoluntas N^2 uoluptas N^1 15 contigit N^1 contingit N^2 intercetamus N^1 *corr.* N^2 16 facti. Statim *interpunxi; ug. continuantur; in* N *sic interp.:* intercidamus. Ne .. facti statim 20 est N^1 sit N^2; *uid. Adn.* 23 qui in N^1 *sed alterum* i *eras.* 33 tibi *addidi* 35 atq̃d N^1 adq̃d (*i. e.* ad quod) N^2

uenerat. Tunc est summa uirtus tribuentis, tunc benignitas, ubi ille, qui discessit, dicit sibi: „Magnum hodie lucrum feci; malo, quod illum talem inueni, quam si multiplicatum hoc ad me, de quo loquebar, alia uia peruenisset; huic eius animo numquam parem gratiam referam."

At plerique sunt, qui beneficia asperitate uerborum et super- IV,1
cilio in odium adducunt eo sermone usi, ea superbia, ut inpetrasse paeniteat. Aliae deinde post rem promissam sequuntur morae; nihil autem est acerbius, quam ubi *id* quoque, quod inpetrasti, rogandum est. Repraesentanda sunt beneficia, quae a quibusdam 2
accipere difficilius est quam inpetrare. Hic rogandus est, ut admoneat, ille, ut consummet; ita unum munus per multorum manus teritur, ex quo gratiae minimum apud promittentem remanet, quia auctori detrahit, quisquis post illum rogandus est. Hoc itaque curae habebis, si grate aestimari, quae praestabis, 3
uoles, ut beneficia tua inlibata, ut integra ad eos, quibus promissa sunt, perueniant, sine ulla, quod aiunt, deductione. Nemo illa intercipiat, nemo detineat; nemo in eo, quod daturus es, gratiam suam facere potest, ut non tuam minuat.

Nihil aeque amarum quam diu pendere; aequiore quidam V,1
animo ferunt praecidi spem suam quam trahi. Plerisque autem hoc uitium est ambitione praua differendi promissa, ne minor sit rogantium turba, quales regiae potentiae ministri sunt, quos delectat superbiae suae longum spectaculum, minusque se iudicant posse, nisi diu multumque singulis, quid possint, ostenderint. Nihil confestim, nihil semel faciunt; iniuriae illorum praecipites, lenta beneficia sunt. Quare uerissimum existima, quod ille comicus 2
dixit:

Quid? tu non intellegis
demere tantum te gratiae, quantum morae
adicis?

Inde illae uoces, quas ingenuus dolor exprimit: „Fac, si quid facis" et: „Nihil tanti est; malo mihi iam neges." Ubi in taedium adductus animus incipit beneficium odisse, dum expectat,

---

2 dicit *scripsi;* dic& **N** hodie **N**[2] odiae **N**[1] 3 ad me **N**[2] a me **N**[1] 9 ubi id quoque, quod *Mg.* ubi quoque quod **N** 12 ut consummet **N**[2] & consumet **N**[1] *uid. Adn.* ita unum *scripsi;* in unum **N**[1] sic unum **N**[2] 13 minimum **N**, *sed primum* m *in ras.* **N**[2] 13 quis quis p illum **N**[1], p *supra uersum scripto; ex hoc* (*pro* p') post *fecit* **N**[2] rogatus **N** *corr.* **N**[1] 18 q̃d daturus est **N** *corr. ug.* 20 aequi **N**[1] *corr.* **N**[2] 21 autem **N**; tamen *Henr. Steph.* 24 superbiae **N** potentiae *aliquot* **D** 25 possent sidiu **N**[1] *corr.* **N**[2] 30 demere tantum te gratiae *scripsi;* **N** tantum te gratiae demere, *caretque uersuum diuisione* 32 ille uocis **N**[1] *corr.* **N**[2] 33 tanto est **N**[1] *corr.* **N**[2]

3 potest ob id gratus esse? Ita est: quemadmodum acerbissima crudelitas est, quae trahit poenam, et misericordiae genus est cito occidere, quia tormentum ultimum finem sui secum adfert, quod antecedit tempus, maxima uenturi supplicii pars est, ita maior est muneris gratia, quo minus diu pependit. Est enim etiam bona- 5 rum rerum sollicita expectatio, et cum plurima beneficia remedium alicuius rei adferant, qui aut diutius torqueri patitur, quem protinus potest liberare, aut tardius gaudere, beneficio suo manus 4 adfert. Omnis benignitas properat, et proprium est libenter facientis cito facere; qui tarde et diem de die extrahens profuit, 10 non ex animo fecit. Ita duas res maximas perdidit, et tempus et argumentum amicae uoluntatis; tarde uelle nolentis est.

VI,1 In omni negotio, Liberalis, non minima portio est, quomodo quidque aut dicatur aut fiat. Multum celeritas adiecit, multum abstulit mora. Sicut in telis eadem ferri uis est, sed infinitum inter- 15 est, utrum excusso lacerto torqueantur an remissa manu effluant, gladius idem et stringit et transforat, quam presso articulo uenerit, refert, *ita* idem est, quod datur, sed interest, quomodo detur. 2 Quam dulce, quam pretiosum est, si gratias sibi agi non est passus, qui dedit, si dedisse *se*, dum dat, oblitus est! Nam conripere 20 eum, cui cum maxime aliquid praestes, dementia est, et inserere contumeliam meritis. Itaque non sunt exasperanda beneficia nec quidquam illis triste miscendum. Etiam si quid erit, de quo uelis admonere, aliud tempus eligito.

VII,1 Fabius Verrucosus beneficium ab homine duro aspere datum 25 panem lapidosum uocabat, quem esurienti accipere necessarium 2 sit, esse acerbum. Ti. Caesar rogatus a Nepote Mario praetorio, ut aeri alieno eius succurreret, edere illum sibi nomina creditorum iussit; *hoc* non est donare sed creditores conuocare. Cum edita essent, scripsit Nepoti iussisse se pecuniam solui, adiecta 30 contumeliosa admonitione. Effecit, ut Nepos nec aes alienum haberet nec beneficium; liberauit illum a creditoribus, sibi non 3 obligauit. Aliquid Tiberius secutus est; puto, noluit plures esse,

---

1 gratus esse? Ita est: quemadm. *scripsi;* gratus e | ut est. Quematm. **N**[1]; *uid. Adn.* 4 uentura **N** *corr.* **N**[1] 6 sollicita **N**[3], *ut ug.;* sollicitis **N**[1] 7 qui aut *ug.* ut aut **N**[1] dum aut **N**[3] 14 adiecit *Gt.;* fec& **N**[1] fecit **N**[2] 17 quam presso **N**[1]; *ante* quam **N**[3] s; (*i. e.* scilicet) *adscr.* 18 ita *add. He.* quo . modo (d *eras.*) **N** 20 se *addidi, om.* **N**; *in duobus* **D** *additur post* si Nam **N**[2] (?) Num **N**[1] 25 datum panem **N**[1] *in ras.* 27 esse **N**[1] comed'e **N**[3] Ti. **N**[1] Tiberius **N**[3] Nepote Mario *coni. Freinsh. ad Curt. X, 2, 10 (cl. Tac. Ann. II, 48)*; nepotem aelio **N**[1] nepote maelio **N**[2] 29 hoc *add.* **N**[2] 30—31 solui, adi. c. admonitione. Effecit *interpunxi; ug.:* solui. A. c. a. eff.

qui idem rogaturi concurrerent. Ista fortasse efficax ratio fuerit ad hominum inprobas cupiditates pudore reprimendas, beneficium uero danti tota alia sequenda est uia. Omni genere, quod des, quo sit acceptatius, adornandum est; hoc uero non est beneficium
5 dare, reprehendere est.

Et ut in transitu de hac quoque parte dicam quid sentiam, VIII, 1
ne principi quidem satis decorum est donare ignominiae causa. „Tamen" inquit „effugere Tiberius ne hoc quidem modo, quod uitabat, potuit; nam aliquot postea, qui idem rogarent, inuenti
10 sunt, quos omnes iussit reddere in senatu aeris alieni causas et ita illis certas summas dedit." Non est illud liberalitas, censura 2
est. Auxilium est, principale tributum est; beneficium non est, cuius sine rubore meminisse non possum. Ad iudicem missus sum; ut inpetrarem, causam dixi.

15 Praecipiunt itaque omnes auctores sapientiae quaedam be- IX, 1
neficia palam danda, quaedam secreto: palam, quae consequi gloriosum *est*, *ut* militaria dona, ut honores et quidquid aliud notitia pulchrius fit; rursus, quae non producunt nec honestiorem 2
faciunt sed succurrunt infirmitati, egestati, ignominiae, tacite
20 danda sunt, ut nota sint solis, quibus prosunt.

Interdum etiam ipse, qui iuuatur, fallendus est, ut habeat X, 1
nec, a quo acceperit, *conperiat*. Arcesilan aiunt amico pauperi et paupertatem suam dissimulanti, aegro autem et ne hoc quidem confitenti, deesse sibi in sumptum ad necessarios usus, clam suc-
25 currendum iudicasse; puluino eius ignorantis sacculum subiecit, ut homo inutiliter uerecundus, quod desiderabat, inueniret potius quam acciperet. „Quid ergo? ille nesciet, a quo acceperit?" 2
Primum nesciat, si hoc ipsum beneficii pars est; deinde multa alia *faciam*, *multa* tribuam, per quae intellegat et illius auctorem; de-
30 nique ille nesciat accepisse se, ego sciam me dedisse. „Parum

---

3 danti N, *ut Koch uoluit; ug.* dandi. 5 reprehendere N^3 deprehindere N^1 9 aliquod N^1 *corr.* N^2 10 senatum N^1 *corr.* N^2 11 certa N^1 *corr.* N^2 12 est. Auxilium est, p. t. est; benef. *interpunxi; uid. Adn.* 13 missus sum N^2 missum N^1 17 gloriosum est, ut *ug.* gloriusum N^1 gloriosum, ut N^3 18 pursus N^1 *corr.* N^2 19 ignomiae N^1 *corr.* N^2(?) 21 fauellendus N^1 *corr.* N^2 22 conperiat *addidi; om.* N^1; sciat *add.* N^2 22—25 Arcesilan aiunt .. usus, clam .. iudicasse; puluino *scripsi;* Arcesilam (*corr.* -an) aiunt .. usus, clam .. udicassit puluino N^1; Archesilan aiunt .. usus, clam .. iudicauit et puluino N^2; Arcesilaus (Arcesilas), ut aiunt, .. usus, cum clam .. iudicasset, puluino *ug.* 23 dissimulanti N^2 simulanti N^1 24 in sumptum N, *sed* in *eras.* 25 ignoranti N *corr. ug.* 27 nesci& | & (*& del.* N^2) a quo N 30 nesciat *unus* D, *ut uoluit Gt.;* nesciet N accepisse N, *sed* ss *m. pr. in ras., in qua fuit &*

est" inquis. Parum, si fenerari cogitas; sed si dare, quo genere
accipienti maxime profuturum erit, dabis. Contentus eris te teste;
3 alioqui non bene facere delectat sed uideri bene fecisse. „Uolo
utique sciat." Debitorem quaeris. „Uolo utique sciat." Quid? si
illi utilius est nescire, si honestius, si gratius, non in aliam par- 5
tem abibis? „Uolo sciat." Ita tu hominem non seruabis in tene-
4 bris? Non nego, quotiens patitur *res*, respiciendum gaudium ex
accipientis uoluptate; sin adiuuari illum et oportet et pudet, si,
quod praestamus, offendit, nisi absconditur, beneficium in acta
non mitto. Quidni ego illi non sim indicaturus me dedisse, cum 10
inter prima praecepta ac maxime necessaria sit, ne umquam ex-
probrem, immo ne admoneam quidem? Haec enim beneficii inter
duos lex est: alter statim obliuisci debet dati, alter accepti num-
quam.

XI, 1 Lacerat animum et premit frequens meritorum conmemo- 15
ratio. Libet exclamare, quod ille triumuirali proscriptione ser-
uatus a quodam Caesaris amico exclamauit, cum superbiam eius
ferre non posset: „Redde me Caesari!" Quousque dices: „Ego te
seruaui, ego eripui morti"? istud, si meo arbitrio memini, uita est,
si tuo, mors est; nihil tibi debeo, si me seruasti, ut haberes, quem 20
ostenderes. Quousque me circumduces? quousque obliuisci for-
2 tunae meae non sines? semel in triumpho ductus essem. Non
est dicendum, quid tribuerimus: qui admonet, repetit; non est
instandum, non est memoria renouanda, nisi ut aliud dando prio-
ris admoneas. Ne aliis quidem narrare debemus; qui dedit bene- 25
ficium, taceat, narret, qui accepit. Dicetur enim, quod ille ubi-
que iactanti beneficium suum: „Non negabis" inquit „te rece-
pisse"; et cum respondisset: „Quando?" „Saepe quidem" inquit
3 „et multis locis, id est, quotiens et ubicumque narrasti." Quid
opus est *te* loqui, quid alienum occupare officium? est, qui istud 30
facere honestius possit, quo narrante et hoc laudabitur, quod ipse
non narras. Ingratum me iudicas, si istud te tacente nemo

---

1 si fenerari *scripsi;* si |||| finerari **N**[1] (*in ras. fuit* ne); si fenerare **N**[2] sed si dare, quo .. erit, dabis. Contentus *interp. in* **N**, *ut uult Mg. et iam Gt.* 3 alioqui non *scripsi;* alioquin (*pro* alioqui ñ) **N**[1]; alioquin ñ **N**[2] 4 uolo utique sciat **N**; *uid. Adn.* 7 patitur res, respiciendum *scripsi;* patitur (**N**[2] petitur) respiciendum **N**; patitur res, percipiendum *ug.* (res, recipiendum *unus* **D**) 8 uoluptate *Koch;* uolontate **N** 9 in acta **N**[1] inpublicũ **N**[3]; inepte *adscr. man. recentior* 10 Quidni ego illi non sim .. quidem? *Mg.;* Q. e. i. n. sum .. quidem **N**; Quidni? ego illi non sum .. quidem? *ug.* 18 „Redde me Caesari!" Quousque *interpunxi; uid. Adn.* 21 circumduces *scripsi;* circumducis **N** fortunę **N**[2] fortuite **N**[1] 22 sines? semel *scripsi;* sinerem el (r *corr. ex* s) **N**[1] sinis semel **N**[2] 26 ille **N**[1] illi **N**[2] 30 est te loqui *Mt.* est eloqui **N**

sciturus est. Quod adeo non est committendum, ut etiam, si quis coram nobis narrabit, respondendum sit: „Dignissimus quidem ille est maioribus beneficiis, sed ego magis uelle me scio omnia illi praestare quam adhuc praestitisse"; et haec ipsa non uerni-
5 liter nec ea figura, qua quidam reiciunt, quae magis ad se uolunt adtrahere. Deinde adicienda omnis humanitas. Perdit agricola, 4
quod sparsit, si labores suos destituit in semine; multa cura sata perducuntur ad segetem; nihil in fructum peruenit, quod non a primo usque ad extremum aequalis cultura prosequitur. Eadem 5
10 beneficiorum condicio est. Numquid ulla maiora possunt esse, quam quae in liberos patres conferunt? haec tamen inrita sunt, si infantia deseruntur, nisi longa pietas munus suum nutrit. Eadem ceterorum beneficiorum condicio est: nisi illa adiuueris, perdes; parum est dedisse, fouenda sunt. Si gratos uis habere, quos
15 obligas, non tantum des oportet beneficia sed ames. Praecipue, 6
ut dixi, parcamus auribus; admonitio taedium facit, exprobratio odium Nihil aeque in beneficio dando uitandum est quam superbia. Quid opus adrogantia uultus, quid tumore uerborum? ipsa res te extollet. Detrahenda est inanis iactatio; res loquentur no-
20 bis tacentibus. Non tantum ingratum sed inuisum est beneficium superbe datum.

C. Caesar dedit uitam Pompeio Penno, si dat, qui non au- XII, 1
fert; deinde absoluto et agenti gratias porrexit osculandum sinistrum pedem. Qui excusant et negant id insolentiae causa factum,
25 aiunt socculum auratum, immo aureum, margaritis distinctum ostendere eum uoluisse. Ita prorsus: quid hic contumeliosum est, si uir consularis aurum et margaritas osculatus est, alioquin nullam partem in corpore eius electurus, quam purius oscula-
retur? Homo natus in hoc, ut mores liberae ciuitatis Persica ser- 2
30 uitute mutaret, parum iudicauit, si senator, senex, summis usus honoribus in conspectu principum supplex sibi eo more iacuisset, quo hostes uicti hostibus iacuere; inuenit aliquid infra genua, quo libertatem detruderet. Non hoc est rem publicam calcare, et

---

1 scit. est. Quod *Mg.;* scit. est? Quod *ug.* 2 narrabit N^2 narrauit N^1 3 sed ego N^1 sed & ego N^2 5 quidam N^2 quidem N^1 quę N^1 quo N^2(?) 6 Perdit *scripsi cum uno* D; perd& N 7 destituit N destituet *ug.* 12 si infantia *scripsi* (*uid. Adn.*); si infantia N^1 si in infantia N^2(?) deseruntur *scripsi;* deserantur N nutrit N^2 nutr& N^1 nutriat N^2(?) *aut* N^3 18 opus N; *fort.* opus est 19 extollet *duo* D extollit N loquentur N^1 loquantur N^2 20 sed inuisum N^1 sed etiã inuisum N^3 22 Penno *ug.* poeno N 25 aiunctoculum N^1 *corr.* N^2 26 prosus N^1 *corr.* N^2 27 est, alioquin *scripsi;* est & alioquin N 30 summis usus hon. *Pinc.;* summis sis (*fuit fort.* suis) hon. N; submissis *multi edd.* 33 Non N^1 nonne N^3

quidem, licet id aliquis non putet ad rem pertinere, sinistro pede? Parum enim foede furioseque insolens fuerat, qui de capite consularis uiri soccatus audiebat, nisi in os senatoris ingessisset imperator † pigros suos.

XIII, 1 O superbia, magnae fortunae stultissimum malum! ut a te nihil accipere iuuat! ut omne beneficium in iniuriam conuertis! ut te [omnia nimia delectant! ut te] omnia dedecent! quoque altius te subleuasti, hoc depressior es ostendisque tibi non † adagnoscere ista bona, quibus tantum inflaris; quidquid das, con-
2 rumpis. Libet itaque interrogare, quid se tantopere resupinet, quid uultum habitumque oris peruertat, ut malit personam habere quam faciem? Iucunda sunt, quae humana fronte, certe leni placidaque tribuuntur, quae cum daret mihi superior, non exsultauit supra me, sed quam potuit benignissimus fuit descenditque in aequum et detraxit mineri suo pompam, si obseruauit idoneum tempus, ut in occasione potius quam in necessitate succur-
3 reret. Uno modo istis persuadebimus, ne beneficia sua insolentia perdant, si ostenderimus non ideo uideri maiora, quod tumultuosius data sunt; ne ipsos quidem ob id cuiquam posse maiores uideri; uanam esse superbiae magnitudinem et quae in odium etiam amanda perducat.

XIV, 1 Sunt quaedam nocitura inpetrantibus, quae non dare sed negare beneficium est; aestimabimus itaque utilitatem potius quam uoluntatem petentium. Saepe enim noxia concupiscimus, nec dispicere, quam perniciosa sint, licet, quia iudicium interpellat adfectus; sed cum subsedit cupiditas, cum inpetus ille flagrantis animi, qui consilium fugat, cecidit, detestamur perniciosos malo-
2 rum munerum auctores. Ut frigidam aegris negamus et lugentibus ac sibi iratis ferrum, ut amentibus quidquid contra se usurus ardor petit, sic omnino, quae nocitura sunt, inpense ac submisse, non numquam etiam miserabiliter rogantibus perseuerabimus non

---

1 licet id aliquis non putet *L. et Gr.;* licit& (litiget **N**³) aliquis non | potest 3 senatores ingesisset **N**¹ *corr.* **N**² imp̄. **N** 4 pigros suos **N** *corrupte;* epigros suos *Scaliger;* pictos soccos *Pinc.* 5 superbia m. f. st. malum! **N**; sup. m. f.! o. st. m.! *ug.* 7 [omnia n. d. ut te] *om.* **N** *uid. Adn.* 8 tibi non adagnoscere **N** *corrupte (litteras et punctis not. m. 2); fort.* tibi non adaugescere, *uid. Adn.* 11 ut malit **N**; *fort.* et malit 13 q; cum **N**¹ *corr.* **N**³ 15 detraxĩ | **N** pompam si obs. **N**; si *om. ug.* 18 quod *scripsi;* quo **N** quia *ug.* tumultuosius **N**¹ *corr.* **N**² 25 dispicere **N**¹ discerne **N**³ sint *ug.* sunt **N** interpellat **N**¹ interpolat **N**²(?) 27 fugat **N**; *fort.* fugabat 28 frigidam **N**¹ aqua *adscr.* **N**³ 29 amentibus *Hpt.;* maantibus **N** 30 petit **N**, *fort.* petiit omnino, quae *scripsi;* omnium quę **N**; omnia quae *ug.* 31 perseuera*bimus* **N** (bimus *in ras. m. pr.*)

dare. Cum initia beneficiorum suorum spectare tum etiam exitus decet et ea dare, quae non tantum accipere sed etiam accepisse delectet. Multi sunt, qui dicant: „Scio hoc illi non profuturum, 3 sed quid faciam? rogat, resistere precibus eius non possum; ui- derit; de se, non de me queretur.“ Falsum est: immo de te et merito quidem; cum ad mentem bonam redierit, cum accessio illa, quae animum inflammabat, remiserit, quidni eum oderit, a quo in damnum ac periculum suum adiutus est? Exorari in perni- 4 ciem rogantium saeua bonitas est. Quemadmodum pulcherrimum opus est etiam inuitos nolentesque seruare, ita rogantibus pestifera largiri blandum et adfabile odium est. Beneficium demus, quod in usu magis ac magis placeat, quod numquam in malum uertat. Pecuniam non dabo, quam numeraturum adulterae sciam, nec in societate turpis facti aut consilii inueniar; si potero, reuocabo, si minus, non adiuuabo scelus. Siue illum ira, quo non debebit, 5 inpellet, siue ambitionis calor abducet a tutis, in nullum malum uires † a semet ipso, nec conmittam, ut possit quandoque dicere: „Ille amando me occidit.“ Saepe nihil interest inter amicorum munera et hostium uota; quidquid illi accidere optant, in id horum intempestiua indulgentia inpellit atque instruit. Quid autem turpius quam quod euenit frequentissime, ut nihil intersit inter odium et beneficium?

Numquam in turpitudinem nostram reditura tribuamus. Cum XV, 1 summa amicitiae sit amicum sibi aequare, utrique simul consulendum est: dabo egenti, sed ut ipse non egeam; succurram perituro, sed ut ipse non peream, nisi si futurus ero magni hominis aut magnae rei merces. Nullum beneficium dabo, quod turpiter 2 peterem. Nec exiguum dilatabo nec magna pro paruis accipi patiar; nam ut qui, quod *dedit*, inputat, gratiam destruit, ita qui, quantum det, ostendit, munus suum conmendat, non exprobrat. Respiciendae sunt cuique facultates suae uiresque, ne aut plus 3 praestemus, quam possumus, aut minus. Aestimanda est *et* eius

---

4 faciā . rogat **N** (*in ras. fuit* t) 5 queretur **N**[1] queratur **N**[3] 6—7 quidem; cum . . . remiserit, quidni *interpunxi;* quidem, cum . . remiserit. Quidni *ug.* 7 remiserit **N**[1] se remis. **N**[2] 9 saeua **N**; scaeua *coni. Colutius* 13 nec **N**[1] ne **N**[2] 14 societatem **N**[1] *corr.* **N**[2] 15 debebit **N**[1] debebat **N**[2] 16 inpell& **N**[1] inpellit **N**[2] abducet *scripsi;* abducit **N** atutis **N** sin nullum malum uires a semed ipsa nec committam **N**[1] *corrupte;* si nullo modo potuero ad se ipsum reuocare **N**[2](?), *quibus* patiar *adscr.* **N**[3], *ut uidetur; fuit fortasse:* in nullum malum uires adsumet nisi a semet ipso, nec conmittam; *sententiam uidit Mg.* 19 accidere **N**[2] accedere **N**[1] 26 hominis **N**[1] nominis **N**[3] 29 qui, quod dedit, inputat *ug.;* qui quod inputat **N**; *nonnulli* **D** dat *add.* 32 est et eius *scripsi;* et *om.* **N**

persona, cui damus; quaedam enim minora sunt, quam ut exire a magnis uiris debeant, quaedam accipiente maiora sunt. Utriusque itaque personam confer *et* id ipsum inter illas, quod donabis, examina, numquid aut danti graue sit aut parum, numquid rursus, qui accepturus est, aut fastidiat aut non capiat.

XVI, 1 Urbem cuidam Alexander donabat, uesanus et qui nihil animo nisi grande conciperet. Cum ille, cui donabatur, se ipse mensus tanti muneris inuidiam refugisset dicens non conuenire fortunae suae: „Non quaero" inquit, „quid te accipere deceat, sed quid me dare." Animosa uox uidetur et regia, cum sit stultissima. Nihil enim per se quemquam decet; refert, qui det, cui, quando, quare,
2 ubi, et cetera, sine quibus facti ratio non constabit. Tumidissimum animal! si illum accipere hoc non decet, nec te dare; habetur personarum ac dignitatum portio et, cum sit ubique uirtus modus, aeque peccat, quod excedit, quam quod deficit. Liceat istud sane tibi et te in tantum fortuna sustulerit, ut congiaria tua urbes sint (quas quanto maioris animi fuit non capere quam spargere!); est tamen aliquis minor, quam ut in sinu eius condenda sit ciuitas.

XVII, 1 Ab Antigono Cynicus petiit talentum: respondit plus esse, quam quod Cynicus petere deberet; repulsus petiit denarium: respondit minus esse, quam quod regem deceret dare. „Turpissima eiusmodi cauillatio est; inuenit, quomodo neutrum daret. In denario regem, in talento Cynicum respexit, cum posset et denarium tamquam Cynico dare et talentum tamquam rex. Ut sit aliquid maius, quam quod Cynicus accipiat, nihil tam exiguum est,
2 quod non honeste regis humanitas tribuat." Si me interrogas, probo; est enim intolerabilis res poscere numos et contemnere. Indixisti pecuniae odium; hoc professus es, hanc personam induisti: agenda est. Iniquissimum est te pecuniam sub gloria egestatis adquirere. Adspicienda ergo non minus sua cuique per-
3 sona est quam eius, de quo iuuando quis cogitat. Uolo Chrysippi nostri uti similitudine de pilae lusu, quam cadere non est dubium aut mittentis uitio aut excipientis; tum cursum suum seruat, ubi

---

3 confer et id *scripsi;* confer |||| it (*eras. uoc.*) N[1]; confer et N[2](?) 5 fastiziat N[1] *corr.* N[2] 10 et regia, cum sit *Mt.* et cum regia*tum* (t *ex* c *corr.*) si. (t *eras.*) N 11 refert, qui det, cui *scripsi;* refert quid & cui N; refert quid, cui *ug.* 14 portio N[1] proportio N[3] uirtus N[1] uirtutis N[3], *ut uid.* 16 congia|||| N[1] xenia *adscr.* N[3] *corr. ug.* 19 sit N[3] est N[1] 20 petiit *ug.* petit N 21 petiit N[2] p&it N[1] 22 *sqq.:* „Turpissima .. tribuat"; *alienae personae orationem signaui, uid. Adn.* 33 depile usu N, *corr. ug.* 34 mittentis N[2](?) mittendis N[1] uitio *Mt.;* dubio N

inter manus utriusque apte ab utroque et iactata et excepta uersatur. Necesse est autem, lusor bonus aliter illam conlusori longo, aliter breui mittat. Eadem beneficii ratio est: nisi utrique personae, dantis et accipientis, aptatur, nec ab hoc exibit nec ad
5 illum perueniet, ut debet. Si cum exercitato et docto negotium 4
est, audacius pilam mittemus; utcumque enim uenerit, manus illam expedita et agilis repercutiet; si cum tirone et indocto, non tam rigide nec tam excusse sed languidius et in ipsam eius derigentes manum *mittemus*, remissae occurremus. Idem faciendum
10 est in beneficiis: quosdam doceamus et satis iudicemus, si conantur, si audent, si uolunt. Facimus autem plerumque ingratos et, 5
ut sint, fauemus, tamquam ita demum magna sint beneficia nostra, si gratia illis referri non potuit; ut malignis lusoribus propositum est conlusorem traducere, cum damno scilicet ipsius lusus, qui
15 non potest, nisi consentitur, extendi. Multi sunt tam prauae na- 6
turae, ut malint perdere, quae praestiterunt, quam uideri recepisse, superbi et inputatores; quanto melius quantoque humanius id agere, ut illis quoque partes suae constent, et fauere, ut gratia sibi referri possit, benigne omnia interpretari, gratias agentem
20 non aliter, quam si referat, audire, praebere se facilem ad hoc,
ut, quem obligauit, etiam exsolui uelit! Male audire solet fene- 7
rator, si acerbe exigit, aeque, si in recipiendo tardus ac difficilis moras quaerit. Beneficium tam recipiendum est quam non exigendum. Optimus ille, qui facile dedit, numquam exegit, reddi
25 gauisus est, bona fide, quid praestitisset, oblitus, qui accipientis animo recepit.

Quidam non tantum dant beneficia superbe, sed etiam ac- XVIII,1
cipiunt, quod non est conmittendum; iam enim transeamus ad *alteram* partem tractaturi, quomodo se gerere homines in acci-
30 piendis beneficiis debeant. Quodcumque ex duobus constat officium, tantundem ab utroque exigit: qualis pater esse debeat, cum inspexeris, scies non minus operis illic superesse, ut dispicias, qualem esse oporteat filium; sunt aliquae partes mariti, sed non minores uxoris. In uicem ista, quantum exigunt, praestant 2
35 et parem desiderant regulam, quae, ut ait Hecaton, difficilis est;

---

4 aptatur N^1 aptetur N^2(?) exhibuit N *corr.* N^1 8 rigidae N^1 *corr.* N^2 derigentes N^1 dirigentes N^2(?) 9 manum mittemus, remissae occ. *scripsi;* manum remisse (*pro* remisse) occ. N 11 aũ (*i. e.* autem, *quod conpendium in* N *frequens est*) 12 magna sint N^1 (*sed fuit* sunt *aut* sent) 13 lusoribus *ug.* cursoribus N 21 audire N^1 audiri N^2(?) 25 quid prest. N^1, *sed* d *eras.* 26 recip& N^1 *corr.* N^2 32 illic *ug.;* illi N^1 tibi *adscr.* N^3 dispicias N^2(?) despicias N^1 35 difficilis N^2 difficile N^1

omne enim honestum in arduo est, etiam quod uicinum honesto
est; non enim tantum fieri debet, sed ratione fieri. Hac duce per
totam uitam eundum est, minima maximaque ex huius consilio
gerenda sunt; quomodo haec suaserit, dandum *est et accipiendum*.
Haec autem hoc primum censebit, non ab omnibus accipiendum. 5
3 A quibus ergo accipiemus? Ut breuiter tibi respondeam: ab iis,
quibus dedissemus. Uideamus, num etiam maiore dilectu quae-
rendus sit, cui debeamus, quam cui praestemus. Nam ut non se-
quantur ulla incommoda (sequuntur autem plurima), graue tamen
tormentum est debere, cui nolis; contra iucundissimum ab eo 10
accepisse beneficium, quem amare etiam post iniuriam possis, ubi
amicitiam alioqui iucundam causa fecit et iustam. Illud uero ho-
mini uerecundo et probo miserrimum est, si eum amare oportet,
4 quem non iuuat. Totiens admoneam necesse est non loqui me
de sapientibus, quos, quidquid oportet, et iuuat, qui animum in 15
potestate habent et legem sibi, quam uolunt, dicunt, quam dixe-
runt, seruant, sed de inperfectis hominibus honestam uiam sequi
5 uolentibus, quorum adfectus saepe contumaciter parent. Itaque
eligendum est, a quo beneficium accipiam; et quidem diligentius
quaerendus beneficii quam pecuniae creditor. Huic enim redden- 20
dum est, quantum accepi, et, si reddidi, solutus sum ac liber; at
illi et plus soluendum est, et nihilo minus etiam relata gratia
cohaeremus; debeo enim, cum reddidi, rursus incipere, manetque
amicitia. *Itaque ut in amicitiam* non reciperem indignum, sic ne
in beneficiorum quidem sacratissimum ius, ex quo amicitia oritur. 25
6 „Non semper" inquit „mihi licet dicere: nolo; aliquando bene-
ficium accipiendum est et inuito. Dat tyrannus crudelis et ira-
cundus, qui munus suum fastidire te iniuriam iudicaturus est:
non accipiam? eodem loco latronem pone, piratam, regem ani-
mum latronis ac piratae habentem. Quid faciam? parum dignus 30
7 est, cui debeam." Cum eligendum dico, cui debeas, uim maiorem
et metum excipio, quibus adhibitis electio perit. Si liberum est

---

4 suaserit N² suar& N¹; *fort.* suadet est et accipiendum *addidi, om.* N 6 ab iis *Wsbg.* (*et unus* D); ab his N 7—8 dedissemus. Uideamus, num .. sit *scripsi;* dedissemus (*adscr.* debuissem̃ N³) uideamur. Num .. est N; Uideamus, num .. sit *Mg. debetur* dilectu N¹ delectu N²(?) 9 sequunt̃ N 12 alioqui *L.;* aliicui N iucundum N *corr.* N¹ 16 dixeR | N 17 interfectis N¹ *corr.* N² 21 accepi, et, si N² accipi& si N¹ 24 Itaque ut in amicitiam *addidi praesente Haasio; om.* N reciperem *scripsi cum uno* D; receperem N¹ recipere N² 27 Dat N; uitam dat *coni. Hermes* (*Quaest. crit. in Sen. ep. 95, Meurs 1874*) 30 dignum N¹ *corr.* N²(?) 32 excipit N *corr.* N¹

tibi, si arbitrii tui est, utrum uelis an non, id apud te ipse perpendes; si necessitas tollit arbitrium, scies te non accipere sed parere. Nemo id accipiendo obligatur, quod illi repudiare non licuit; si uis scire, an uelim, effice, ut possim nolle. „Uitam 8
5 tamen tibi dedit.“ Non refert, quid sit, quod datur, nisi a uolente uolenti datur; si seruasti me, non ideo seruator es. Uenenum aliquando pro remedio fuit; non ideo numeratur inter salubria. Quaedam prosunt nec obligant: tuber quidam tyranni gladio diuisit, qui ad occidendum eum uenerat; non ideo illi tyrannus
10 gratias egit, quod rem, quam medicorum manus reformidauerant, nocendo sanauit.

Uides non esse magnum *in* ipsa re momentum, quoniam XIX, 1
non uidetur dedisse beneficium, qui malo animo profuit; casus enim beneficium est, hominis iniuria. Leonem in amphitheatro
15 spectauimus, qui unum e bestiariis agnitum, cum quondam eius fuisset magister, protexit ab inpetu bestiarum; num ergo beneficium est ferae auxilium? minime, quia nec uoluit facere nec bene faciendi animo fecit. Quo loco feram posui, tyrannum pone: 2
et hic uitam dedit et illa, nec hic nec illa beneficium. Quia non
20 est beneficium accipere cogi, non est beneficium debere, cui nolis. Ante des oportet mihi arbitrium mei, deinde beneficium.

Disputari de M. Bruto solet, an debuerit accipere ab diuo XX, 1
Iulio uitam, cum occidendum eum iudicaret. Quam rationem in 2
occidendo secutus sit, alias tractabimus; mihi enim, cum uir
25 magnus fuerit in aliis, in hac re uidetur uehementer errasse nec ex institutione Stoica se egisse; qui aut regis nomen extimuit, cum optimus ciuitatis status sub rege iusto sit, aut ibi sperauit libertatem futuram, ubi tam magnum praemium erat et imperandi *et seruiendi*, aut existimauit ciuitatem in priorem formam posse
30 reuocari amissis pristinis moribus, futuramque ibi aequalitatem ciuilis iuris et staturas suo loco leges, ubi uiderat tot milia hominum pugnantia, non an seruirent, sed utri. Quanta uero illum aut rerum naturae aut urbis suae tenuit obliuio, qui uno interempto defuturum credidit alium, qui idem uellet, cum Tarquinius
35 esset inuentus post tot reges ferro ac fulminibus occisos! Sed 3

---

2 tollit N^2 toll& N^1 3 Nemo id *Mt.;* nemo in id N; nemo enim id *coni. Agricola* 4 an N^2 ac N^1 6 seruator es N^2(?) seruatoris N^1 7 numerator N^1 *corr.* N^2 8 tuder N^1 *corr.* N^2 12 in *add.* N^2 13 qui malo *ug.* quia malo N; *fort.* qui a malo 16 protex̃ N 18 posuit N, *sed* t *eras.* 22 disputaidem bruto N^1; *supra* ai N^2(?) r *adscr.* 26 stoicas egisse N *corr.* N^1 28 futurã||| N (*in ras. fuit* s) 33 aut . urbis N (t *eras.*)

uitam accipere debuit, ob hoc tamen non habere illum parentis loco, qui in ius dandi beneficii iniuria uenerat; non enim seruauit is, qui non interfecit, nec beneficium dedit sed missionem.

XXI, 1 Illud magis uenire in aliquam disputationem potest, quid faciendum sit captiuo, cui redemptionis pretium homo prostituti corporis et infamis ore promittit. Patiar me ab inpuro seruari? seruatus deinde quam illi gratiam referam? uiuam cum obsceno?
2 non uiuam cum redemptore? Quid ergo placeat, dicam: etiam a tali accipiam pecuniam, quam pro capite dependam, accipiam autem tamquam creditum, non tamquam beneficium; soluam illi pecuniam et, si occasio fuerit seruandi periclitantem, seruabo; in amicitiam, quae similes iungit, non descendam, nec seruatoris illum loco numerabo sed feneratoris, cui sciam reddendum, quod accepi.

3 Est aliquis dignus, a quo beneficium accipiam, sed danti nociturum est; ideo non accipiam, quia ille paratus est mihi cum incommodo aut etiam periculo suo prodesse. Defensurus est me reum sed illo patrocinio regem sibi facturus inimicum; inimicus sum, si, cum ille pro me periclitari uelit, ego, quod facilius est, non facio, ut sine illo pericliter.

4 *Ineptum et friuolum hoc Hecaton ponit exemplum Arcesilai, quem ait a filio familiae adlatam pecuniam non accepisse, ne ille patrem sordidum offenderet; quid fecit laude dignum, quod furtum non recepit, quod maluit non accipere quam reddere? Quae
5 est enim alienam rem non accipere moderatio? Si exemplo magni animi opus est, utamur Graecini Iulii, uiri egregii, quem C. Caesar occidit ob hoc unum, quod melior uir erat, quam esse quemquam tyranno expedit. Is cum ab amicis conferentibus ad inpensam ludorum pecunias acciperet, magnam pecuniam *a* Fabio Persico missam non accepit et obiurgantibus iis, qui non aestimant mittentes sed missa, quod repudiasset: „Ego“ inquit „ab eo beneficium accipiam, a quo propinationem accepturus non sum?“
6 Cum illi Rebilus consularis, homo eiusdem infamiae, maiorem summam misisset instaretque, ut accipi iuberet: „Rogo“ inquit „ignoscas; et a Persico non accepi.“ Utrum hoc munera accipere est an senatum legere?

---

2 in ius N^2(?) intus N^1 8 etiam at ali acc. N 10 illi N^2 illu N^1 11 seruandi pericl., seruabo *dist. Wsbg.;* seruandi, per. seru. *ug.* 15 aliquis N^2(?) aliqui N^1 dignus N^2; dignu N dignis N^1 18 inimicus N; *malim* iniquus 21 *Ante* Ineptum *aliqua excidisse credo* 26 iuli ||| uiri N^1 iulii uiri N^2(?) C̄ Caes. N 29 a *praepos. add.* N^2(?) 30 accipit N^1 *corr.* N^2 iis N^1 hiis N^2 aestimant N; aestimabant *ug.* 31 abeo (*i. e.* ab eo) N, *sed fuit* habeo 33 rebilos N^1 reuillus N^2

Cum accipiendum iudicauerimus, hilares accipiamus, profi- XXII, 1
tentes gaudium, et id danti manifestum sit, ut fructum praesentem capiat; iusta enim causa laetitiae est laetum amicum uidere, iustior fecisse. Quare grate ad nos peruenisse indicemus effusis
5 adfectibus; quod non ipso tantum audiente sed ubique testemur. Qui grate beneficium accipit, primam eius pensionem soluit.

Sunt quidam, qui nolint nisi secreto accipere; testem bene- XXIII, 1
ficii et conscium uitant; quos scias licet male cogitare. Quomodo danti in tantum producenda notitia est muneris sui, in quantum
10 delectatura est, cui datur, ita accipienti adhibenda contio est; quod pudet debere, ne acceperis. Quidam furtiue gratias agunt 2
et in angulo et ad aurem; non est ista uerecundia sed infitiandi genus; ingratus est, qui remotis arbitris agit gratias. Quidam nolunt nomina secum fieri nec interponi pararios nec signatores
15 aduocari, chirographum *tantum* dare; idem faciunt, qui dant operam, ut beneficium in ipsos conlatum quam ignotissimum sit. Ue- 3
rentur palam ferre, ut sua potius uirtute quam alieno adiutorio consecuti dicantur; rariores in eorum officiis sunt, quibus uitam aut dignitatem debent, et, dum opinionem clientium timent, gra-
20 uiorem subeunt ingratorum.

Alii pessime loquuntur de optime meritis. Tutius est quos- XXIV, 1
dam offendere quam demeruisse; argumentum enim nihil debentium odio quaerunt; atqui nihil magis praestandum est, quam ut memoria nobis meritorum haereat, quae subinde reficienda est,
25 quia nec referre potest gratiam, nisi qui meminit, *et, qui meminit,* eam refert. Nec delicate accipiendum est nec submisse et humi- 2
liter; nam qui neglegens est in accipiendo, cum omne beneficium recens placeat, quid faciet, cum prima eius uoluptas refrixerit? *Alius* accipit fastidiose, tamquam qui dicat: „Non quidem mihi 3
30 opus est, sed quia tam ualde uis, faciam tibi mei potestatem"; alius supine, ut dubium praestanti relinquat, an senserit; alius uix labra diduxit et ingratior, quam si tacuisset, fuit. Loquendum 4
est pro magnitudine rei inpensius et illa adicienda: „Plures, quam

---

3 laetitiaest **N**[1] *corr.* **N**[2] 4 fecisse. Quare grate *scripsi;* fecisse quā grate **N**; fecisse. Grate *ug.* 6 accipit **N**[2] accip& **N**[1]; accepit *ug.* 7 nolint **N**[1] nolunt **N**[2] 10 delectatura **N**, *fort.* delectaturum est, cui **N**; est eum, cui *ug.* 15 aduocari, chirographum tantum dare *scripsi;* aduocari, chirografum dare **N**; aduocari nec ch. d. *ug.; coni. Mg.:* aduocari, sed ch. d. 18 quibus uitam *ug.* quibus iam **N** 24 memoriam **N**[1] *corr.* **N**[2] 25 et qui meminit *add. ug. ex uno cod. Pinc.; om.* **N** 26 eam **N**; iam *Mt. fort. rectius* 28 recens placeat *ug.* recens pateat **N** refrixerit *ug.* refrix& **N**[1] refrixit **N**[2] 29 accipit **N**, accepit *ug.* tamquam qui **N**; t. si *Gt.* mi **N**[1] michi **N**[2] 32 diduxī | **N** 33 Plures **N**[1] Pluris **N**[2]

putas, obligasti" (nemo enim non gaudet beneficium suum latius patere); „nescis, quid mihi praestiteris, sed scire te oportet, quanto plus sit, quam existimas" (statim gratus est, qui se onerat); „numquam tibi referre gratiam potero; illud certe non desinam ubique confiteri, me referre non posse."

XXV, 1 Nullo magis Caesarem Augustum demeruit et ad alia inpetranda facilem sibi reddidit Furnius, quam quod, cum patri Antonianas partes secuto ueniam inpetrasset, dixit: „Hanc unam, Caesar, habeo iniuriam tuam: effecisti, ut et uiuerem et morerer ingratus." Quid est tam grati animi quam nullo modo sibi satis facere, quam ne ad spem quidem exaequandi umquam beneficii
2 accedere? His atque eiusmodi uocibus id agamus, ut uoluntas nostra non lateat sed aperiatur et luceat. Uerba cessent licet; si, quemadmodum debemus, adfecti sumus, conscientia eminebit in
3 uultu. Qui gratus futurus est, statim, dum accipit, de reddendo cogitet. Chrysippus quidem ait illum uelut in certamen cursus compositum et carceribus inclusum opperiri debere tempus suum, ad quod uelut dato signo prosiliat; et quidem magna illi contentione opus est, magna celeritate, ut consequatur antecedentem.

XXVI, 1 Uidendum est nunc, quid maxime faciat ingratos. Facit aut nimius sui suspectus et insitum mortalitati uitium se suaque mirandi aut auiditas aut inuidia.

2 Incipiamus a primo. Nemo non benignus est sui iudex; inde est, ut omnia meruisse se existimet et in solutum accipiat nec satis suo pretio se aestimatum putet. „Hoc mihi dedit, sed quam sero, sed post quot labores? quanto consequi plura potuissem, si illum aut illum [aut] me colere maluissem? non hoc speraueram; in turbam coniectus sum; tam exiguo dignum me iudica-
XXVII, 1 uit? honestius praeteriri fuit." Cn. Lentulus augur, diuitiarum maximum exemplum, ante quam illum libertini pauperem facerent, hic, qui quater miliens sestertium suum uidit (proprie dixi; nihil enim amplius quam uidit), ingenii fuit sterilis, tam pusilli quam animi. Cum esset auarissimus, numos citius emit-
2 tebat quam uerba: tanta illi inopia erat sermonis. Hic cum omnia incrementa sua diuo Augusto deberet, ad quem adtulerat paupertatem sub onere nobilitatis laborantem, princeps iam ciuitatis et

---

6 cesar aug. N (*corr.* cesarē *m. pr.* (?)) 11 ne *add.* N¹ aex-aequantium quam N¹ *corr.* N² beneficii . acc. N (s *aut* f *eras.*) 16 ait illum uelut in cert. *scripsi, partim ex* D; in illum uelut cert. N 17 opperire N 26 sed post quot N² sed quod post N¹ 27 aut *uncis inclusi;* a me coli *coni. Mg.* 31 propriae dix& N¹ *corr.* N² 32 ingenii fuit sterilis, tam pusilli N² ingeni fuit sterilis tem pus|illi N¹; sterilis *deleri uult Mg.;* sterilis et tam *coni. Stephanus* 35 augo. N

pecunia et gratia subinde *de* Augusto solebat queri dicens a studiis se abductum, nihil tantum in se congestum esse, quantum perdidisset relicta eloquentia. At illi inter alia hoc quoque diuus Augustus praestiterat, quod illum derisu et labore inrito libera-
5 uerat.

Non patitur auiditas quemquam esse gratum; numquam enim 3
inprobae spei, quod datur, satis est, et maiora cupimus, quo maiora uenerunt, multoque concitatior est auaritia in magnarum opum congestu conlocata, ut flammae infinito acrior uis est, quo ex
10 maiore incendio emicuit. Aeque ambitio non patitur quemquam 4
in ea mensura honorum conquiescere, quae quondam eius fuit inpudens uotum: nemo agit de tribunatu gratias, sed queritur, *quod* non est ad praeturam usque perductus; nec haec grata est, si deest consulatus; ne hic quidem satiat, si unus est. Ultra se
15 cupiditas porrigit et felicitatem suam non intellegit, quia non, unde uenerit, respicit, sed quo tendat.

Omnibus his uehementius et inportunius malum est in- XXVIII,1
uidia, quae nos inquietat, dum conparat: „Hoc mihi praestitit, sed illi plus, sed illi maturius"; et deinde nullius causam agit,
20 *contra* omnes sibi fauet. Quanto est simplicius, quanto pudentius beneficium acceptum augere, scire neminem tanti ab alio quanti a se ipso aestimari! „Plus accipere debui, sed illi facile 2
non fuit plus dare; in multos diuidenda liberalitas erat; hoc initium est, boni consulamus et animum eius grate excipiendo euo-
25 cemus; parum fecit, sed saepius faciet; illum mihi praetulit, sed me multis; ille non est mihi par uirtutibus nec officiis, sed habuit suam Uenerem; querendo non efficiam, ut maioribus dignus sim, sed ut datis indignus. Plura illis hominibus turpissimis data sunt; *quid ad rem*? quam raro fortuna iudicat? Cotidie querimur malos 3
30 *esse felices*; saepe, quae agellos pessimi cuiusque transierat, optimorum uirorum segetem grando percussit; fert sortem suam quisque ut in ceteris rebus ita in amicitiis." Nullum est tam ple- 4
num beneficium, quod non uellicare malignitas possit, nullum tam angustum, quod non bonus interpres extendat. Numquam deerunt
35 causae querendi, si beneficia a deteriore parte spectaueris.

---

1 de *add. ug., om.* N 3 perdidisset *ug.* perdedisse N int̃| N 4 aug. N 7 est, et maiora N est; eo maiora *ug.* 11 q|quondã N¹ *corr.* N²(?) 14 si deest N² idest N¹ hic *ug.* hoc N; *an fuit* hoc . . satiatur? 20 pudentius *Pinc.* prudentius N 25 sed (*aut* at) me multis *scripsi;* et me multis N 27 efficiam N² efficiat N¹ 28 indignus N² indignum N¹ non indignus N³ 29 cottidiae N¹ cottidie N²; *haec quoque usque ad* § 4 *ad alienam orationem pertinent.* 34 non tam bonus N¹; tam *exp.* N² *ut uid.*

XXIX, 1 Uide, quam iniqui sint diuinorum munerum aestimatores et quidam professi sapientiam: queruntur, quod non magnitudine corporum aequemus elephantos, uelocitate ceruos, leuitate aues, inpetu tauros, quod solidior sit cutis beluis, decentior damis, densior ursis, mollior fibris, quod sagacitate nos narium canes uincant, quod acie luminum aquilae, spatio aetatis corui, multa ani-
2 malia nandi facilitate. Et cum quaedam ne coire quidem in idem natura patiatur, ut uelocitatem corporum et uires, ex diuersis ac dissidentibus bonis hominem non esse conpositum iniuriam uocant et neglegentes nostri deos, quod non bona ualetudo etiam uitiis inexpugnabilis data sit, quod non futuri scientia. Uix sibi temperant, quin eo usque inpudentiae prouehantur, ut naturam oderint,
3 quod infra deos sumus, quod non in aequo illis stetimus. Quanto satius est ad contemplationem tot tantorumque beneficiorum reuerti et agere gratias, quod nos in hoc pulcherrimo domicilio uoluerunt secundas sortiri, quod terrenis praefecerunt! Aliquis ea animalia conparat nobis, quorum potestas penes nos est? Quid-
4 quid nobis negatum est, dari non potuit. Proinde, quisquis es iniquus aestimator sortis humanae, cogita, quanta nobis tribuerit parens noster, quanto ualentiora animalia sub iugum miser*imus*, quanto uelociora consequamur, quam nihil sit mortale non sub
5 ictu nostro positum. Tot uirtutes accepimus, tot artes, animum denique, cui nihil non eodem, quo intendit, momento peruium est, sideribus uelociorem, quorum post multa saecula futuros cursus antecedit; tantum deinde frugum, tantum opum, tantum rerum aliarum super alias aceruatarum. Circumeas licet cuncta et, quia nihil totum inuenies, quod esse te malles, ex omnibus singula excerpas, quae tibi dari uelles: bene aestimata naturae
6 indulgentia confitearis necesse est in deliciis te illi fuisse. Ita est: carissimos nos habuerunt di inmortales habentque, et, qui maximus tribui honos potuit, ab ipsis proximos conlocauerunt. Magna accepimus, maiora non cepimus.

XXX, 1 Haec, mi Liberalis, necessaria credidi, et quia loquendum aliquid de maximis beneficiis erat, cum de minutis loqueremur, et quia inde manat etiam in cetera huius detestabilis uitii audacia. Cui enim respondebit grate, quod munus existimabit aut magnum

---

2 quidam *Pinc.* quidem **N** 4 solidior *ug.* solida **N** dammis **N** 7 in idem *Er.* in id **N** 16 secundas *Pinc.* secunda **N** 18 negatus **N**[1] *corr.* **N**[2] 19 iniqus **N**[2] inimicus **N**[1] 22 icto **N**[1] *corr.* **N**[2] 23 nihili **N**[1] *corr.* **N**[2] 27 essitemalles **N**[1] *corr.* **N**[2] 29 indulgentiam **N**[1] *corr.* **N**[2] 30 dii **N** 32 accipimus **N**[1] *corr.* **N**[2] non cepimus **N**[1] non coepimus **N**[2] non cupiamus **N**[3] 33 mi *ug.* mihi **N** 34 loquemur **N**[1] *corr.* **N**[3]

aut reddendum, qui summa beneficia spernit? cui salutem, cui spiritum debebit, qui uitam accepisse se a dis negat, quam cotidie ab illis petit? Quicumque ergo gratos esse docet, et hominum 2
causam agit et deorum, quibus nullius rei indigentibus, positis
5 extra desiderium, referre nihilo minus gratiam possumus. Non est, quod quisquam excusationem mentis ingratae ab infirmitate atque inopia petat et dicat: „Quid enim faciam et quomodo? quando superioribus dominisque rerum omnium gratiam referam?" Referre facile est, si auarus es, sine inpendio, si iners, *sine* opera.
10 Eodem quidem momento, quo obligatus es, si uis, cum quolibet paria fecisti, quoniam, qui libenter beneficium accipit, reddidit.

Hoc ex paradoxis Stoicae sectae minime mirabile, ut mea XXXI, 1
fert opinio, aut incredibile est, eum, qui libenter accipit, beneficium reddidisse. Nam cum omnia ad animum referamus, fecit
15 quisque, quantum uoluit; et cum pietas, fides, iustitia, omnis denique uirtus intra se perfecta sit, etiam si illi manum exserere non licuit, gratus quoque homo esse potest uoluntate. Quotiens, 2
quod proposuit, quisque consequitur, capit operis sui fructum. Qui beneficium dat, quid proponit? prodesse ei, cui dat, et uolup-
20 *tati* esse. Si, quod uoluit, effecit, peruenitque ad me animus eius ac mutuo gaudio adfecit, tulit, quod petiit. Non enim in uicem aliquid sibi reddi uoluit; aut non fuit beneficium sed negotiatio. Bene nauigauit, qui quem destinauit portum tenuit; teli 3
iactus certae manus peregit officium, si petita percussit; bene-
25 ficium qui dat, uult excipi grate; habet, quod uoluit, si bene acceptum est. Sed sperauit et emolumenti aliquid: non fuit hoc beneficium, cuius proprium est nihil de reditu cogitare. Quod 4
accipiebam, eo animo accepi, quo dabatur: reddidi. Alioqui pes*sima optimae* rei condicio est, *si*, ut gratus sim, ad fortunam mit-
30 tor, si illa inuita respondere non possum. Sufficit animus animo. „Quid ergo? non, quidquid potuero, et faciam, ut reddam, et 5
temporum rerumque occasionem sequar et inplere eius sinum cupiam, a quo aliquid accepi?" Sed malo loco beneficium est, nisi et excussis manibus esse gratum licet.

---

2 spm̄ (*i. e.* spiritum, *frequenti in* N *conpendio*) cui uitam N¹ *corr.* N² diis N *ut solet* 4 nullus N¹ *corr.* N² 8 quanto N¹ *corr.* N² 9 si iners, sine opera *Mt.* si ineas operã N 11 qm̄ N accipit N accepit *ug.* 13 accipit N accepit *edd. ant.* 18 q̄d N 19 uoluptati esse N¹ uoluptati sibi esse N² 21 petiit *ug.* petit N 22 aliq.d N¹ *corr.* N² 23 tali N *corr.* N¹ 26 sperauit et N¹, *sed* et *del.* N² 28 reddi N¹ *corr.* N² alioqui N¹ alioquin N² 29 est, si, ut..mittor, si..possum. Sufficit *Mg.; prius* si *om.* N; *ug. dist.* est: ut...mittor. Si...possum, sufficit 31 ut reddam *Pinc.;* et reddam N 34 gratum *unus* D *et edd. antq.* grato N

XXXII, 1 „Qui accepit“ inquit „beneficium, licet animo benignissimo acceperit, nondum consummauit officium suum; restat enim pars reddendi; sicut in lusu est aliquid pilam scite ac diligenter excipere, sed non dicitur bonus lusor, nisi qui apte et expedite
2 remisit, quam exceperat.“ Exemplum hoc dissimile est; quare? quia huius rei laus in corporis motu est et in agilitate, non in animo; explicari itaque totum debet, de quo oculis iudicatur. Nec tamen ideo non bonum lusorem dicam, qui pilam, ut oportebat,
3 excepit, si per ipsum mora, quo minus remitteret, non fuit. „Sed quamuis“ inquit „arti ludentis nihil desit, quia partem quidem fecit, sed partem, quam non fecit, potest facere, lusus ipse inper-
4 fectus est, qui consummatur uicibus mittendi ac remittendi.“ Nolo diutius hoc refellere; existimemus ita esse, desit aliquid lusui, non lusori; sic et in hoc, de quo disputamus, deest aliquid rei datae, cui par alia debetur, non animo, qui animum parem sibi nanctus est et, quantum in illo *est*, quod uoluit, effecit.

XXXIII, 1 Beneficium mihi dedit, accepi non aliter, quam ipse accipi uoluit: iam habet, quod petiit, et quod unum petiit, ergo gratus sum. Post hoc usus mei restat et aliquod ex homine grato commodum; hoc non inperfecti officii reliqua pars est sed *perfecti*
2 accessio. Facit Phidias statuam; alius est fructus artis, alius artificii: artis est fecisse, quod uoluit, artificii fecisse cum fructu; perfecit opus suum Phidias, etiam si non uendidit. Triplex illi fructus est operis sui: unus conscientiae; hunc absoluto opere percipit; alter famae; tertius utilitatis, quem adlatura est aut gra-
3 tia aut uenditio aut aliqua commoditas. Sic beneficii fructus primus ille est conscientiae: hunc percipit, qui, quo uoluit, munus suum pertulit; secundus *et tertius* est et famae et eorum, quae praestari in uicem possunt. Itaque cum benigne acceptum est beneficium, qui dedit, gratiam quidem iam recepit, mercedem nondum; debeo itaque, quod extra beneficium est, ipsum quidem bene accipiendo persolui.

---

1 accepit **N**^{2} accipit **N**^{1} 2 acceperit *ug.* acciperet **N** df||ficium **N** *cum ras.; corr.* officium **N**^{1} 4 ñ **N** 5 exceperat *Pinc.;* acciperat **N**^{1} acceperat **N**^{2} 9 remitteret **N** remitteretur *unus* **D**, *quod prob. Fickert* 10 ardi ludentes **N**^{1} *corr.* **N**^{2} 11 sed partem **N**; sed et partem *ug.* 12 consumatur **N** (*sic multis locis*) 15 par alia *Mt.;* pars alia **N** non animo, qui *distinxit L.* non animo. Qui *ug.* nanctus **N** (*sic fere semper, non* nactus) 16 est et, quantum **N**; *ug. om.* et est *add.* **N**^{2} 18 petiit *bis Dalecampius;* petit **N** 19 Post hoc **N**^{1} Post hęc **N**^{2} 20 hoc **N**; haec *ug.* 21 artificii *ug.* artifex **N** 25 percipit **N** percepit *ug.* quem adl. *ug.* quã all. **N** 27 percipit **N** percepit *ug.* 28 et tertius *add. He., om.* **N**; *post* famae *supra scr.* tcī **N**^{2} (?) 29—30 acc. est beneficium, qui dedit *Gr. et duo* **D**; acc. est benef. est qui dedit **N**; a. e. b., is qui d. *Pinc.*

„Quid ergo?“ inquit „rettulit gratiam, qui nihil fecit?“ XXXIV,1
Primum fecit: bono animo bonum optulit et, quod est amicitiae,
ex aequo posuit. Deinde aliter beneficium, aliter creditum sol-
uitur; non est, quod expectes, ut solutionem tibi ostendam; res
5 inter animos geritur. Quod dico, non uidebitur durum, quamuis 2
primo contra opinionem tuam pugnet, si te commodaueris mihi
et cogitaueris plures esse res quam uerba. Ingens copia est re-
rum sine nomine, quas non propriis adpellationibus notamus sed
alienis commodatisque: pedem et nostrum dicimus et lecti et
10 ueli et carminis, canem et uenaticum et marinum et sidus; quia
non sufficimus, ut singulis singula adsignemus, quotiens opus est,
mutuamur. Fortitudo est *uirtus* pericula iuste contemnens aut 3
scientia periculorum repellendorum, excipiendorum, prouocan-
dorum; dicimus tamen et gladiatorem fortem uirum et seruum
15 nequam, quem in contemptum mortis temeritas inpulit. Parsi- 4
monia est scientia uitandi sumptus superuacuos aut ars re fami-
liari moderate utendi; parcissimum tamen hominem uocamus
pusilli animi et contracti, cum infinitum intersit inter modum et
angustias. Haec alia sunt natura, sed efficit inopia sermonis, ut
20 et hunc et illum parcum uocemus, ut et ille fortis dicatur cum
ratione fortuita despiciens et hic sine ratione in pericula excur-
rens. Sic beneficium est et actio, ut diximus, benefica et ipsum, 5
quod datur per illam actionem, ut pecunia, ut domus, ut prae-
texta; unum utrique nomen est, uis quidem ac potestas longe
25 alia.

Itaque adtende, iam intelleges nihil me, quod opinio tua XXXV,1
refugiat, dicere: illi beneficio, quod actio perficit, relata gratia
est, si illud beneuole excipimus; illud alterum, quod re contine-
tur, nondum reddidimus sed uolemus reddere. Uoluntati uolun-
30 tate satis fecimus, rei rem debemus. Itaque, quamuis rettulisse
illum gratiam dicamus, qui beneficium libenter accipit, iubemus
tamen et simile aliquid ei, quod accepit, reddere. A consuetudine 2
quaedam, quae dicimus, abhorrent, deinde alia uia ad consuetu-

---

1 fec̃ **N**[1] *expl.* **N**[2] 3 ex aequo posuit. Deinde *Mg.* ex aequo post deinde **N**; *ug. interp. ante* post 5 durum *ug.* aurum **N**[1]; **N**[2](?) *adscr.* aerũ l. auarũ 6 commodaueris *ug.* commendaueris **N** 8 ñ **N** 11 ut singulis **N**[2] & singulis **N**[1] 12 uirtus *add. ug. ex nonn.* **D**; *sed uereor, ne locus sic non plane sanatus sit* iuste cont. *Mg.* iusta cont. **N** 13 replendorum **N**[1] *corr.* **N**[2] 14 tam̃ **N** 14 contemptu **N** *corr. ug.* 21 dispiciens **N**[1] *corr.* **N**[2] 22 benefic. a **N** (i *eras.*) 23 domus **N**[2] damus **N**[1] 27 refugat **N**[1] *corr.* **N**[2] 28 excipimus **N** excepimus *Wsbg.* 29 sed *unus* **D** (*prob. Gt.*); et **N** uolemus **N**; uolumus *ug.* 31 accipit **N**[1] accepit **N**[2] 32 accepit **N**[2] accipit **N**[1] 33 abhorren **N**[1] *corr.* **N**[2]

dinem redeunt: negamus iniuriam accipere sapientem, tamen, qui illum pugno percusserit, iniuriarum damnabitur; negamus stulti *quidquam* esse, et tamen eum, qui rem aliquam stulto subripuerit, furti condemnabimus; insanire omnes dicimus, nec omnes curamus elleboro; his ipsis, quos uocamus insanos, et suffragium et 5
3 iuris dictionem conmittimus. Sic dicimus eum, qui beneficium bono animo accipit, gratiam rettulisse, nihilo minus illum in aere alieno relinquimus gratiam relaturum, etiam cum rettulit. Exhortatio est illa, non infitiatio *beneficii, ne* beneficia timeamus, neue *ut* intolerabili sarcina pressi deficiamus animo. „Bona mihi donata 10
sunt et fama defensa, detractae sordes, spiritus *seruatus* et libertas spiritu potior est: quomodo referre gratiam potero? quando ille
4 ueniet dies, quo illi animum meum ostendam?" Hic ipse est, quo ille suum ostendit. Excipe beneficium, amplexare, gaude, non quod accipias, sed quod reddas debiturusque sis; non adibis tam magnae 15
rei periculum, ut casus ingratum facere te possit. Nullas tibi proponam difficultates, ne despondeas animum, ne laborum ac longae seruitutis expectatione deficias; non differo te, de praesen-
5 tibus fiat. Numquam eris gratus, nisi statim es. Quid ergo facies? non arma sumenda sunt: [et] fortasse erunt; non maria 20
emetienda: fortasse etiam uentis minantibus solues. Uis reddere beneficium? benigne accipe; rettulisti gratiam, non ut soluisse te putes, sed ut securior debeas.

---

3 quidquam *ex uno* D *et Uinc. Bellou.* (*Sp. H. VI, 28*) *add. Fickert; om.* N[1]; aliquid *add.* N[2](?) subripuit N *corr. ug.* 5 quos N[2] quod N[1] 7 accipit N accepit *ug.* 9 infitiatio beneficii, ne beneficia timeamus *scripsi;* infitiatio beneficia (N[2] beneficii) timeamus N[1] neue ut *scripsi;* neuel N 11 sps N seruatus *add. He.; om.* N 12 spu N est N[1] et N[2]; *de toto h. l. uid. Adn.* 16 possit N[2] posse N 17 animum *edd. ant.* animo N 20 et *deleuit Wsbg.* 21 eme . t . enda N (*fuit* ementienda)

Subscriptio (*litt. rubr.*) L. ANNEI SENECAE INSTITUTIONIS ‖ ORATORIAE LIB. II. EXPL: | INCP. LIB. III. FELICITER:

L. ANNAEI SENECAE

AD

AEBUTIUM LIBERALEM

DE BENEFICIIS

LIBER III.

Non referre beneficiis gratiam et est turpe et apud omnes I, 1
habetur, Aebuti Liberalis; ideo de ingratis etiam ingrati queruntur, cum interim hoc omnibus haeret, quod omnibus displicet, adeoque in contrarium itur, ut quosdam habeamus infestissimos
5 non post beneficia tantum sed propter beneficia. Hoc prauitate 2
naturae accidere quibusdam non negauerim; pluribus, quia memoriam tempus interpositum subducit. Nam quae recentia apud illos uiguerunt, ea interiecto spatio obsolescunt; de quibus fuisse mihi tecum disputationem scio, cum tu illos non ingratos uocares
10 sed *oblitos*, tamquam ea res ingratum excuset, quae facit, aut, quia hoc accidit alicui, non sit ingratus, cum hoc non accidat nisi ingrato. Multa sunt genera ingratorum, ut furum, ut homicida- 3
rum, quorum una culpa est, ceterum in partibus uarietas magna; ingratus *est*, qui beneficium accepisse se negat, quod accepit, in-
15 gratus est, qui dissimulat, ingratus, qui non reddit, ingratissimus omnium, qui oblitus est. Illi enim si non soluunt, tamen debent, 4
et extat apud illos uestigium certe meritorum intra malam conscientiam inclusorum; aliquando ad referendam gratiam conuerti ex *ali*qua causa possunt, si illos pudor admonuerit, si subita ho-

---

1 Non referre beneficiis *rubr. scr.* N 3 hoc N^2 hec N^1 6 accedere N^1 *corr.* N^2 7 nam quę recentia N^2 nam querentia N^1 8 interiecto N^2 inter iact. o (i *eras.*) N^1 obselescunt N^1 *corr.* N^2 13 partibus N paribus *Koch* 14 est *add.* N^3 16 debẽt N^1 *corr.* N^2

nestae rei cupiditas, qualis solet ad tempus etiam in malis pectoribus exsurgere, si inuitauerit facilis occasio; hic numquam fieri gratus potest, cui beneficium totum elapsum est. Et utrum tu peiorem uocas, apud quem gratia beneficii intercidit, an apud
5 quem etiam memoria? Uitiosi oculi sunt, qui lucem reformidant, 5
caeci, qui non uident; et parentes suos non amare inpietas est, non adgnoscere insania.

II, 1 Quis tam ingratus est, quam qui, quod in prima parte animi positum esse debuit et semper occurrere, ita seposuit et abiecit, ut *in* ignorantiam uerteret? adparet illum non saepe de reddendo 10
2 cogitasse, cui obrepsit obliuio. Denique ad reddendum gratia et uirtute opus est et tempore et facultate et adspirante fortuna; qui meminit, et sine inpendio gratus est. Hoc, quod non operam exigit, non opes, non felicitatem, qui non praestat, nullum habet, quo lateat, patrocinium; numquam enim uoluit gratus esse, qui 15
beneficium tam longe proiecit, ut extra conspectum suum poneret.
3 Quemadmodum, quae in usu sunt et manum cotidie tactumque patiuntur, numquam periculum situs adeunt, illa, quae ad oculos non reuocantur sed extra conuersationem ut superuacua iacuerunt, sordes ipsa conligunt uetustate, ita, quidquid frequens *cogi-* 20
tatio exercet *et* renouat, memoriae numquam subducitur, quae nihil perdit, nisi ad quod non saepe respexit.

III, 1 Praeter hanc causam aliae quoque sunt, quae nobis merita non numquam maxima euellant. Prima omnium ac potentissima, quod nouis semper cupiditatibus occupati non, quid habeamus, 25
sed quid petamus, *spectamus*; in id, quod adpetitur, intentis, quid-
2 quid est domi, uile est. Sequitur autem, ut, ubi quod acceperis leue nouorum cupiditas fecit, auctor quoque eorum non sit in pretio. Amauimus aliquem et suspeximus et fundatum ab illo statum nostrum professi sumus, quamdiu nobis placebant ea, quae 30
consecuti sumus; deinde inrupit animum aliorum admiratio, et ad ea inpetus factus est, uti mortalibus mos est ex magnis maiora cupiendi: protinus excidit, quidquid ante apud nos beneficium uocabatur, nec ea intuemur, quae nos aliis praeposuere, sed ea

---

1 *post* cupiditas *Wsbg.* inpulerit *aut simile uerbum excidisse putat* 4 intercedit **N**[1] *corr.* **N**[2] 10 in *add.* **N**[2] 11 obrepsit **N**[3] oppress& **N**[1] oprepsit **N**[2] reddendum **N**[1] reddendam **N**[2] gratia *scripsi;* gratiam **N** 12 uirtute. **N** (m *eras.*) 13 meminit |||| sine **N**; *in ras. fort. fuit &, quod addidi* 21 exercet et renouat *scripsi;* exercet renouat **N**[1]; ac *add.* **N**[2] 23 Praeter |||| hanc **N**; *in ras. fuit* ea 24 maxima euellant **N**[2] maximebellant **N**[1] 25 nobis **N**[1] *corr.* **N**[2] 26 spectamus *add. Mg.* quod adpetit' **N**[1] 30 sum . us (m *eras.*) **N**; *sic saepe* 31 inrupit *scripsi ex uno* **D**; inrumpit **N**

sola, quae fortuna praecedentium ostentat. Non potest autem 3
quisquam et inuidere et gratias agere, quia inuidere querentis et
maesti est, gratias agere gaudentis. Deinde quia nemo nostrum 4
nouit nisi id tempus, quod cum maxime transit, ad praeterita rari
5 animum retorquent; sic fit, ut praeceptores eorumque beneficia
intercidant, quia totam pueritiam reliquimus; sic fit, ut in adu-
lescentiam nostram conlata pereant, quia ipsa numquam retracta-
tur. Nemo, quod fuit, tamquam in praeterito sed tamquam in
perdito ponit, ideoque caduca memoria est futuro inminentium.
10 Hoc loco reddendum est Epicuro testimonium, qui adsidue IV, 1
queritur, quod aduersus praeterita simus ingrati, quod, quaecum-
que percepimus bona, non reducamus nec inter uoluptates nume-
remus, cum certior nulla sit uoluptas, quam quae iam eripi non
potest. Praesentia bona nondum tota in solido sunt, potest illa 2
15 casus aliquis incidere; futura pendent et incerta sunt; quod prae-
teriit, inter tuta sepositum est. Quomodo gratus esse quisquam
aduersus beneficia potest, qui omnem uitam suam transsilit prae-
sentium totus ac futurorum? Memoria gratum facit; memoriae
minimum tribuit, quisquis spei plurimum.
20 Quemadmodum, mi Liberalis, quaedam res semel perceptae V, 1
haerent, quaedam, ut scias, non est satis didicisse (intercidit enim
eorum scientia, nisi continuetur), geometriam dico et sublimium
cursum et si qua alia propter subtilitatem lubrica sunt, ita bene-
ficia quaedam magnitudo non patitur excidere, quaedam minora
25 sed numero plurima et temporibus diuersa effluunt, quia, ut dixi,
non subinde illa tractamus nec libenter, quid cuique debeamus,
recognoscimus. Audi uoces petentium: nemo non uicturam sem- 2
per in animo suo memoriam dixit, nemo non deditum se et de-
uotum professus est, et si quod aliud humilius uerbum, quo se
30 obpigneraret, inuenit. Post exiguum tempus idem illi uerba
priora quasi sordida et parum libera euitant; perueniunt deinde
eo, quo, ut ego existimo, pessimus quisque atque ingratissimus
peruenit, obliuiscuntur. Adeo enim ingratus est, qui oblitus est,
ut ingratus sit, cui beneficium in mentem uenit.

---

5 eorum qui N^1 *corr.* N^2 7 collatam N^1 *corr.* N^2 15 aliquid N^1 *corr.* N^2 incedere N^1 *corr.* N^2 18 totus *Salmasius;* tutos N^1 tutor N^2 futuroR| N 22 continuetur *ug.* continetur N^1 contineatur N^2; continuatur *malit Wsbg.; ego malim* intercidat (*uel* intercidet) — continuetur *scribere* sublimium cursum N^1; astronomiã *adscr.* N^2(?) 24 excedere N^1 *corr.* N^2 30 obpigneraret *nonnulli* D *et ug.* obpignerit N^1 obpigneret N^2, *ut uid.* idem illi N^1; *adscr.* N^2(?) petitores 33 peruenit, obliuiscuntur *scripsi;* peruenit, obliuiscantur N^1; ut *inser.* N^2 *ut ug.* 34 ut ingratus N^1 ut ñ ingr. N^2(?)

VI, 1 Hoc tam inuisum uitium an inpunitum esse debeat, quaeritur, et an haec lex, quae in scholis exercetur, etiam in ciuitate ponenda sit, qua ingrati datur actio; quae uidetur aequa omnibus. „Quidni? cum urbes quoque urbibus, quae praestitere, expro-
2 brent et *in* maiores conlata a posteris exigant.“ Nostri maiores, maximi scilicet uiri, ab hostibus tantum res repetierunt, beneficia magno animo dabant, magno perdebant; excepta Macedonum gente non est in ulla data aduersus ingratum actio. Magnumque hoc argumentum est dandam non fuisse, quia aduersus maleficium omnes consensimus, et homicidii, ueneficii, parricidii, uiolatarum religionum aliubi atque aliubi diuersa poena est sed ubique aliqua, hoc frequentissimum crimen nusquam punitur, ubique inprobatur; neque absoluimus illud, sed cum difficilis esset incertae rei aestimatio, tantum odio damnauimus et inter ea reliquimus, quae ad iudices deos mittimus.

VII, 1 Rationes autem multae mihi occurrunt, propter quas crimen hoc in legem cadere non debeat. Primum omnium pars optima beneficii perit, si actio sicut certae *creditae* pecuniae aut ex conducto et locato datur. Hoc enim in illo speciosissimum est, *quod* dedimus uel perdituri, quod totum permisimus accipientium arbitrio; si adpello, si ad iudicem uoco, incipit non beneficium esse
2 sed creditum. Deinde cum res honestissima sit referre gratiam, desinit esse honesta, si necessaria est; non magis enim laudabit quisquam gratum hominem quam eum, qui depositum reddidit
3 aut, quod debebat, citra iudicem soluit. Ita duas res, quibus in uita humana nihil pulchrius est, conrumpimus, gratum hominem et beneficum; quid enim aut in hoc magnificum est, si beneficium non dat sed commodat, aut in illo, qui reddit, non quia uult, sed quia necesse est? Non est gloriosa res gratum esse, nisi tutum
4 est ingratum fuisse. Adice nunc, quod huic uni legi omnia fora uix sufficient. Quis erit, qui non agat? quis, cum quo non agatur? omnes sua extollunt, omnes etiam minima, quae in alios
5 contulere, dilatant. Praeterea, quaecumque in cognitionem cadunt, conprendi possunt et non dare infinitam licentiam iudici; ideo

---

1 Hoc tam *Mt.* Hoc tamen **N** 2 ins|cholis **N**[1] *corr.* **N**[2]; **N**[2](?) *adscr.:* l. solis 3 uidet'| **N** 5 et in mai. *Gt.* et maioris **N**[1] (maiores **N**[2] *ut uid.*); et maioribus *Pinc.* 6 res repetierunt *Mt.;* aes petierunt **N** 7 Machedonum **N**[1] *corr.* **N**[2]; Medorum *coni. Mt.* (*cl. Xenoph. Cyrop. I, 2, 7*), *sed u. Fickert* 8 innulla **N**[1] *corr.* **N**[2] *ut uid.* 9 dandum **N**[1] *corr.* **N**[2] 10 omnes *scripsi;* omne **N** beneficii **N**[1] *corr.* **N**[2] 12 inprobat'| **N** 13 obsoluimus **N**, *corr. fort.* **N**[1] 18 perit *scripsi;* periit **N** certae creditae *scripsi;* creditae *coni. Er.* certe **N** certę **N**[2] 23 laudabit **N**[2] laudauit **N**[1] 27 et beneficium **N** *corr. Pinc.* 34 conprendi **N**[1] conprehendi **N**[2] iudici *ug.* iudicii **N**

melior uidetur condicio causae bonae, si ad iudicem quam si ad arbitrum mittitur, quia illum formula includit et certos, quos non excedat, terminos ponit, huius libera et nullis adstricta uinculis religio et detrahere aliquid potest et adicere et sententiam suam, non prout lex aut iustitia suadet, sed prout humanitas aut misericordia inpulit, regere. Ingrati actio non erat iudicem adligatura 6 sed *in* regno liberrimo positura. Quid sit enim beneficium, non constat, deinde, quantum sit; refert, quam benigne illud interpretetur iudex. Quid sit ingratus, nulla lex monstrat; saepe et qui reddidit, quod accepit, ingratus est, et qui non reddidit, gratus. De quibusdam et inperitus iudex demittere tabellam potest, 7 ubi fecisse aut non fecisse pronuntiandum est, ubi prolatis cautionibus controuersia tollitur, ubi inter disputantes ratio ius dicit; ubi uero animi coniectura capienda est, ubi id, de quo sola sapientia decernit, in controuersiam incidit, non potest sumi ad haec iudex ex turba selectorum, quem census in album et equestris hereditas misit.

Itaque non haec parum idonea res uisa est, quae deducere- VIII, 1 tur ad iudicem, sed nemo huic rei satis idoneus iudex inuentus est; quod non admiraberis, si excusseris, quid habiturus fuerit difficultatis, quisquis in eiusmodi reum exisset. Donauit aliquis 2 magnam pecuniam, sed diues, sed non sensurus inpendium; donauit alius, sed toto patrimonio cessurus; summa eadem est, beneficium idem non est. Etiamnunc adice: hic pecuniam pro addicto dependit, sed cum illam domo protulisset; ille dedit eandem, sed mutuam sumpsit aut rogauit et se obligari ingenti merito passus est; eodem existimas loco esse illum, qui beneficium ex facili largitus est, et hunc, qui accepit, ut daret? Tempore quaedam 3 *magna fiunt*, non summa: beneficium est donata possessio, cuius fertilitas laxare possit annonam, beneficium est unus in fame panis; beneficium est donare regiones, per quas magna flumina et nauigabilia decurrant, beneficium est arentibus siti et uix spiritum per siccas fauces ducentibus monstrare fontem. Quis inter se ista conparabit? quis expendet? Difficilis est sententia, quae non rem sed uim rei quaerit; eadem licet sint, aliter data non idem pendent. Dedit hic mihi beneficium, sed non libenter, sed 4

---

1 qua si N *corr. ug.* 6 allegatura N *corr. ug.* 7 in *add. Mg. et Wsbg.* 11 demittere N^1, *ut uoluit L.;* dimittere N^2 13—14 tollitur, ubi..dicit; ubi uero animi *scripsi cum* N; *uid. Adn.* 20 quid N^2 quod N^1; *fort.* quot ... difficultates 28 accipit N *corr. ug.* 31 ponis N^1 *corr.* N^2 32 arientibus N^1 *corr.* N^2 34 conparauit N^1 *corr.* N^2 expendit N *corr. ug.* quę N^2 quem N^1 36 pendent N^1 pendunt N^2(?)

dedisse se questus est, sed superbius me, quam solebat, adspexit, sed tam tarde dedit, ut plus praestaturus fuerit, si cito negasset: horum quomodo iudex inibit aestimationem, cum sermo et dubitatio et uultus meriti gratiam destruant?

IX, 1 Quid, quod quaedam beneficia uocantur, quia nimis concupiscuntur, quaedam non sunt ex hac uulgari nota sed maiora, 2 etiam si minus adparent? Beneficium uocas dedisse potentis populi ciuitatem, in quatuordecim deduxisse et defendisse capitis reum; quid utilia suasisse? quid retinuisse, ne in scelus rueret? quid gladium excussisse morituro? quid efficacibus remediis lugentem et, quos desiderabat, uolentem sequi ad uitae consilium reduxisse? quid adsedisse aegro et, cum ualetudo eius ac salus momentis constaret, excepisse idonea cibo tempora et cadentes 3 uenas uino refecisse et medicum adduxisse morienti? Haec quis aestimabit? quis dissimilibus beneficiis iubebit beneficia pensari? „Donaui tibi domum"; sed ego tuam supra te ruere praedixi. „Dedi tibi patrimonium"; sed ego naufrago tabulam. „Pugnaui pro te et uulnera excepi"; at ego uitam tibi silentio dedi. Cum aliter beneficium detur, aliter reddatur, paria facere difficile est.

X, 1 Dies praeterea beneficio reddendo non dicitur, sicut pecuniae creditae; itaque potest, qui nondum reddidit, reddere. Dic enim, 2 intra quod tempus deprendatur ingratus. Maxima beneficia probationem non habent, saepe intra tacitam duorum conscientiam latent; an hoc inducimus, ut non demus beneficia sine teste? 3 Quam deinde poenam ingratis constituimus? unam omnibus, cum disparia *beneficia* sint? inaequalem et pro cuiusque beneficio maiorem, minorem? Age, intra pecuniam uersabatur taxatio: quid, quod quaedam uitae beneficia sunt et maiora uita? His quae pronuntiabitur poena? Minor beneficio? iniqua est. Par et capitalis? quid inhumanius quam cruentos esse beneficiorum exitus?

XI, 1 „Quaedam" inquit „priuilegia parentibus data sunt; quomodo horum extra ordinem habita ratio est, sic aliorum quoque beneficorum haberi debet." Parentium condicionem sacrauimus, quia expediebat liberos tolli; sollicitandi ad hunc laborem erant

---

9 reuer& N^1 *corr.* N^2 10 excusisse N^1 *corr.* N^2 11 quos N^1; s *del.* N^2 13 momenti N *corr. fort.* N^1 15 aestimauit N^1 *corr.* N^2 16 donauit N *et* 17 dedit N; *corr. He.* 17 Pugnaui *He.* pugnabi N^1 pugnauit N^2 18 excepi: at N^2 excipiat N^1 22 deprendatur N^1 deprehendatur N^2 26 beneficia *add. ug.; om.* N inaequalem N; an inaeq. *ug.* 27 maiorem, minorem N mai. aut min. *ug.* uersabatur *scripsi;* uersabitur N 29 par|et N^2; pa|r& N^1 33 beneficorum *Koch* (*item Mg. et ego*); beneficiorum N parentium N^1 parentum N^2

incertam adituri fortunam. Non poterat illis dici, quod beneficia dantibus dicitur: „Cui des, elige; ipse tecum, si deceptus es, querere; dignum adiuua.“ In liberis tollendis nihil iudicio tollentium licet, tota res uoti est; itaque, ut aequiore animo adirent aleam, 5 danda aliqua illis potestas fuit, et, quia utile est iuuentuti regi, inposuimus illi quasi domesticos magistratus, sub quorum custodia contineretur. Deinde alia condicio parentium est, qui bene- 2 ficia, quibus dederunt, dant nihilo minus daturique sunt, nec est periculum, ne dedisse ipsos mentiantur; in ceteris quaeri debet, 10 non tantum an receperint, sed an dederint, horum in confesso merita sunt. Deinde omnium parentium unum erat beneficium, 3 itaque aestimari semel potuit; alia diuersa sunt, dissimilia, infinitis inter se interuallis distantia; itaque sub nullam regulam cadere potuerunt, cum aequius esset omnia relinqui quam omnia 15 aequari.

Quaedam magno dantibus constant, quaedam accipientibus XII, 1 magna sunt sed gratuita tribuentibus. Quaedam amicis data sunt, quaedam ignotis; plus est, quamuis idem detur, si ei datur, quem nosse a beneficio tuo incipis. Hic auxilia tribuit, ille ornamenta, 20 ille solatia. Inuenies, qui nihil putet esse iucundius, nihil maius 2 quam habere, in quo calamitas adquiescat; inuenies rursus, qui dignitati suae quam securitati consuli malit; est, qui plus ei debere se iudicet, per quem tutior est, quam ei, per quem honestior. Proinde ista maiora aut minora erunt, prout fuerit iudex ad haec 25 aut illa inclinatus animo. Praeterea creditorem mihi ipse eligo, 3 beneficium saepe ab eo accipio, a quo nolo, et aliquando ignorans obligor: quid facies? ingratum uocabis eum, *quoi* beneficium inscio et, si scisset, non accepturo inpositum est, *si* utcumque acceptum non reddidit? Aliquis dedit mihi beneficium, 4 30 sed *idem* postea fecit iniuriam: utrum uno munere ad patientiam iniuriarum omnium adstringor, an perinde erit, ac si gratiam rettulerim, quia beneficium suum ipse insequenti iniuria rescidit?

5—7 *Uerba* et quia ... contineretur *huc transposui; in* N *scribuntur post* merita sunt *u. 11* utile est N^1 utile esse N^3 6 magistratos N *corr.* N^1 sed quorum N, *corr. ug.; fort.* et quorum 7 parentium N^1 parentum N^2; *item u. 11* qui beneficia N^2(?) q; beneficia N^1 8 dant N^2 danti N^1 9 nec dedisse N^1 *corr.* N^2 14 cum aequius N; *fort.* ut aequius omã (*i. e.* omnia) N; *sic multis locis* 19 ormenta N^1 *corr.* N^2 21 inueni& N^1 *corr.* N^2 22 malit; est qui *Er.* malit & qui N 24 iudex ad haec aut illa *scripsi;* iudex aut ||| ec (*fuisse uid.* haec) aut illa N^1; iudex aut in hęc aut in illa N^2 25 ipse N^2 ipso N^1 27 quoi (cui) *add. ug.* 28 scisses N^1 *corr.* N^2 est, si utcumque *scripsi;* est? non uocabis eum qui utcumque N; *de toto hoc loco uid. Adn.* 31 r&tullerim N^1; *prius* l *del.* N^2

Quomodo deinde aestimabis, utrum plus sit, quod accepit, an quo laesus est? Dies me deficiet omnes difficultates persequi temptantem.

XIII, 1 „Tardiores" inquit „ad beneficia danda facimus non uindicando data nec infitiatores eorum adficiendo poena." Sed illud quoque tibi e contrario occurrat, multo tardiores futuros ad accipienda beneficia, si periculum causae dicundae adituri erunt et
2 innocentiam sollicitiore habituri loco. Deinde erimus per hoc ipsi quoque ad danda tardiores; nemo enim libenter dat inuitis, sed quicumque ad bene faciendum bonitate inuitatus est et ipsa pulchritudine rei, etiam libentius dabit nihil debituris nisi quod uolent. Minuitur enim gloria eius officii, cui diligenter cautum est.

XIV, 1 Deinde pauciora erunt beneficia sed ueriora; quid autem mali est inhiberi beneficiorum temeritatem? Hoc enim ipsum secuti sunt, qui nullam legem huic constituerunt, ut circumspectius donaremus, circumspectius eligeremus eos, in quos merita
2 conferuntur. Etiam atque etiam, cui des, considera; nulla actio erit, nulla repetitio. Erras, si existimas succursurum tibi iudicem; nulla lex te in integrum restituet, solam accipientis fidem specta. Hoc modo beneficia auctoritatem suam tenent et magnifica sunt;
3 pollues illa, si materiam litium feceris. Aequissima uox est et ius gentium prae se ferens: „Redde, quod debes"; haec turpissima est in beneficio: „Redde!" Quid? reddet uitam, qui debet? digni-
4 tatem? securitatem? sanitatem? Reddi maxima quaeque non possunt. „At pro iis" inquit „aliquid, quod tanti sit." Hoc est, quod dicebam, interituram tantae rei dignitatem, si beneficium mercem facimus. Non est inritandus animus ad auaritiam, ad querellas, ad discordiam; sua sponte in ista fertur. Quantum possumus, resistamus et quaerenti occasiones amputemus.

XV, 1 Utinam quidem persuadere possemus, ut pecunias creditas tantum a uolentibus acciperent! utinam nulla stipulatio emptorem uenditori obligaret, nec pacta conuentaque inpressis signis custodirentur, fides potius illa seruaret et aequum colens animus!

---

1 accepit, an quo *scripsi;* accepit in quo **N**[1] acc. aut in quo **N**[2]; acc. an id quo *Pinc.* 2 diffici& **N** *corr. ug.* 7 dicundae **N**[1] dicendae **N**[2](?) 16 huic **N**, *fort.* huic rei 18 conferuntur **N**; conferrentur *Pinc., fort. recte* 19 tibi **N**[3] sibi **N**[1] 22 materia m·litium **N** (*in ras.* i *fuisse uid.*) 24 reddet *ug.* reddit **N** qui *unus* **D**; quam **N**; qui eam *malit Wsbg.* 26 At **N**; Aut *ug.* iis **N**[1] hiis **N**[2] 29 querellas **N**[1] querelas **N**[2]; *sic plerumque* 30 quaerenti *ug.* querenti **N**; querendi *Pinc. et Mt., fort. recte* 31 possimus **N**[1] *corr.* **N**[2] 34 aecum **N**[1] *corr.* **N**[2]; *sic saepe*

Sed necessaria optimis praetulerunt et cogere fidem quam ex- 2
pectare maluerunt. Adhibentur ab utraque parte testes; ille per
tabulas plurium nomina interpositis parariis facit; ille non est
interrogatione contentus, nisi reum manu sua tenuit. O turpem 3
5 humani generis fraudis ac nequitiae publicae confessionem! anu-
lis nostris plus quam animis creditur. In quid isti ornati uiri
adhibiti sunt? in quid inprimunt signa? nempe ne ille neget ac-
cepisse se, quod accepit. Hos inconruptos uiros et uindices ueri-
tatis existimas? at his ipsis non aliter statim pecuniae conmit-
10 tentur. Ita non honestius erat a quibusdam fidem falli quam ab
omnibus perfidiam timeri? Hoc unum deest auaritiae, ut bene- 4
ficia sine sponsore non demus. Generosi animi est *et* magnifici
iuuare, prodesse; qui dat beneficia, deos imitatur, qui repetit,
feneratores. Quid illos, dum uindicamus, in turbam sordidissimam
15 redigimus?

„Plures" inquit „ingrati erunt, si nulla aduersus ingra- XVI, 1
tum datur actio." Immo pauciores, quia maiore dilectu dabuntur
beneficia. Deinde non expedit notum omnibus fieri, quam multi
ingrati sint; pudorem enim rei tollet multitudo peccantium, et
20 desinet esse probri loco commune maledictum. Numquid iam 2
ulla repudio erubescit, postquam inlustres quaedam ac nobiles
feminae non consulum numero sed maritorum annos suos conpu-
tant et exeunt matrimonii causa, nubunt repudii? Tamdiu istuc
timebatur, quamdiu rarum erat; quia nulla sine diuortio acta
25 sunt, quod saepe audiebant, facere didicerunt. Numquid iam ullus 3
adulterii pudor est, postquam eo uentum est, ut nulla uirum ha-
beat, nisi ut adulterum inritet? Argumentum est deformitatis
pudicitia. Quam inuenies tam miseram, tam sordidam, ut illi satis
sit unum adulterorum par, nisi singulis diuisit horas? et non suf-
30 *ficit dies* omnibus, nisi apud alium gestata est, apud alium man-
sit. Infrunita et antiqua est, quae nesciat matrimonium uocari
unum adulterium. Quemadmodum horum delictorum iam euanuit 4
pudor, postquam res latius euagata est, ita ingratos plures efficies
et tutiores, si numerare se coeperint.

35 „Quid ergo? inpunitus erit ingratus?" Quid ergo, inpu- XVII, 1

---

1 expectare *scripsi ex uno* D (*idem Koch uoluit*); spectare N 2 maluerunt *L.* malunt N 3 pararis N¹ *corr.* N² 5 generis fraudis *Er.* generis & fraudis N 12 et *add.* N²(?) 14 illos N¹ illa N³ 15 redigemus N¹ *corr.* N² 17 dilectu N¹ delectu N² *ut uid.* 21 ulla N; *adscr.* s. femina N²(?) inlustres quedam N; inl. quidem *coni. P. Faber* 29 singulis N; singulas singulis *coni. Wsbg.* 30 alium N²(?) aliut N¹ 34 tutiores *scripsi;* auitores N auitiores N¹; audaciores *ug.* ceperint N¹ *corr.* N²

nitus erit inpius? quid malignus? quid auarus? quid inpotens? quid crudelis? Inpunita tu credis esse, quae inuisa sunt, aut
2 ullum supplicium grauius existimas publico odio? Poena est, quod non audet ab ullo beneficium accipere, quod non audet ulli dare, quod omnium designatur oculis aut designari se iudicat, 5 quod intellectum rei optimae ac dulcissimae amisit. An tu infelicem uocas, qui caruit acie, cuius aures morbus obstruxit, non uocas miserum eum, qui sensum beneficiorum amisit?
3 Testes ingratorum omnium deos metuit, urit illum et angit intercepti beneficii conscientia; denique satis haec ipsa poena 10 magna est, quod rei, ut dicebam, iucundissimae fructum non percipit. At quem iuuat accepisse, aequali perpetuaque uoluptate fruitur et animum eius, a quo accepit, non rem intuens gaudet. Gratum hominem semper beneficium delectat, ingratum semel.
4 Conparari autem potest utriusque uita, cum alter tristis sit et 15 sollicitus, qualis esse infitiator ac fraudulentus solet, apud quem non parentium, qui debet, honor est, non educatoris, non praeceptorum, alter laetus, hilaris, occasionem referendae gratiae expectans et ex hoc ipso adfectu gaudium grande percipiens nec quaerens, quomodo decoquat, sed quemadmodum plenius uberi- 20 usque respondeat non solum parentibus *aut* amicis sed humilioribus quoque personis? Nam etiam si a seruo suo beneficium accepit, aestimat, non a quo, sed quid acceperit.

XVIII, 1 Quamquam quaeritur a quibusdam, sicut ab Hecatone, an beneficium dare seruus domino possit. Sunt enim, qui ita distin- 25 guant, quaedam beneficia esse, quaedam officia, quaedam ministeria; beneficium esse, quod alienus det (alienus est, qui potuit sine reprehensione cessare); officium esse filii, uxoris, earum personarum, quas necessitudo suscitat et ferre opem iubet; ministerium esse serui, quem condicio sua eo loco posuit, ut nihil 30 eorum, quae praestat, inputet superiori.**

2 Praeterea seruum qui negat dare aliquando domino beneficium, ignarus est iuris humani; refert enim, cuius animi sit, qui praestat, non cuius status. Nulli praeclusa uirtus est; omnibus patet, omnes admittit, omnes inuitat, et ingenuos et libertinos 35

---

7 caruit aciae **N**[1]; *corr.* acie *et add.* oculorum **N**[2] 13 accepit *ug.* accipit **N** 17 parentium **N**[1] parentum **N**[2] educatores **N**[1] *corr.* **N**[2]; educatorum *Pinc. ex suis codd.* 20 dequoquat **N**[1] *corr.* **N**[2] 21 parentibus aut amicis *scripsi;* parentibus amicis **N**[1]; et *inser.* **N**[2] 23 quid **N**; *ug.* quod 25 dn̄o **N**[1] *frequenti in hoc cod. conpendio;* domino **N**[2] 27 q̄d **N** 28 fili **N**[1] *corr.* **N**[2] earum **N**[1] earumq; **N**[2](?) 31 *Lacunam notauit L.* 32 dn̄o **N** 35 et ing. et lib. **N**; ing., lib. *ug.*

et seruos et reges et exules; non eligit domum nec censum, nudo homine contenta est. Quid enim erat tuti aduersus repentina, quid animus magnus promitteret sibi certum, si uirtutem fortuna amitteret? Si non dat beneficium seruus domino, nec regi quis- 3
5 quam suo nec duci suo miles; quid enim interest, quali quis teneatur imperio, si summo tenetur? Nam si seruo, quo minus in nomen meriti perueniat, necessitas obstat et patiendi ultima timor, idem istuc obstabit et ei, qui regem habet, et ei, qui ducem, quoniam sub dispari titulo paria in illos licent. Atqui dant regibus
10 suis, dant imperatoribus beneficia: ergo et dominis. Potest seruus 4 iustus esse, potest fortis, potest magni animi: ergo et beneficium dare potest; nam et hoc uirtutis est. Adeo quidem dominis serui beneficia possunt dare, ut ipsos saepe beneficii sui fecerint.

Non est dubium, quin seruus beneficium dare possit cui- XIX, 1
15 libet; quare ergo non et domino suo possit? „Quia non potest" inquit „creditor domini sui fieri, si pecuniam illi dederit. Alioqui cotidie dominum suum obligat: peregrinantem sequitur, aegro ministrat, rus eius labore summo colit; omnia tamen ista, quae alio praestante beneficia dicerentur, praestante seruo ministeria
20 sunt. Beneficium enim id est, quod quis dedit, cum illi liceret et non dare; seruus autem non habet negandi potestatem; ita non praestat sed paret, nec, id si fecit, iactat, quod non facere non potuit." Iam sub ista ipsa lege uincam et eo perducam seruum, 2 ut in multa liber sit; interim dic mihi, si tibi ostendero aliquem
25 pro salute domini sui sine respectu sui dimicantem et confossum uulneribus reliquias tamen sanguinis ab ipsis uitalibus fundentem et, ut ille effugiendi tempus habeat, moram sua morte quaerentem, hunc tu negabis beneficium dedisse, quia seruus est? Si tibi 3 ostendero aliquem, ut secreta domini prodat, nulla tyranni polli-
30 citatione conruptum, nullis territum minis, nullis cruciatibus uictum auertisse, quantum potuerit, suspiciones quaerentis et inpendisse spiritum fidei, hunc tu negabis beneficium domino dedisse, quia seruus est? Uide, ne eo maius sit, quo rarius est 4

---

1 et ser. et reg. et ex. N, s., r., e. *ug.* eligit N² (?) elegit N¹ 2 repentinam N¹ *corr.* N² 3 magnus prom. sibi certum, si uirt. fortuna amitteret *scripsi;* magnum promittere (N² promitteret) sibi, si certam uirtutem fortuna mitterit (N² mitteret) N¹; *uid. Adn.* 5 qualiquis N¹ quo aliquis N² 12 adeo quidem dominis *Fickert ex uno* D; adeo quidominis N, *sed* o *ex* e *corr.* N¹; adeoque dominis *ug.* 15 dn̄o N 16 dn̄i N alioqui N¹ alioquin N² 17 dn̄um N 18 ministrat, rus eius labore *Mg.* ministratur eius laborem N¹; *litteras* ur *exp.* N² 21 ita N¹ itaq; N² 22 nec, id si fecit, iactat *scripsi;* nec id se fecit iactat (se *supra uersum*) N¹; fecisse *corr.* N² 23 ipse N *corr.* N¹ 26 fundentem N, *sed* ntem *in ras. m. pr.* 32 tu *ug.* tune N

exemplum uirtutis in seruis, eoque gratius, quod, cum fere inuisa imperia sint et omnis necessitas gratuis, commune seruitutis odium in aliquo domini caritas uicit. Ita non ideo beneficium non est, quia a seruo profectum est, sed ideo maius, quia deterrere ab illo ne seruitus quidem potuit. 5

XX, 1 Errat, si quis existimat seruitutem in totum hominem descendere. Pars melior eius excepta est: corpora obnoxia sunt et adscripta dominis, mens quidem sui iuris, quae adeo libera et uaga est, ut ne ab hoc quidem carcere, cui inclusa est, teneri queat, quo minus impetu suo utatur et ingentia agat et in infini- 10
2 tum comes caelestibus exeat. Corpus itaque est, quod domino fortuna tradidit; hoc emit, hoc uendit; interior illa pars mancipio dari *non* potest. Ab hac quidquid uenit, liberum est; nec enim aut nos omnia iubere possumus, aut in omnia serui parere coguntur: contra rem publicam imperata non facient, nulli sceleri 15 manus commodabunt.

XXI, 1 Quaedam sunt, quae leges nec iubent nec uetant facere; in iis seruus materiam beneficii habet. Quam diu praestatur, quod a seruo exigi solet, ministerium est; ubi plus, quam quod seruo necesse est, beneficium est; ubi in adfectum amici transit, desinit 20
2 uocari ministerium. Est aliquid, quod dominus praestare seruo debeat, ut cibaria, ut uestiarium; nemo hoc dixit beneficium; at indulsit, liberalius educauit, artes, quibus erudiuntur ingenui, tradidit: beneficium est. Idem e contrario fit in persona serui; quidquid est, quod seruilis officii formulam excedit, quod non ex 25 imperio sed ex uoluntate praestatur, beneficium est, si modo tantum est, ut hoc uocari potuerit quolibet alio praestante.

XXII, 1 Seruus, ut placet Chrysippo, perpetuus mercenarius est. Quemadmodum ille beneficium dat, ubi plus praestat, quam in quod operas locauit, sic seruus ubi beneuolentia erga dominum 30 fortunae suae modum transiit et altius aliquid ausus, quod etiam felicius natis decori esset, spem domini antecessit, beneficium est
2 intra domum inuentum. An aequum tibi uidetur, quibus, si minus debito faciant, irascimur, non haberi gratiam, *si* plus debito solitoque fecerint? Uis scire, quando non sit beneficium? ubi 35 dici potest: „Quid, si nollet?“ Ubi uero id praestitit, quod nolle
3 licuit, uoluisse laudandum est. Inter se contraria sunt beneficium

---

10 agat N^2 ag& N^1; *fort.* agitet 13 non (ñ) *add.* N^2 15 remp. N (*uulg. conp.*) 18 iis N^1 his N^2 21 *malim* minister 30 quod N^1 quot N^2(?) 31 altus N^1 *corr.* N^2(?) 32 esset, spem *He.* esset & spem N 34—35 faciant.. fecerint N; faciunt.. fecerunt *malit Wsbg.* 34 si plus N^2; si *om.* N^1

et iniuria; potest dare beneficium domino, si a domino iniuriam accipere. Atqui de iniuriis dominorum in seruos qui audiat positus est, qui et saeuitiam et libidinem et in praebendis ad uictum necessariis auaritiam conpescat. Quid ergo? beneficium dominus
5 a seruo accipit? immo homo ab homine. Denique, quod in illius 4
potestate fuit, fecit: beneficium domino dedit; ne a seruo acceperis, in tua potestate est. Quis autem tantus est, quem non fortuna indigere etiam infimis cogat?

Multa iam beneficiorum exempla referam et dissimilia et XXIII, 1
10 quaedam inter se contraria. Dedit aliquis domino suo uitam, dedit mortem, seruauit periturum, et hoc si parum est, pereundo seruauit; alius mortem domini adiuuit, alius decepit. Claudius Qua- 2
drigarius in duodeuicesimo annalium tradit, cum obsideretur Grumentum et iam ad summam desperationem uentum esset, duos
15 seruos ad hostem transfugisse et operae pretium fecisse. Deinde urbe capta passim discurrente uictore illos per nota itinera ad domum, in qua seruierant, praecucurrisse et dominam suam ante egisse; quaerentibus, quaenam esset, dominam et quidem crudelissimam ad supplicium ab ipsis duci professos esse. Educ-
20 tam deinde extra muros summa cura celasse, donec hostilis ira consideret; deinde, ut satiatus miles cito ad Romanos mores rediit, illos quoque ad suos redisse et dominam sibi ipsos dedisse. Manu misit utrumque e uestigio illa nec indignata est ab iis se 3
uitam accepisse, in quos uitae necisque potestatem habuisset.
25 Potuit sibi hoc uel magis gratulari; aliter enim seruata munus notae et uulgaris clementiae habuisset, sic seruata nobilis fabula et exemplum duarum urbium fuit. In tanta confusione captae 4
ciuitatis cum sibi quisque consuleret, omnes ab illa praeter transfugas fugerunt; at hi, ut ostenderent, quo animo facta esset prior
30 illa transitio, a uictoribus ad captiuam transfugerunt personam parricidarum ferentes; quod in illo beneficio maximum fuit, tanti iudicauerunt, ne domina occideretur, uideri dominam occidisse. Non est, mihi crede, non est seruilis animi egregium factum fama sceleris emisse.

35 Uettius, praetor Marsorum, ducebatur ad Romanum impera- 5
torem; seruus eius gladium militi ipsi, a quo trahebatur, eduxit

---

8 indicere N¹ *corr.* N³ infimis *ug.* infirmis N 9 exempla N genera D, *si uere trad. Fickert* 13 duodeuicensimo N 18 ante N¹ ante se N² 21 satiatum N¹ *corr.* N² 23 iis *Wsbg. et unus* D his N 25 minus N, *sed* i *ex corr.* 29 hi N¹ hii N² 33 non est seruilis *unus* D *et aliquot edd.;* non dico seruilis N; *quid lateat, nescio* 34 emisissae *fuit in* N, *sed corr. radendo.* 35 Uettius *ug.* U&tenus N imp. N¹ impm N²; imperium *aliquot* D, *quod def. L.*

et primum dominum occidit, deinde: „Tempus est“ inquit „me et mihi consulere; iam dominum manu misi“, atque ita traiecit se uno ictu. Da mihi quemquam, qui magnificentius dominum seruauerit.

XXIV,1 Corfinium Caesar obsidebat, tenebatur inclusus Domitius; imperauit medico eidemque seruo suo, ut sibi uenenum daret. Cum tergiuersantem uideret: „Quid cunctaris“ inquit, „tamquam in tua potestate totum istud sit? mortem rogo armatus.“ Tum ille promisit et medicamentum innoxium bibendum illi dedit; quo cum sopitus esset, accessit ad filium eius et: „Iube“ inquit „me adseruari, dum ex euentu intellegas, an uenenum patri tuo dederim.“ Uixit Domitius et seruatus a Caesare est; prior tamen illum seruus seruauerat.

XXV,1 Bello ciuili proscriptum dominum seruus abscondit et, cum anulos eius sibi aptasset ac uestem induisset, speculatoribus occurrit nihilque se deprecari, quo minus imperata peragerent, dixit et deinde ceruicem porrexit. Quanti uiri est pro domino eo tempore mori uelle, quo rara erat fides dominum mori nolle! in publica crudelitate mitem inueniri, in publica perfidia fidelem! cum praemia proditionis ingentia ostendantur, praemium fidei mortem concupiscere!

XXVI,1 Nostri saeculi exempla non praeteribo. Sub Tib. Caesare fuit accusandi frequens et paene publica rabies, quae omni ciuili bello grauius togatam ciuitatem confecit; excipiebatur ebriorum sermo, simplicitas iocantium; nihil erat tutum; omnis saeuiendi placebat occasio, nec iam reorum expectabatur euentus, cum esset unus. Cenabat Paulus praetorius in conuiuio quodam ima-
2 ginem Tib. Caesaris habens ectypa et eminente gemma. Rem ineptissimam fecero, si nunc uerba quaesiero, quemadmodum dicam illum matellam sumpsisse; quod factum simul et Maro ex notis illius temporis uestigatoribus notauit, et seruus eius, quoi nectebantur insidiae, ei ebrio anulum extraxit. Et cum Maro conuiuas testaretur admotam esse imaginem obscenis et iam subscriptionem conponeret, ostendit in manu sua seruus anulum. Si quis hunc seruum uocat, et illum conuiuam uocabit.

---

1 occid*it* N, *sed* it N^2 *in ras.* 5 caesar N^1; iulius *adscr.* N^2 12 dederim N^2 dederi rn N^1 18 rara erat N^1 erat rara N^2 19 crudelitatem item N^1 crudelitate item N^2 22 tib. N^1 tiberio N^2 25 totum N^1 *corr.* N^2 28 tib. cae. N^1 tiberii caesaris N^2 ectipa N; ectypam *Mt.; fort.* ectypam eminente gemma 31 quoi *Gt.* (cui *Er.*); quo N 32 insidias N^1 *corr.* N^2 ebrio |||| N (*in ras. fuit* ex) 34 cōponerit N^1 cōponeret N^2 35 uocauit N^1 *corr.* N^2

Sub diuo Augusto nondum hominibus uerba sua periculosa XXVII,1
erant, iam molesta. Rufus, uir ordinis senatorii, inter cenam optauerat, ne Caesar saluus rediret ex ea peregrinatione, quam parabat; et adiecerat idem omnes et tauros et uitulos optare. Fue-
5 runt, qui illa diligenter audirent. Ut primum diluxit, seruus, qui cenanti ad pedes steterat, narrat, quae inter cenam ebrius dixisset, et hortatur, ut Caesarem occupet atque ipse se deferat. Usus 2
consilio descendenti Caesari occurrit et, cum malam mentem habuisse se pridie iurasset, id ut in se et in filios suos recciderct,
10 optauit et Caesarem, ut ignosceret sibi rediretque in gratiam secum, rogauit. Cum dixisset se Caesar facere: „Nemo“ inquit 3
„credet te mecum in gratiam redisse, nisi aliquid mihi donaueris“, petiitque non fastidiendam etiam a propitio summam et inpetrauit. Caesar ait: „Mea causa dabo operam, ne umquam tibi ira-
15 scar.“ Honeste fecit Caesar, quod ignouit, quod liberalitatem cle- 4
mentiae adiecit; quicumque hoc audierit exemplum, necesse est Caesarem laudet, sed cum seruum ante laudauerit. Non expectas, ut tibi narrem manu missum, qui hoc fecerat; nec tamen gratis: pecuniam pro libertate eius Caesar numerauerat.

20 Post tot exempla num dubium est, quin beneficium ali- XXVIII,1
quando a seruo dominus accipiat? Quare potius persona rem minuat, quam personam res ipsa cohonestet? Eadem omnibus principia eademque origo; nemo altero nobilior, nisi cui rectius ingenium et artibus bonis aptius. Qui imagines in atrio exponunt 2
25 et nomina familiae suae longo ordine ac multis stemmatum inligata flexuris in parte prima aedium conlocant, non noti magis quam nobiles sunt? Unus omnium parens mundus est, siue per splendidos siue per sordidos gradus ad hunc prima cuiusque origo *perducitur*. Non est, quod te isti decipiant, qui, cum maiores
30 suos recensent, ubicumque nomen inlustre *de*fecit, illo deum *in*fulciunt. Neminem despexeris, etiam si circa illum obsoleta sunt 3
nomina et parum indulgente adiuta fortuna. Siue libertini ante uos habentur siue serui siue exterarum gentium homines, erigite audacter animos et, quidquid in medio sordidi iacet, transsilite;
35 expectat uos in summo magna nobilitas. Quid superbia in tan- 4
tam uanitatem adtollimur, ut beneficia a seruis indignemur acci-

---

1 augo N¹ augusto N² 3 neces ||| N¹ *corr.* N² 7 caesarē N² caesar N¹ 9 recciderit N¹ *corr.* N² 12 credet *ug.* credit N 13 petiitque *unus* D *et Gt.* petitque N 17 caesar N¹ *corr.* N² Non N; Num *L.* 28 gratos N¹ *corr.* N² 30 recensent N² repensent N¹ defecit, illo deum infulciunt *Salmasius;* fecitillo deum fulgiunt N¹; fulciunt *corr.* N⁴; demū fugiunt *adscr.* N³ 33 habentur *ug.* habent N 32—33 fortuna. Siue .. homines, erigite *interp. L.;* fortuna, siue .. homines. Erigite *ug.*

pere et sortem eorum spectemus obliti meritorum? Seruum tu
quemquam uocas, libidinis et gulae seruus et adulterae, immo
adulterarum commune mancipium? Seruum uocas quemquam tu?
5 Quo tandem ab istis gerulis raperis cubile istud tuum circum-
ferentibus? quo te penulati isti, in militum quidem non uulgarem 5
cultum subornati, quo, inquam, te isti efferunt? ad ostium ali-
cuius ostiarii, ad hortos alicuius ne ordinarium quidem habentis
officium; et deinde negas tibi a seruo tuo beneficium dari posse,
6 cui osculum alieni serui beneficium est? Quae est tanta animi
discordia? eodem tempore seruos despicis et colis, imperiosus 10
intra limen atque inpotens, humilis foris et tam contemptus quam
contemnens; neque enim ulli magis abiciunt animos, quam qui
inprobe tollunt, nullique ad calcandos alios paratiores, quam qui
contumelias facere accipiendo didicerunt.

XXIX,1 Dicenda haec fuerunt ad contundendam insolentiam homi- 15
num ex fortuna pendentium uindicandumque ius beneficii dandi
seruis, ut filiis quoque uindicaretur. Quaeritur enim, an aliquando
liberi maiora beneficia dare parentibus suis possint, quam acce-
perint.

2 Illud conceditur, multos filios maiores potentioresque exti- 20
tisse quam parentes suos; aeque et illud, meliores fuisse. Quod
si constat, potest fieri, ut meliora tribuerint, cum et fortuna illis
3 maior esset et melior uoluntas. „Quidquid" inquit „est, quod
dedit patri filius, utique minus est, quia hanc ipsam dandi facul-
tatem patri debet. Ita numquam beneficio uincitur, cuius bene- 25
ficium est ipsum, quo uincitur." Primum quaedam initium ab
aliis trahunt et tamen initiis suis maiora sunt; nec ideo ali-
quid non est maius eo, *ex* quo coepit, quia non potuisset in tan-
4 tum procedere, nisi coepisset. Nulla non res principia sua magno
gradu transit. Semina omnium rerum causae sunt et tamen mi- 30
nimae partes sunt eorum, quae gignunt. Adspice Rhenum, ad-
spice Euphraten, omnes denique inclutos amnes: quid sunt, si
illos illic, unde effluunt, aestimes? quidquid est, quo timentur,
5 quo nominantur, in processu parauerunt. Adspice trabes, siue

---

1 spectemus *ug.* expectemus **N**; despectemus *uel* aspectemus *Gt.* 6 efferunt **N** ferunt *L.* 9 est tanta **N**; est ista tanta *malit Wsbg.* 11 contentus **N**[1] *corr.* **N**[2] 12 contemnens *ug.* contempnis **N**[1]; p *del.* **N**[2] 13 nullique **N**[2] multiquae **N**[1] 17 uindicare. tur (n *eras.*) **N** 20 conced&ur **N**[1] *corr.* **N**[2] 24 dedit *scripsi;* d& **N**; dat *ug.* 26 quo *Mg.* quod **N** 28 ex *addidi* (a *add. Pinc.*) cepit *et* 29 cepisset **N**[1] *corr.* **N**[2] 29 Nulla non **N**[1] ñ nulla **N**[3] 32 ōms **N** inclutos **N**[1] inclitos **N**[2] 33 illic **N**; illinc *CFW Müller* (*N. J. 93 p. 489*) timentur **N**; censentur *idem ibd.* 34 parauerunt. *Post haec in* **N** *leguntur uerba:* tolle radicem..uestientur; *transpos. He.*

proceritatem aestimes, altissimas, siue crassitudinem spatiumque ramorum, latissime fusas: quantulum est his conparatum illud, quod radix tenui fibra conplectitur? Tolle radicem: nemora non surgent, nec tanti montes uestientur. Innituntur fundamentis
5 suis templa et †illa urbis; tamen, quae in firmamentum totius operis iacta sunt, latent. Idem in ceteris euenit: principia sua 6
semper sequens magnitudo obruit. Non potuissem quidquam consequi, nisi parentum beneficium antecessisset; sed non ideo, quidquid consecutus sum, minus est eo, sine quo consecutus non
10 essem. Nisi me nutrix aluisset infantem, nihil eorum, quae con- 7
silio ac manu gero, facere potuissem nec *in* hanc emergere nominis claritatem, quam ciuili ac militari industria merui; numquid tamen ideo maximis operibus praeferes nutricis officium? Atqui quid interest, cum aeque sine patris beneficio quam sine nutricis
15 non potuerim ad ulteriora procedere? Quod si initio meo, quid- 8
quid iam *possum*, debeo, cogita non esse initium mei patrem, ne annum quidem; semper enim erit ulterius aliquid, ex quo originis proximae origo descendat. Atqui nemo dicet me plus debere ignotis et ultra memoriam positis maioribus quam patri; plus
20 autem debeo, si hoc ipsum, quod genuit me pater meus, maioribus debetur.

„Quidquid praestiti patri, etiam si magnum est, infra aesti- XXX, 1
mationem paterni muneris est, quia non esset, si non genuisset.“ Isto modo etiam, si quis patrem meum aegrum ac moriturum sa-
25 nauerit, nihil praestare ei potero, quod non beneficio eius minus sit; non enim genuisset me pater, nisi sanatus esset. Sed uide, ne illud uerius sit aestimari, an id, quod potui, et id, quod feci, meum sit, mearum uirium, meae uoluntatis. Illud, quod natus 2
sum, per se intuere, quale sit: animaduertes exiguum et incertum
30 *et boni* malique communem materiam, sine dubio primum ad omnia gradum, sed non ideo maiorem omnibus, quia primus est. Seruaui patrem meum et ad summam prouexi dignitatem et prin- 3
cipem urbis suae feci, nec tantum rebus a me gestis nobilitaui, sed ipsi quoque gerendarum ingentem ac facilem nec tutam mi-

---

5 illa urbis N *corrupte;* illa urbis moenia *permulti* D; alia urbis *Gl.; fort.* insulae urbis 6 principia *ug.* precipua N 7 obru& N *corr. ug.* 8 parentum N, *fort.* parentium 11 in hanc emergere N^2 hanc emergere N (*litt.* er *in ras. m. pr.?*); *fuit fort.* hanc emerere 13 atqui quid *scripsi;* at quidquid N 15 potuerim N^3 potuerit N^1 16 possum *in marg. add.* N^2 18 discendat N^1 *corr.* N^2 dicit N^1 *corr.* N^2 20 ipsud N^1 *corr.* N^2 21 debetur *scripsi;* debet N; debeo *Pinc.* 22 praestiti N, *sed corr.* praestat N^1 *aut* N^2 23 esset *scripsi* (*uid. Adn.*); essit N^1 essē N^2 27 potui . . feci *unus* D *et Pinc.;* potuit . . fecit N 29 animaduertes *L.* animaduertis N

nus quam gloriosam dedi materiam; honores, opes, quidquid humanos ad se animos rapit, congessi ei; cum supra omnes
4 starem, infra illum steti. Dic nunc: „Hoc ipsum, quod ista potuisti, patris munus est"; respondebo tibi: „Est prorsus, si ad ista facienda nasci satis est; sed si ad bene uiuendum minima 5
portio est uiuere, et id tribuisti, quod cum feris mihi et animalibus quibusdam minimis, quibusdam etiam foedissimis commune est, noli tibi adserere, quod non ex tuis beneficiis, etiam *si non* sine tuis, oritur."

XXXI, 1 Puta me uitam pro uita reddidisse: sic quoque munus tuum 10
uici, cum ego dederim sentienti, cum sentiens me dare, cum uitam tibi non uoluptatis meae causa aut certe per uoluptatem dederim, cum tanto maius sit retinere spiritum quam accipere, quanto le-
2 uius mori ante mortis metum. Ego uitam dedi statim illa usuro, tu nescituro, an uiueret; ego uitam dedi mortem timenti, tu ui- 15
tam dedisti, ut mori possem; ego tibi uitam dedi consummatam,
3 perfectam, tu me expertem rationis genuisti, onus alienum. Uis scire, quam non sit magnum beneficium uitam sic dare? exposuisses; nempe iniuria erat genuisse. Quo quid colligo? minimum esse beneficium patris matrisque concubitum, nisi accesse- 20
runt alia, quae prosequerentur hoc initium muneris et aliis officiis
4 ratum facerent. Non est bonum uiuere sed bene uiuere. At bene uiuo. Sed potui et male; ita hoc tantum est tuum, quod uiuo. Si uitam inputas mihi per se, nudam, egentem consilii, et id ut magnum bonum iactas, cogita te mihi inputare muscarum ac 25
5 uermium bonum. Deinde, ut nihil aliud dicam quam bonis artibus me studuisse et cursum ad rectum iter uitae derexisse, in ipso beneficio tuo maius, quam quod dederas, recepisti; tu enim me mihi rudem, inperitum dedisti, ego tibi filium, qualem genuisse gauderes. 30

XXXII, 1 Aluit me pater. Si idem praesto, plus reddo, quia non tantum ali se sed a filio ali gaudet et maiorem ex animo meo quam ex ipsa re percipit uoluptatem, illius alimenta ad corpus tantum
2 meum peruenerunt. Quid? si quis in tantum processit, ut aut eloquentia per gentes notesceret aut iustitia aut bellicis rebus et 35
patri quoque ingentem circumfunderet famam tenebrasque nata-

---

2 animo N^1 *corr.* N^2 rapit, congessi ei *scripsi;* rap& congessi et N^1 (rapit *corr.* N^2) 7 fedissimis N^2 fidissimis N^1 8 noli N^2; nollit *habuit* N^1, *sed* t *eras.* si non *add. nonnulli* D *et ug.* 13 spm N, *ut solet* 15 uiueret N; uiuerem *Er.* 20 accesserunt N accesserint *ug.*
27 et .. derexisse *scripsi;* ut .. direxissē N 32 ali se *duo* D, *ut coni. Agricola;* alisse N^1 aluisse N^2 35 gente N^1 *corr.* N^2 notescerit N^1 *corr.* N^2 innotesceret N^3

lium suorum clara luce discuteret, non inaestimabile in parentes
suos beneficium contulit? An quisquam Aristonem et Gryllum 3
nisi propter Xenophontem ac Platonem filios nosset? Sophro-
niscum Socrates expirare non patitur. Ceteros enumerare longum
5 est, qui durant ob nullam aliam causam, quam quod illos libero-
rum eximia uirtus tradidit posteris. Utrum maius beneficium de- 4
dit M. Agrippae pater ne post Agrippam quidem notus, an patri
dedit Agrippa nauali corona insignis, unicum adeptus inter dona
militaria decus, qui tot in urbe maxima opera excitauit, quae et
10 priorem magnificentiam uincerent et nulla postea uincerentur?
Utrum Octauius maius beneficium dedit filio an patri diuus Au- 5
gustus, quamuis illum umbra adoptiui patris abscondit? Quantam
cepisset uoluptatem, si illum post debellata arma ciuilia uidisset
securae paci praesidentem, non adgnoscens bonum suum nec satis
15 credens, quotiens ad se respexisset, potuisse illum uirum in domo
sua nasci! Quid nunc ceteros persequar, quos iam consumpsis-
set obliuio, nisi illos filiorum gloria e tenebris eruisset et adhuc
in luce retineret? Deinde, cum quaeramus, non quis filius patri 6
maiora beneficia reddiderit, quam a patre acceperat, sed an ali-
20 quis possit maiora reddere, etiam si, quae rettuli, exempla non-
dum satis faciunt nec beneficia parentium suorum superiaciunt,
capit tamen hoc natura, quod nondum ulla aetas tulit. Si singula
paternorum meritorum magnitudinem exsuperare non possunt,
plura in unum congesta superabunt.

25 Seruauit in proelio patrem Scipio et praetextatus in hostes XXXIII, 1
equum concitauit. Parum est, quod, ut perueniret ad patrem,
tot pericula maximos duces cum maxime prementia contempsit,
tot obpositas difficultates, quod ad primam pugnam exiturus tiro
per ueteranorum corpora cucurrit, quod annos suos transsiliuit?
30 Adice, ut idem patrem reum defendat et conspirationi inimicorum 2
potentium eripiat, ut alterum illi consulatum ac tertium aliosque
honores etiam consularibus concupiscendos congerat, ut pauperi
raptas belli iure opes tradat et, quod est militaribus uiris speciosissimum, diuitem illum spoliis hostilibus faciat. Si adhuc parum 3

---

2 crillū N^1 cirillū N^2(?) 6 maius N^2 magis N^1 10 et nulla N^1 et a nulla N^2(?) 11 filio N^2 filiū N^1 12 adoptaui N^1 *corr.* N^2; iulii cesaris *adscr.* N^3 abscondit N; abscondat *unus* D 13 cepisset N^1 coepisset N^2 16 persequar *ug.* prosequar N 21 parentium N^1 parentum N^2 superiaciunt *Salmasius;* superiniciunt N 25 seruauit N^2 (*aut* N^1) serua N hoste. sequ N^1 (*post* e *litt. eras.*) *corr.* N^2(?) 27 cum maxime N^1 quam max. N^2(?) 28 tyro N 29 transiliuit N; transiluit *Wsbg.* 30 conspiratione N *corr. et* N^1 *et* N^2 34 spoliis hostilibus *scripsi;* spoliis & hostilibus N; *an fuit* spoliis ex hostibus? sp. etiam hostilibus *ug.*

est, adice, ut prouincias et extraordinaria imperia continuet, adice, ut dirutis maximis urbibus Romani imperii sine aemulo ad ortus occasusque uenturi defensor et conditor maiorem nobilitatem nobili uiro adiciat, dici Scipionis patrem: dubium est, quin generandi uulgare beneficium uicerit eximia pietas et uirtus ipsi urbi
4 nescio utrum maius praesidium adferens an decus? Deinde, si hoc parum est, finge aliquem tormenta patris discussisse, finge in se transtulisse. Licet tibi, in quantum uelis, extendere beneficia filii, cum paternum munus et simplex sit et facile et danti uoluptarium, quod necesse est ille multis dederit, etiam quibus dedisse se nescit, in quo consortem habet, in quo spectauit legem, patriam, praemia patrum, domus ac familiae perpetuitatem, omnia potius
5 quam eum, quoi dabat. Quid? si quis sapientiam consecutus hanc patri tradiderit, etiamnunc disputabimus, an maius illi quiddam dederit, quam acceperat, cum uitam beatam patri reddiderit, accepit tantum uitam?

XXXIV, 1 „Sed patris" inquit „beneficium est, quidquid facis, quidquid praestare illi potes." Et praeceptoris mei, quod institutis liberalibus profeci; ipsos tamen, qui tradiderunt illa, transcendimus, utique eos, qui prima elementa docuerunt, et quamuis sine illis nemo quidquam adsequi posset, non tamen, quantumcumque quis adsecutus est, infra illos est. Multum inter prima ac maxima interest, nec ideo prima maximorum instar sunt, quia sine primis maxima esse non possunt.

XXXV, 1 Iam tempus est quaedam ex nostra, ut ita dicam, moneta proferri. Qui id beneficium dedit, quo est aliquid melius, potest uinci. Pater dedit filio uitam, est autem aliquid uita melius: ita pater uinci potest, quia dedit beneficium, quo est aliquid melius.
2 Etiamnunc, qui dedit alicui uitam, si et semel et iterum liberatus est mortis *periculo*, maius accepit beneficium quam dedit; pater autem uitam dedit: potest ergo, si saepius periculo mortis
3 liberatus a filio fuerit, maius beneficium accipere quam dedit. Qui beneficium accipit, maius accipit, quo magis eo indiget; magis

---

2 maximis N^2 maximet N^1 7 discussis sifinge N^1 *corr.* N^2 9 et d. *He.* sed d. N danti N^2 dandi N^1 uoluptarium *Pinc.* uoluntarium N 10 ille N^2 illi N^1 11 legem, patriam *dist. Mg.* legem patriam *ug.* 12 patruum N^1 *corr.* N^2 13 quoi *scripsi;* quod N^1 cui N^2(?) 14 maius illi quiddam dederit *scripsi;* maius aliquid iã dederit N, *sed pro* i, *quod in ras. est,* d *fuisse uidetur;* maius aliquid ded. *ug.* 15 acceperat N^1 acceperit N^2 18 instituis N^1 *corr.* N^2 25 ex nrã N, *quod conp. saepe adparet, item ut mox* 27 aũ (*pro* autem) 29 qui. N (*fuit* quid) 30 mortis N^1, *omisso* periculo, *quod add. ug.* (*ex* D?); a periculo mortis N^2(?) 32 liberato N^1 *corr.* N^2

autem indiget uita, qui uiuit, quam qui natus non est, ut qui ne indigere quidem omnino possit: maius ergo beneficium accipit pater, si uitam a filio accipit, quam filius a patre, quod natus est. „Patris beneficia *uinci* a filii beneficiis non possunt; quare? quia 4
5 uitam accepit a patre, quam nisi accepisset, nulla dare beneficia potuisset.“ Hoc commune est patri cum omnibus, qui uitam alicui dederunt; non potuissent enim referre gratiam, nisi uitam accepissent. Ergo nec medico gratia in maius referri potest (solet enim et medicus uitam dare), nec nautae, si naufragum sustulit.
10 Atqui et horum et aliorum, qui aliquo modo nobis uitam dederunt, beneficia uinci possunt: ergo et patrum possunt. Si quis 5 mihi beneficium dedit, quod multorum beneficiis adiuuandum esset, ego autem illi beneficium dedi id, quod nullius egeret adiutorio, maius dedi quam accepi; pater filio uitam dedit perituram,
15 nisi multa accessissent, quae illam tuerentur; filius patri si dedit uitam, dedit eam, quae nullius desideraret auxilium in hoc, ut permaneret: ergo maius beneficium accepit a filio pater, qui uitam accepit, quam ipse illi dedit.

Haec non destruunt parentum uenerationem nec deterio- XXXVI,1
20 res illis liberos faciunt, immo etiam meliores; natura enim gloriosa uirtus est et anteire priores cupit. Alacrior erit pietas, si ad reddenda beneficia cum uincendi spe uenerit. Ipsis patribus id uolentibus laetisque contigerit, quoniam pleraque sunt, in quibus nostro bono uincimur. Unde certamen tam optabile? unde tan- 2
25 tam felicitatem parentibus, ut fateantur ipsos liberorum beneficiis inpares? Nisi hoc ita iudicamus, excusationem damus liberis et illos segniores ad referendam gratiam facimus, quibus stimulos adicere debemus et dicere:

„Hoc agite, optimi iuuenes! Proposita est inter parentes
30 ac liberos honesta contentio, dederint maiora an receperint. Non 3 ideo uicerunt, quia occupauerunt; sumite modo animum, qualem decet, et deficere nolite: uincetis optantes. Nec desunt tam pulchro certamini duces, qui ad similia uos cohortentur ac per uesti-

---

4 uinci *om.* N; *add. ug.* (*ex* D?) 7—8 potuissent .. accepissent N; *fort.* potuisset .. accepisset 8 gratiam N^1 *corr.* N^2 11 beneficia uincat uinci N^1; uincat *del.* N^2 13 *et* 14 dedit N, *sed* t *eras.* 15 que illa N^1 *corr.* N^2 19 parentum N parentium *unus* D uen|rationem N^1 *corr.* N^2 20 illi N^1 *corr.* N^2 22 cum (con *adscr.* N^2(?)) uincendis . euenerit N^1, *erasa inter* s *et* e *littera; corr. ug.* Ipsis .. laetisque *Gr. ex uno* D; ipsi .. legisque N^1; lętisque *corr.* N^2 23 qm̃ N 24 nro N optabile N^2 optuile N^1 25 fateantur ipso N^1 *corr.* N^2 26 inpares N, *sed* s *in ras.* N^2 27 referandam N *corr. ug.* 30 honoste N^1 *corr.* N^2 dederint N^1 dederintne N^2(?) 32 optates N^1 *corr.* N^2 33 certamini . N (s *eras.*)

gia sua ire ad uictoriam saepe iam partam ex parentibus iubeant.
XXXVII, 1 Uicit Aeneas patrem, ipse eius *in* infantia leue tutumque gestamen, grauem senio per media hostium agmina et per cadentis circa se urbis ruinas ferens, cum conplexus sacra ac penates deos religiosus senex non simplici uadentem sarcina premeret; tulit illum per ignes et (quid non pietas potest?) pertulit colendumque
2 inter conditores Romani imperii posuit. Uicere Siculi iuuenes, *qui,* cum Aetna maiore ui peragitata in urbes, in agros, in magnam insulae partem effudisset incendium, uexerunt parentes suos; discessisse creditum est ignes et utrimque flamma recedente limitem adapertum, per quem transcurrerent iuuenes dignissimi,
3 qui magna tuto auderent. Uicit Antigonus, qui, cum ingenti proelio superasset hostem, praemium belli ad patrem transtulit et imperium illi Cypri tradidit; hoc est regnum, nolle regnare, cum
4 possis. Uicit patrem imperiosum quidem Manlius, qui, cum ante ad tempus relegatus esset a patre ob adulescentiam brutam et hebetem, ad tribunum plebis, qui patri suo diem dixerat, uenit petito tempore, quod ille dederat sperans fore proditorem parentis inuisi, et bene meruisse se de iuuene credebat, cuius exilium pro grauissimo crimine inter alia Manlio obiciebat; *at* nanctus adulescens secretum stringit occultatum sinu ferrum et: „Nisi iuras“ inquit „te diem patri remissurum, hoc te gladio transfodiam. In tua potestate est, utro modo pater meus accusatorem non habeat.“ Iurauit tribunus nec fefellit et causam actionis omissae contioni reddidit. Nulli alii licuit inpune tribunum in
XXXVIII, 1 ordinem redigere. Alia ex aliis exempla sunt eorum, qui parentes suos periculis eripuerint, qui ex infimo ad summum protulerint et e plebe aceruoque ignobili numquam tacendos sae-
2 culis dederint. Nulla ui uerborum, nulla ingenii facultate exprimi potest, quantum opus sit, quam laudabile quamque numquam

---

1 partam *Er.* paratam **N** 2 in infantia *Pinc.* infantia **N**[1] infantiae **N**[2] 8 qui *addidi; om.* **N** urbes **N**[2] orbes **N**[1] agro **N**[1] *corr.* **N**[2] 9 parentes **N**[2] patres **N**[1] 10 recedentem **N**[1] *corr.* **N**[2] 11 transcurrent **N**[1] *corr.* **N**[2] 17 τR[s] PL[s] **N**[1] tribunus plebis **N**[2](?) 17—20 uenit petito tempore .. obiciebat; at nanctus *scripsi cum* **N**, *nisi quod hic* at *om.;* uenit; petitoque tempore .. obiciebat, nactus *ug.* 19 inuisi *Pinc.* inbiti **N**[1] inuiti **N**[2]; inmitis *coni. Opsopoeus* 23 tua potestatem **N**[1] *corr.* **N**[2] utro **N**[1] utrum **N**[2](?) 24 non habeat **N**[1] an non h. **N**[2](?) 25 omissae *Fickert;* emissae **N** 26 ordine **N**[1] *corr.* **N**[2] 27 eripuerint **N**[1] eripuerunt **N**[2] summum **N**[2] summam **N**[1] 28 protulerint *scripsi;* protulerent **N**[1] protulerunt **N**[2] ignobili **N**[2] innubi **N**[1] 29 dederint **N**[1] dederunt **N**[2] ingenii **N**[2] ingenti **N**[1] 30 quantus **N**[1] *corr.* **N**[2] numquam | memoria **N**; numquam a mem. *ug.*

memoria hominum exiturum, posse hoc dicere: „Parentibus meis parui, cessi, imperio eorum, siue aequum siue iniquum ac durum fuit, obsequentem submissumque me praebui; ad hoc unum contumax fui, ne beneficiis uincerer.“ Certate, obsecro uos, et fessi 3
5 quoque restituite aciem. Felices, qui uincent, felices, qui uincentur! Quid eo adulescente praeclarius, qui sibi ipsi dicere poterit (neque enim est fas alteri dicere): „Patrem meum beneficiis uici“? Quid eo fortunatius sene, qui omnibus ubique praedicabit a filio se suo beneficiis uictum? Quid autem est felicius
10 quam ibi cedere?“

---

2 siue siue inimicum N¹ *corr.* N² 5 restitui N¹ *corr.* N²
uincent *Mg.* uincerent N¹ uicerint N² 9 praedicauit N¹ *corr.* N²
10 cedere N¹ cędere N²(?)

L. ANNEI SENECAE INSTITV | TIONIS: ORATORIAE: LIBER. III | EXPL. | INCPT. LIBER. IIII. FELICITER.

L. ANNAEI SENECAE

AD

AEBUTIUM LIBERALEM

DE BENEFICIIS

LIBER IV.

I, 1 Ex omnibus, quae tractauimus, Aebuti Liberalis, potest uideri nihil tam necessarium aut magis, ut ait Sallustius, cum cura dicendum, quam quod in manibus est: an beneficium dare et in
2 uicem gratiam referre per se res expetendae sint. Inueniuntur, qui honesta in mercedem colant, quibusque non placeat uirtus gratuita; quae nihil habet in se magnificum, si quidquam uenale. Quid enim est turpius quam aliquem conputare, quanti uir bonus sit, cum uirtus nec lucro inuitet nec absterreat damno adeoque neminem spe ac pollicitatione conrumpat, ut contra inpendere in se iubeat et saepius in ultro tributis sit? Calcatis ad illam utilitatibus eundum est; quocumque uocauit, quocumque misit, sine respectu rei familiaris, interdum etiam sine ulla sanguinis sui parsimonia uadendum nec umquam imperium eius detractandum.
3 „Quid consequar" inquit, „si hoc fortiter, si hoc grate fecero?" Quod feceris; nihil tibi extra promittitur. Si quid commodi forte obuenerit, inter accessiones numerabis. Rerum honestarum pretium in ipsis est. Si honestum per se expetendum est, beneficium autem honestum est, non potest alia eius condicio esse, cum ea-

---

5 placeant **N**, *sed* n *eras.* 8 nec lucro inuitet „*uetus lectio*" *Pinc. et unus* **D**; nec lucrum inuitet **N**[1] nec ad l. i. **N**[2] 10 in ultro t. s. **N**[1]; in sponte *adscr.* **N**[2](?) 11 eundem **N** est; quocumque.. familiaris, interdum *interpunxi;* est, quocumque .. familiaris; interdum *ug.*

dem natura sit. Per se autem expetendum esse honestum saepe et abunde probatum est.

In hac parte nobis pugna est cum Epicureis, delicata et II, 1
umbratica turba in conuiuio suo philosophantium, apud quos
5 uirtus uoluptatum ministra est, illis paret, illis deseruit, illas supra
se uidet. „Non est" inquis „uoluptas sine uirtute." Sed quare 2
ante uirtutem est? De ordine in his putas disputationem esse? de
re tota et de potestate eius ambigitur. Non est uirtus, si sequi
potest; primae partes eius sunt, ducere debet, imperare, summo
10 loco stare; tu illam iubes signum petere. „Quid" inquit „tua 3
refert? et ego sine uirtute nego beatam uitam posse constare.
Ipsam uoluptatem, quam sequor, cui me emancipaui, remota illa
inprobo et damno. De hoc uno disputatur, utrum uirtus summi
boni causa sit an ipsa summum bonum." Ut hoc unum quaeratur,
15 ordinis tantum existimas mutationem? Ista uero confusio est et
manifesta caecitas, primis postrema praeferre. Non indignor, 4
quod post uoluptatem ponitur uirtus, sed quod omnino cum uoluptate, contemptrix eius et hostis et longissime ab illa resiliens, labori ac dolori familiarior, uirilibus incommodis, quam isti effe-
20 minato bono.

Inserenda haec, mi Liberalis, fuerunt, quia beneficium, de III, 1
quo nunc agitur, dare uirtutis est et turpissimum id ullius alterius
rei causa dare, quam ut datum sit. Nam si recipiendi spe tri-
bueremus, locupletissimo cuique, non dignissimo daremus; nunc
25 uero diuiti inportuno *bonum* pauperem praeferimus. Non est
beneficium, quod ad fortunam spectat. Praeterea, si, ut prodes- 2
semus, sola nos inuitaret utilitas, minime beneficia distribuere
deberent, qui facillime possent, locupletes et potentes et reges
aliena ope non indigentes; di uero tot munera, quae sine inter-
30 missione diebus ac noctibus fundunt, non darent; in omnia enim
illis natura sua sufficit plenosque et tutos et inuiolabiles praestat;

---

3 epicureis, delicata **N**; Epicureorum delicata *ug.* 5 illis paret *ug.* illas para **N**[1]; paret *corr.* **N**[2] 6 inquis **N** inquit *ug.*, *fort. rectius.* 7 De ordine in his putas *scripsi;* de ordinem dispotas **N**[1]; de ordine disputas **N**[2]; de ordine putas *unus* **D** *et Agricola* disputationem esse **N**[1]; enim est *adscr.* **N**[2](?) (*uoluit:* disputatio enim est) 8 de re tota **N**[2](?) de rotata **N**[1] 10 stare tu **N**[2] stare. u (*eras. litt.*) **N**[1] 12 secor **N**[1] *corr.* **N**[2] emancipaui **N** mancipaui *ug.* 14 Ut hoc; *hinc demum incipere responsionem uidit L.; cfr. Adn.* 15 confusio *ug.* confessio **N** 17 uoluptate, contemptrix **N**; uoluptate conferatur (*uel* confertur), cont. *ug. ex multis* **D** 21 mi **N**[2] mihi **N**[1] 22 ullius **N**[2] illius **N**[1] causa u. a. rei **N** *corr. Siesbye* 25 bonum *addidi, uid. Adn.* praeferimus *ug.;* praeferam' (*i. e.* praeferamus) **N**; praeferam *Gt.* 27 destribuere **N**[1] *corr.* **N**[2] 29 dii **N** (*sic et* diis *plerumque*) 31 inuiolauile **N**[1] *corr.* **N**[2]

nulli ergo beneficium dabunt, si una dandi causa est se intueri
3 ac suum commodum. Istud non beneficium sed fenus est, circumspicere, non ubi optime ponas, sed ubi quaestuosissime habeas, unde facillime tollas. Quod cum longe a dis remotum sit, sequitur, ut inliberales sint; nam si una beneficii dandi causa est dantis utilitas, nulla autem ex nobis utilitas deo speranda est, nulla deo dandi beneficii causa est.

IV, 1 Scio, quid hoc loco respondeatur: „Itaque non dat deus beneficia, sed securus et neglegens nostri, auersus a mundo aliud agit aut, quae maxima Epicuro felicitas uidetur, nihil agit, nec
2 magis illum beneficia quam iniuriae tangunt.“ Hoc qui dicit, non exaudit precantium uoces et undique sublatis in caelum manibus uota facientium priuata ac publica; quod profecto non fieret, nec in hunc furorem omnes mortales consensissent adloquendi surda numina et inefficaces deos, nisi nossemus illorum beneficia nunc oblata ultro, nunc orantibus data, magna, tempe-
3 stiua, ingentes minas interuentu suo soluentia. Quis est autem tam miser, tam neglectus, quis tam duro fato et in poenam genitus, ut non tantam deorum munificentiam senserit? Ipsos illos conplorantes sortem suam et querulos circumspice: inuenies non ex toto beneficiorum caelestium expertes, neminem esse, ad quem non aliquid ex illo benignissimo fonte manauerit. Parum est autem id, quod nascentibus ex aequo distribuitur? ut quae sequuntur inaequali dispensata mensura transeamus, parum dedit natura, cum se dedit?

V, 1 „Non dat deus beneficia.“ Unde ergo ista, quae possides, quae das, quae negas, quae seruas, quae rapis? unde haec innumerabilia oculos, aures, animum mulcentia? unde illa luxuriam quoque instruens copia (neque enim necessitatibus tantummodo
2 nostris prouisum est; usque in delicias amamur)? tot arbusta non uno modo frugifera, tot herbae salutares, tot uarietates ciborum per totum annum digestae, ut inerti quoque fortuita terrae alimenta praeberent? iam animalia omnis generis, alia in sicco solidoque, alia in humido nascentia, alia per sublime demissa, ut omnis rerum naturae pars tributum aliquod nobis conferret?

---

2 fenum **N**[1] *corr.* **N**[2] 5 ut inliberales *scripsi cum aliquot* **D**; utin liberalis **N**; *uid. Adn.* causa est *Mg.;* causa sit **N** dantis *Pinc.* datis **N**, *sed* s *eras.* 6 do **N** 8 ds 9 nri **N** 10 maxim **N**[1] *corr.* **N**[2] 11 Hoc qui dicit, non **N**; Hoc dicit: non *coni. Gr.* 13 publica **N**[1]; ñ adtendit *adscr.* **N**[2](?) 14 omnes profecto mortales **N**; profecto, *quod in* **N** *infra idem uerbum antecedentis uersus scribitur, del. ug.* 19 tantam **N**[2](?) tam **N** 30 dilicias **N**[1] *corr.* **N**[2] 34 demissa **N**; dimissa *ug.*

flumina haec amoenissimis flexibus campos cingentia, illa prae- 3
bitura *ad* commercia uiam uasto et nauigabili cursu uadentia, ex
quibus quaedam aestatis diebus mirabile incrementum trahunt,
ut arida et feruenti subiecta caelo loca subita uis aestiui torrentis
5 inriget? Quid medicatorum torrentium uenae? quid in ipsis lito-
ribus aquarum calentium exundatio?

An mare, quod supra, memorem, quodque adluit infra?
Anne lacus tantos, te, Lari maxime, teque,
Fluctibus et fremitu adsurgens, Benace, marino?

10 Si pauca quis tibi donasset iugera, accepisse te diceres bene- VI, 1
ficium: immensa terrarum late patentium spatia negas esse bene-
ficium? Si pecuniam tibi aliquis donauerit et arcam tuam, quo-
niam tibi id magnum uidetur, inpleuerit, beneficium uocabis; tot
metalla defodit, tot flumina emisit *e* terra, super quae decurrunt
15 sola, aurum uehentia; argenti, aeris, ferri immane pondus omnibus
locis obruit, cuius inuestigandi tibi facultatem dedit, ac latentium
diuitiarum in summa terra signa disposuit: negas te accepisse
beneficium? Si domus tibi donetur, in qua marmoris aliquid 2
resplendeat et tectum nitidius auro aut coloribus sparsum, non
20 mediocre munus uocabis; ingens tibi domicilium sine ullo in-
cendii aut ruinae metu struxit, in quo uides non tenues crustas
et ipsa, qua secantur, lamina graciliores, sed integras lapidis pre-
tiosissimi moles, sed totas uariae distinctaeque materiae, cuius tu
parvula frusta miraris, tectum uero aliter nocte, aliter interdiu
25 fulgens: negas te ullum munus accepisse? Et cum ista, quae 3
habes, magno aestimes, quod est ingrati hominis, nulli debere te
iudicas? Unde tibi istum, quem trahis, spiritum? unde istam, per
quam actus uitae tuae disponis atque ordinas, lucem? unde
sanguinem, cuius cursu uitalis continetur calor? unde ista palatum
30 tuum saporibus exquisitis ultra satietatem lacessentia? unde haec
inritamenta iam lassae uoluptatis? unde ista quies, in qua pu-
trescis ac marces? Nonne, si gratus es, dices: 4

---

1 praebitura ad commercia uiam *scripsi* (*cl. Q. Nat. IV*, 2, 4); praebitura commercia uia **N**; *alii aliter eadem sententia* 3 aestatis **N**; statis *ug.* 5 qui in pissis **N** *corr. fort.* **N**[1]. *Ante uersus Uergilii L. lacunam notauit; ego ex Georg. II, 158 sq. expleui, uid. Adn.* 11 esse **N**[2] sese **N**[1] 14 flumina emisit e terra *Vogel;* fluminemisiterra **N**[1] fluminaemisiterra **N**[2]; flumina emisit per ea *Mg.* s. quae d. sola aurum *Mg. cum aliis;* s. quę d. solaurum **N**[1]; uel aurum *corr.* **N**[2]; solum aurum **N**[2](?) 16 obruit *scripsi;* obrutum **N** latetium **N**[1] *corr.* **N**[2] 22 qua secantur **N**, *sed* a *et* c *e corr.* **N**[1]; *pro* c *fuit fort.* qu 26 magno **N**[1] magni **N**[2] 32 dices **N**[2] dicis **N**[1]

Deus nobis haec otia fecit.
Namque erit ille mihi semper deus, illius aram
Saepe tener nostris ab ouilibus inbuet agnus.
Ille meas errare boues, ut cernis, et ipsum
Ludere, quae uellem, calamo permisit agresti.

5 Ille deus est, non qui paucas boues, sed qui per totum orbem armenta diuisit, qui gregibus ubique passim uagantibus pabulum praestat, qui pascua hibernis aestiua substituit, qui non calamo tantum cantare et agreste atque inconditum carmen ad aliquam tamen obseruationem modulari docuit, sed tot artes, tot uocum uarietates, tot sonos alios spiritu nostro, alios externo cantus
6 edituros conmentus est. Neque enim nostra ista, quae inuenimus, dixeris, non magis, quam quod crescimus, quam quod ad constitutum temporum sua corpori officia respondent: nunc puerilium dentium lapsus, nunc ad surgentem iam aetatem et in robustiorem gradum transeuntem pubertas et ultimus ille dens surgenti iuuentae terminum ponens. Insita sunt nobis omnium aetatum, omnium artium semina, magisterque ex occulto deus producit ingenia.

VII, 1 „Natura" inquit „haec mihi praestat." Non intellegis *te*, cum hoc dicis, mutare nomen deo? quid enim aliud est natura quam deus et diuina ratio toti mundo partibusque eius inserta? Quotiens uoles, tibi licet aliter hunc auctorem rerum nostrarum conpellare; et Iouem illum Optimum ac Maximum rite dices et Tonantem et Statorem, qui non, ut historici tradiderunt, ex eo, quod post uotum susceptum aciem Romanorum fugientium stitit, sed quod stant beneficio eius omnia, stator stabilitorque est.
2 Hunc eundem et Fatum si dixeris, non mentieris; nam cum fatum nihil aliud sit quam series inplexa causarum, ille est prima omnium causa, ex qua ceterae pendent. Quaecumque uoles, illi nomina proprie aptabis uim aliquam effectumque caelestium rerum continentia: tot adpellationes eius possunt esse, quot munera.

VIII, 1 Hunc et Liberum patrem et Herculem *et* Mercurium nostri

---

4 *et* 6 boues N^2 uobes N^1 7 diuisit N^1 dimisit N 8 calamos N^1 *corr.* N^2 9 aliqua N *corr.* N^1 11 sonus N^1 *corr.* N^2 12 ūra N^2 ūro N^1 13 ad N^2 a N^1 14 temporum N; tempus *multi edd.* 15 nunc ad surg. N^1; in *post* nunc *add.* N^2(?) 16 transeunte N^1 *corr.* N^2 iubente N^1 *corr.* N^2 18 deos N^1 *corr.* N^2 19 ingenita *malit Cornelissen* 26 uotum N^1; uotū romuli *adscr.* N^2(?) aciem *scripsi;* acie N^1 acies N^2 stitit *Gt.* stetit N 28 menteris N nam cum *ug.;* nam quod (*pro* quom) N 32 quot N^2 quod N^1 34 Herculem et Merc. *unus* D herculem merc. N^1; ac *inser.* N^2

putant: Liberum patrem, quia omnium parens est, quoi primum inuenta seminum uis est *et* consitura per uoluptatem; Herculem, quia uis eius inuicta est, quandoque lassata fuerit operibus editis, in ignem recessura; Mercurium, quia ratio penes illum est nume-
5 rusque et ordo et scientia. Quocumque te flexeris, ibi illum ui- 2
debis occurrentem tibi; nihil ab illo uacat, opus suum ipse inplet. Ergo nihil agis, ingratissime mortalium, qui te negas deo debere, sed naturae, quia nec natura sine deo est nec deus sine natura, sed idem est utrumque, distat officio. Si, quod a Seneca accepis- 3
10 ses, Annaeo te debere diceres uel Lucio, non creditorem mutares sed nomen, quoniam, siue praenomen eius siue nomen dixisses siue cognomen, idem tamen ille esset; sic nunc naturam uoca, fatum, fortunam: omnia eiusdem dei nomina sunt uarie utentis sua potestate. Et iustitia, probitas, prudentia, fortitudo, frugalitas
15 unius animi bona sunt; quidquid horum tibi placuit, animus placet.

Sed ne *ad* aliam disputationem ex obliquo abeam, plurima IX, 1
beneficia ac maxima in nos deus confert sine spe recipiendi, quoniam nec ille conlato eget nec nos *ei* quidquam conferre possu-
20 mus; ergo beneficium per se expetenda res est. Una spectatur in eo accipientis utilitas; ad hanc accedimus sepositis commodis nostris. „Dicitis" inquit „diligenter eligendos, quibus beneficia 2
demus, quia ne agricolae quidem semina harenis conmittant; quod si uerum est, nostram utilitatem in beneficiis dandis sequi-
25 mur, quemadmodum in arando serendoque; neque enim serere per se res expetenda est. Praeterea quaeritis, *ubi et quomodo detis* beneficium, quod non esset faciendum, si per se beneficium dare expetenda res esset; quoniam, quocumque loco *et* quocumque modo daretur, beneficium erat." Honestum 3
30 propter nullam aliam causam quam propter ipsum sequimur; tamen, etiam si nihil aliud sequendum est, quaerimus, cui facia-

---

1 est *Mg.;* sit **N** quoi primum *Gt.* quod primum **N**; quod per eum *L.* 2 uis est et consitura *scripsi* (consitura *inuenit Mg.*); uis est consultura **N**; *uid. Adn.* 3 est *Mg.;* sit **N** 4 mercurius **N**[1] *corr.* **N**[2] 11 dixisse **N**[1] *corr.* **N**[2] 12 sic nunc **N**; sic hunc *Agricola* 13 de ||| noma **N**[1] *corr.* **N**[2] 17 ad aliam . . abeam *Mg.;* aliam . . habeam **N**; in aliam . . abeam *Pinc.* obliquo **N**[2] oblico **N**[1] 18 confert *ug.* refert **N**; *fort.* ad nos deus defert sine **N**[2] si in **N**[1] 19 ei *add.* **N**[2] 20 spectatur *ug.;* expectatur **N** 21 accedimus *scripsi;* accedamus **N** 23 demus *ug.* debemus **N**[1] debeamus **N**[2] quidam **N**[1] *corr.* **N**[2] 26 quaeritis, ubi et quomodo detis beneficium *scripsi Mureti et Stephani uestigia secutus;* quaeretis (**N**[2] quaeritis) beneficium **N**[1]; *uid. Adn.* 28 quoniam *scripsi;* q. enim **N**[1] quod **N**[2](?) quia enim *Gt.* 31 cui (*uel* cui id) *scripsi;* quid **N**

mus et quando et quemadmodum; per haec enim constat. Itaque, cum eligo, cui dem beneficium quandoque, id ago, ut beneficium sit; quia, si turpi datur, nec honestum esse potest nec beneficium.

X, 1 Depositum reddere per se res expetenda est; non tamen semper reddam nec quolibet loco nec quolibet tempore. Aliquando nihil interest, utrum infitier an palam reddam. Intuebor utilitatem eius, cui redditurus sum, et nociturum illi depositum 2 negabo. Idem in beneficio faciam: uidebo, quando dem, cui dem, quemadmodum, quare. Nihil enim sine ratione faciendum est; non est autem beneficium, nisi quod ratione datur, quoniam ratio 3 omnis honesti comes est. Quam saepe hominum donationem suam inconsultam obiurgantium hanc exaudimus uocem: „Mallem perdidisse quam illi dedisse"! Turpissimum genus damni est inconsulta donatio multoque grauius male dedisse beneficium quam non recepisse; aliena enim culpa est, quod non recepimus; 4 quod, cui daremus, non elegimus, nostra. In electione nihil minus quam hoc, quod tu existimas, spectabo, a quo recepturus sim; eligo enim eum, qui gratus, non qui redditurus sit, saepe autem 5 et non redditurus gratus *est et ingratus*, qui reddidit. Ad animum tendit aestimatio mea; ideo locupletem sed indignum praeteribo, pauperi uiro bono dabo; erit enim in summa inopia gratus et, cum omnia illi deerunt, supererit animus.

XI, 1 Non lucrum ex beneficio capto, non uoluptatem, non gloriam; uni placere contentus in hoc dabo, ut quod oportet faciam. Quod oportet autem non est sine electione; ea qualis futura sit, interrogas? Eligam uirum integrum, simplicem, memorem, gratum, alieni abstinentem, sui non auare tenacem, beneuolum; hunc ego cum elegero, licet nihil illi fortuna tribuat, ex quo referre 2 gratiam possit, ex sententia gesta res erit. Si utilitas me et sordida conputatio liberalem facit, si nulli prosum, nisi ut in uicem ille mihi prosit, non dabo beneficium proficiscenti in diuersas longinquasque regiones, afuturo semper; non dabo sic adfecto, ut spes ei nulla sit conualescendi; non dabo ipse deficiens, non 3 enim habeo recipiendi tempus. Atqui ut scias rem per se expetendam esse bene facere, aduenis modo in nostrum delatis por-

---

1 per hec N^2(?) per hanc N^1 2 beneficium quandoque, id ago, ut ben. *scripsi;* benef. id ago ut quandoque benef. N 6 an palam N; palam an *L.* 11 est N *in ras.* 13 dedisse N *in ras.* 15 aliena enim N *in ras. praeter duas litteras postremas* 16 nihil hominus N^1 *corr.* N^2 19 est et ingratus *add. ug., om.* N^1: ingratus *add.* N^2(?) 25 ea qualis *scripsi;* aequalis N^1 quae qualis N^2 *ut ug.* 27 hunc ego N; hunc ergo *duo* D 32 afuturo N^1 abfuturo N^2 34 habeo N, *fort.* habebo ut N^2(?); u N^1 35 portum, statim N^1; et *inser.* N^2(?)

tum, statim abituris, succurrimus; ignoto naufrago nauem, qua reuehatur, et damus et instruimus. Discedit ille uix satis noto salutis auctore et numquam amplius in conspectum nostrum reuersurus debitores nobis deos delegat precaturque, illi pro se gratiam referant; interim nos iuuat sterilis beneficii conscientia. Quid? cum in ipso uitae fine constitimus, cum testamentum ordinamus, non beneficia nihil nobis profutura diuidimus? Quantum temporis consumitur, quam diu secreto agitur, quantum et quibus demus! Quid enim? interest, quibus demus a nullo recepturi? Atqui numquam diligentius damus, numquam magis iudicia nostra torquemus, quam ubi remotis utilitatibus solum ante oculos honestum stetit, tam diu officiorum mali iudices, quam diu illa deprauabat spes ac metus et inertissimum uitium, uoluptas; ubi mors interclusit omnia et ad ferendam sententiam inconruptum iudicem misit, quaerimus dignissimos, quibus nostra tradamus, nec quidquam cura sanctiore conponimus, quam quod ad nos non pertinet. At mehercules tunc magna uoluptas subit cogitantem: „Hunc ego locupletiorem faciam, et huius dignitati adiectis opibus aliquid splendoris adfundam." Si non damus beneficia nisi recepturi, intestatis moriendum est.

„Dicitis" inquit „beneficium creditum *insolubile esse; creditum* autem non est res per se expetenda." Cum creditum dicimus, imagine et translatione utimur; sic enim et legem dicimus iusti iniustique regulam esse, et regula non est res per se expetenda. Ad haec uerba demonstrandae rei causa descendimus; cum dico creditum, intellegitur tamquam creditum. Uis scire? adicio insolubile, cum creditum nullum non solui aut possit aut debeat. Adeo beneficium utilitatis causa dandum non est, ut saepe, quemadmodum dixi, cum damno ac periculo dandum sit. *A* latronibus circumuentum defendo, ut tuto transire permittatur; reum gratia laborantem tueor et hominum potentium factionem in me con-

---

2 instruimus *ug.* struimus **N** 6 in pso **N**[1] *corr.* **N**[2](?) finem **N**[1] *corr.* **N**[2] constitimus **N**[1] consistimus **N**[2](?) 7 non **N**[1] num **N**[2](?) 9 demus *ug.* debemus **N**[1] debeamus **N**[2](?) *ut uid.* Quid enim? interest..? *interpunxi;* quid enim interest..? *ug.* 12 deprauabat *scripsi;* deprabat **N**[1] deprauat **N**[2] *ut ug.* 16 cura sciore **N**, *quod conp. saepius in eo inuenitur* ad nos **N**[2](?) an nos **N**[1] 17 At mehercules *He.* ad mehercule. **N** (s *eras.*) 20 intestati **N**[1] *corr.* **N**[2](?) moriendum est *scripsi cum uno* **D**; m. sit **N** 21 insolubile esse; creditum *add.* **N**[2](?) *ut uidetur* 23 dicimus *Mt.* scimus **N** 29 dandum sit. A latronibus *Mg.* dandum si latronibus **N**[1]; d. sit si lat. **N**[2](?); dandum sit. Sic latr. *ug. inde a Mt.* 30 ut tuto **N**; cum tuto *Koch* permittitur **N**[1] *corr.* **N**[2](?) gratiam **N**[1] *corr.* **N**[2](?) 31 tueor et **N**[2](?); tuer& **N**[1]

uerto, quas illi detraxero sordes, sub accusatoribus isdem fortasse
sumpturus, cum abire in partem alteram possim et securus spec-
tare aliena certamina; spondeo pro iudicato et suspensis amici
bonis libellum deicio creditoribus eius me obligaturus; ut possim
3 seruare proscriptum, ipse proscriptionis periculum adeo. Nemo 5
Tusculanum aut Tiburtinum paraturus salubritatis causa et aestiui
secessus, quoto anno empturus sit, disputat; † cum erit tuendum
4 est. Eadem in beneficio ratio est; nam cum interrogaueris, quid
reddat, respondebo: bonam conscientiam. Quid reddit beneficium?
dic tu mihi, quid reddat iustitia, quid innocentia, quid magni- 10
tudo animi, quid pudicitia, quid temperantia; si quidquam praeter
5 ipsas *petis, ipsas* non petis. In quid mundus uices suas uoluit?
in quid sol diem extendit et contrahit? omnia ista beneficia sunt,
fiunt enim nobis profutura. Quomodo mundi officium est cir-
cumagere rerum ordinem, quomodo solis loca mutare, ex quibus 15
oriatur, in quae cadat, et haec salutaria nobis facere sine prae-
mio, ita uiri officium est inter alia et beneficium dare. Quare
ergo dat? ne non det, ne occasionem bene faciendi perdat.

XIII, 1 Uobis uoluptas est inertis otii facere opusculum et securi-
tatem sopitis simillimam adpetere et sub densa umbra latitare 20
tenerrimisque cogitationibus, quas tranquillitatem uocatis, animi
marcentis oblectare torporem et cibis potionibusque intra horto-
2 rum latebram corpora ignauia pallentia saginare; nobis uoluptas
est dare beneficia uel laboriosa, dum aliorum labores leuent, uel
periculosa, dum alios periculis extrahant, uel rationes nostras 25
3 adgrauatura, dum aliorum necessitates et angustias laxent. Quid
mea interest, an recipiam beneficia? etiam cum recepero, danda
sunt. Beneficium eius commodum spectat, cui praestatur, non
nostrum; alioquin nobis illud damus. Itaque multa, quae sum-
mam utilitatem aliis adferunt, pretio gratiam perdunt. Mercator 30
urbibus prodest, medicus aegris, mango uenalibus; sed omnes
isti, quia ad alienum commodum pro suo ueniunt, non obligant

---

3 suspensis **N** suspensum *ug.* 4 boni **N**[1] *corr.* **N**[2](?) 6 aut *ug.;* atq; **N** paraturus *Gr.;* paratus **N**[1]; ł. pratum uel portus *adscr.* **N**[2](?) salubritis **N**[1] *corr.* **N**[2](?) 7 cum erit tuendum est **N**[1] *corrupte;* cum emerit, utendum est **N**[2](?); cum emerit, tuendum est *ug.; fuit fort.* cui meret, id intuendum est, *uid. Adn.* 9 reddit *ug.* reddat **N**[1]; Queris quid reddat **N**[2](?) 12 petis, ipsas *add. Mg.;* ipsas *add. Modius* uoluit *scripsi;* souit **N** soluit **N**[1]; absoluit *ug.* 16 cadat *Er.* cędat **N** 19 inertis otii facere opusculum *Mg.;* i. o. facere corpuscolum **N**[1]; i. o. farcire corpusculum **N**[2](?); in. ot. fac. compos corpusculum *Koch* 20 sopitis **N** soporis *Agricola* 25 alios **N**[2](?) aliorū **N**[1] 28 spectat *ug.* expectat **N**

eos, quibus prosunt. Non est beneficium, quod in quaestum mittitur. „Hoc dabo, ut hoc recipiam“ auctio est.

Non dicam pudicam, quae amatorem ut incenderet reppulit, XIV, 1
quae aut legem aut uirum timuit; ut ait Ouidius:

5 Quae, quia non licuit, non dedit, illa dedit.

Non inmerito in numerum peccantium refertur, quae pudicitiam timori praestitit, non sibi. Eodem modo, qui beneficium ut reciperet dedit, non dedit. Ergo et nos beneficium damus animalibus, 2
quae aut usui aut alimento futura nutrimus? beneficium damus
10 arbustis, quae colimus, ne siccitate aut inmoti et neglecti soli duritia laborent? Nemo ad agrum colendum ex aequo et bono 3
uenit nec ad ullam rem, cuius extra ipsam fructus est; ad beneficium dandum non adducit cogitatio auara nec sordida, sed humana, liberalis, cupiens dare, etiam cum dederit, et augere nouis
15 ac recentibus uetera, unum habens propositum, quanto ei, cui praestat, bono futura sit; alioqui humile est, sine laude, sine gloria, prodesse, quia expedit. Quid magnifici est se amare, sibi 4
parcere, sibi adquirere? ab omnibus istis uera beneficii dandi cupido auocat, ad detrimentum iniecta manu trahit et utilitates
20 relinquit ipso bene faciendi opere laetissima.

Numquid dubium est, quin contraria sit beneficio iniuria? XV, 1
Quomodo iniuriam facere per se uitanda ac fugienda res est, sic beneficium dare per se expetenda. Illic turpitudo contra omnia praemia in scelus hortantia ualet; ad hoc inuitat honesti per se
25 efficax species. Non mentiar, si dixero neminem non amare be- 2
neficia sua, neminem non ita conpositum animo, ut libentius eum uideat, in quem multa congessit. Cui non causa est iterum dandi beneficii semel dedisse? quod non accideret, nisi ipsa nos delectarent beneficia. Quam saepe dicentem audias: „Non sustineo 3
30 illum deserere, cui dedi uitam, quem e periculo eripui. Rogat me, ut causam suam contra homines gratiosos agam; nolo, sed quid faciam? iam illi semel, iterum adfui.“ Non uides inesse isti rei maximam quandam uim, quae nos dare beneficia cogit, primum quia oportet, deinde quia dedimus? Cui initio ratio non fuisset 4
35 praestandi aliquid, ei praestamus ob hoc, quia praestitimus; adeo-

---

2 ut hoc *scripsi;* et hoc **N** 8 Ergo et nos **N**; Ergone nos *uel* Ergo nos *malit Wsbg.* 9 futuro **N**[1] *corr.* **N**[2] 14 nobis **N**[1] *corr.* **N**[2] 15 acrecentibus **N**[1] acrescentibus **N**[2](?) uetera, unum *Gt.* ueteranum **N**[1] uetera non **N**[2] 16 laudes | in gloria **N**[1] *corr.* **N**[2] 20 ipsos **N**[1] *corr.* **N**[2] 27 congessit. Cui n. c. est.. dedisse? *scripsi;* congessit, cui n. c. sit .. dedisse **N** *et ug.* 30 quem e per. **N**[2] que me per. **N**[1] 32 semel, iterum **N**[1] semel iterumq. **N**[2] 33 maximam *He.* proxima **N**[1] proximam **N**[2]; propriam *ug.*

que ad beneficia nos non inpellit utilitas, ut inutilia tueri ac fouere perseueremus sola beneficii caritate, cui etiam infeliciter dato indulgere tam naturale est quam liberis prauis.

XVI, 1 Idem isti gratiam referre ipsos fatentur, non quia honestum est, sed quia utile; quod non esse ita minore opera probandum est, quia, quibus argumentis conlegimus beneficium dare per se
2 rem expetendam esse, isdem etiam hoc conligimus. Fixum illud est, a quo in cetera probationes nostrae exeunt, honestum ob nullam aliam causam, quam quia honestum sit, coli. Quis ergo controuersiam facere audebit, an gratum esse honestum sit? quis non ingratum detestetur, hominem sibi ipsum inutilem? Aduersus summa beneficia amici sui ingratus esse *quom aliquis dicitur*, quomodo adficeris? utrum tamquam rem turpem fecerit, an tamquam rem utilem sibi et profuturam omiserit? puto, nequam hominem existimas, cui poena, non cui curatore opus sit; quod non accideret, nisi gratum esse per se expetendum honestumque
3 esset. Alia fortasse minus dignitatem suam praeferunt et, an sint honesta, interprete egent; hoc expositum est pulchriusque, quam ut splendor eius dubie ac parum luceat. Quid tam laudabile, quid tam aequaliter in omnium animos receptum, quam referre bene meritis gratiam?

XVII, 1 Ad hoc, dic mihi, quae causa nos perducit? Lucrum? quod qui non contemnit, ingratus est. Ambitio? et quae iactatio est soluisse, quod debeas? Metus? nullus ingrato; huic enim uni rei
2 non posuimus legem, tamquam satis natura cauisset. Quomodo nulla lex amare parentes, indulgere liberis iubet (superuacuum est enim, in quod imus, inpelli), quemadmodum nemo in amorem sui cohortandus est, quem adeo, dum nascitur, trahit, ita ne ad hoc quidem, ut honesta per se petat; placent suapte natura, adeoque gratiosa uirtus est, ut insitum sit etiam malis probare meliora. Quis est, qui non beneficus uideri uelit, qui non inter scelera et iniurias opinionem bonitatis adfectet, qui non ipsis, quae inpotentissime fecit, speciem aliquam induat recti uelitque etiam iis
3 uideri beneficium dedisse, quos laesit? Gratias itaque agi sibi ab

---

1 ad N² quod N¹ ut inutilia N; ut et inutilia *ug.* 3 prauis *ug.* paruis N 7 isdem N² idem N¹ collegimus N¹ *corr.* N²; colligemus *ug.* 8 est N esto *L.* 11 ipsum N ipsi *ug.* inutile N¹ *corr.* N² 12 quom aliquis dicitur *addidi*, *uid. Adn.;* Quid autem cum tibi narratur *add.* N²(?) *ante* Aduersus 13 adficeris *Hertz* (*N. J. 93 p. 622*) *et Mg.* id feceris N¹ id fecerit N²(?) 22 perduc& N¹ *corr.* N² pellicit N²(?) 23 *fort.* ecquae 24 debeas N; debebas *ug.* 25 cauisset *ug.* caruisset N claruisset N¹ 28 adeo dum *Modius;* amodum N admodum N¹ 33 uelitquoq; N, *sed litt.* oq; *in ras.* N²(?); *fuit* uelitquę iis *ug.* his N

iis, quos adflixere, patiuntur bonosque se ac liberales fingunt, quia praestare non possunt; quod non facerent, nisi illos honesti et per se expetendi amor cogeret moribus suis opinionem contrariam quaerere et nequitiam abdere, cuius fructus concupiscitur, ipsa uero odio pudorique est; nec quisquam tantum a naturae lege desciuit et hominem exuit, ut animi causa malus sit. Dic enim 4
cuilibet ex istis, qui rapto uiuunt, an ad illa, quae latrociniis et furtis consequuntur, malint ratione bona peruenire: optabit ille, cui grassari et transeuntes percutere quaestus est, potius illa inuenire quam eripere; neminem reperies, qui non nequitiae praemiis sine nequitia frui malit. Maximum hoc habemus naturae meritum, quod uirtus lumen suum in omnium animos permittit; etiam, qui non sequuntur illam, uident.

Ut scias per se expetendam esse grati animi adfectionem, XVII, 1
per se fugienda res est ingratum esse, quoniam nihil aeque concordiam humani generis dissociat ac distrahit quam hoc uitium. Nam quo alio tuti sumus, quam quod mutuis iuuamur officiis? hoc uno instructior uita contraque incursiones subitas munitior est, beneficiorum commercio. Fac nos singulos, quid sumus? 2
praeda animalium et uictimae ac bellissimus et facillimus sanguis; quoniam ceteris animalibus in tutelam sui satis uirium est, quaecumque uaga nascebantur et actura uitam segregem, armata sunt, hominem inbecilla *cutis* cingit, non unguium uis, non dentium terribilem ceteris fecit, nudum et infirmum societas munit. Duas res *deus illi* dedit, quae illum *ex* obnoxio ualidissimum facerent, rationem et societatem; itaque, qui par esse nulli posset, si seduceretur, rerum potitur. Societas illi dominium omnium anima- 3
lium dedit; societas terris genitum in alienae naturae transmisit imperium et dominari etiam in mari iussit; haec morborum in-

---

1 iis, quos *unus* **D**; iis quod **N**[1] his quos **N**[2](?) 8 mallint ratione **N**, *sed litterae* t ra *in ras.* **N**[2] optauit **N**[1] *corr.* **N**[2] 13 sequentur **N**[1] *corr.* **N**[2] 15 ęque **N**[2](?); ęq; **N** 17 tuto **N**[1] *corr.* **N**[2] quam quod **N**[2] nam quod **N**[1] 20 bellissimus **N**[1] leuissimus **N**[2](?); uilissimus *Mt.* sanguis; quoniam *scripsi*, *uid. Adn.* sanguis. Quoniam *ug.* 22 nascebantur **N**[1] nascuntur **N**[2](?) segregem **N**[1] .s. singularem **N**[2](?) *adscr.* 23 homine **N**[1] *corr.* **N**[2] inbecilla cutis *Mg.* inbecilla **N**[1] inbecillitas **N**[2](?) 24 terribile **N**[1] *corr.* **N**[2] fecit **N**, *fort.* facit Duas res deus illi dedit *scripsi* (Duas deus res dedit *He.*); deus illi *om.* **N**[1]; natura *add.* **N**[2](?) *ante* dedit 25 ex obnoxio *L.* obnoxio **N** *corr. pr. m. ex* obnoxium; obnoxium *defend. Gr.* 26 seduceretur **N**[1] per se duceretur **N**[2](?) 27 dominium **N**[2]; dum (*i. e.* dominum) **N**[1]; dñium **N**[2](?) 28 genitum *tres* **D** *et Curio;* gentium **N** 29 mari **N**; maria *He.* (*praef. uol. III p. XXV*); mare *Wsbg.* haec *ug.* hoc **N**

petus arcuit, senectuti adminicula prospexit, solatia contra dolo-
res dedit; haec fortes nos facit, quod licet contra fortunam aduo-
4 care. Hanc societatem tolle, et unitatem generis humani, qua uita
sustinetur, scindes; tolletur autem, si efficis, ut ingratus animus
non per se uitandus sit, sed quia aliquid illi timendum est; quam 5
multi enim sunt, quibus ingratis esse tuto licet! Denique ingra-
tum uoco, quisquis metu gratus est.

XIX, 1 Deos nemo sanus timet; furor est enim metuere salutaria,
nec quisquam amat, quos timet. Tu denique, Epicure, deum
inermem facis, omnia illi tela, omnem detraxisti potentiam et, ne 10
2 cuiquam metuendus esset, proiecisti illum extra mundum. Hunc
igitur intersaeptum ingenti quidem et inexplicabili muro diui-
sumque a contactu et a conspectu mortalium non habes quare
uerearis; nulla illi nec tribuendi nec nocendi materia est; in
medio interuallo huius et alterius caeli desertus sine animali, sine 15
homine, sine re ruinas mundorum supra se circaque se cadentium
3 euitat non exaudiens uota nec nostri curiosus. Atqui hunc uis
uideri colere non aliter quam parentem grato, ut opinor, animo;
aut, si non uis gratus uideri, quia nullum habes illius beneficium,
sed te atomi et istae micae tuae forte ac temere conglobauerunt, 20
4 cur colis? „Propter maiestatem" inquis „eius eximiam, singularem
naturam." Ut concedam tibi, nempe hoc facis nullo pretio in-
ductus, nulla spe; est ergo aliquid per se expetendum, cuius te
ipsa dignitas ducit, id est honestum. Quid est autem honestius
quam gratum esse? huius uirtutis materia tam late patet quam 25
uita.

XX, 1 „Sed inest" inquit „huic bono etiam utilitas aliqua." Cui
enim uirtuti non inest? sed id propter se expeti dicitur, quod,
quamuis habeat aliqua extra commoda, sepositis quoque illis ac
remotis placet. Prodest gratum esse; ero tamen gratus, etiam si 30
2 nocet. Gratus quid sequitur? ut haec res illi alios amicos, alia
beneficia conciliet? Quid ergo? si quis sibi offensas concitaturus
est, si quis intellegit adeo per hoc se nihil consecuturum, ut multa
etiam ex reposito adquisitoque perdenda sint, non libens in detri-
3 menta descendet? Ingratus est, qui in referenda gratia secundum 35

---

1 arcuit, senectuti N^2(?) arcuisse nectuti N^1 2 haec *ug.* hoc **N** 6 ingrati N^1 *corr.* N^2 10 necumquam metuens N^1 *corr.* N^2 11 mundum *Mt.* metum **N** 12 intersaeptum *Mg.* insęptum **N** quidem **N** quodam *Mt.* 18 gato & opinor N^1 *corr.* N^2 21 singularem **N**; singularemque *ug.* 23 cuius te N^2 cum iuste N^1 25 esse? huius N^2 essemus N^1 31 Gratus quid sequitur N^1, *sed in* gratus *litt.* s *erasa est;* gratu ē (*i. e.* est) quid seq. N^2 gratū ēe (*i. e.* gratum esse) q. s. N^2(?) 32 Quid ergo N^2(?) qui terso N^1 35 descendet *Mt.* descendit **N** secundum actum *Mg.* secundum datum **N**; fecunditatem *Koch*

actum uidet, qui sperat, cum reddit; ingratum uoco, qui aegro adsidit, quia testamentum facturus est, cui de hereditate uel de legato uacat cogitare. Faciat licet omnia, quae facere bonus amicus et memor officii debet: si animo eius obuersatur spes lucri, captator est et hamum iacit; ut aues, quae laceratione corporum aluntur, lassa morbo pecora et casura e proximo speculantur, ita hic inminet morti et circa cadauer uolat.

Gratus animus ipsa uirtute propositi sui capitur. Uis scire XXI, 1 hoc ita esse nec illum utilitate conrumpi? Duo genera sunt grati hominis: dicitur gratus, qui aliquid pro eo, quod acceperat, reddidit; hic fortasse ostentare se potest, habet, quod iactet, quod proferat; dicitur gratus, qui bono animo accepit beneficium, bono debet; hic intra conscientiam clusus est. Quae illi contingere 2 potest utilitas ex adfectu latenti? atqui hic, etiam si ultra facere nil potest, gratus est: amat, debet, referre gratiam cupit; quidquid ultra desideras, non ipse deest. Artifex est etiam cui ad 3 exercendam artem instrumenta non suppetunt, nec minus canendi peritus, cuius uocem exaudiri fremitus obstrepentium non sinit. Uolo referre gratiam: post hoc aliquid superest mihi, non ut gratus sed ut solutus sim; saepe enim et, qui gratiam rettulit, *ingratus est, et, qui non rettulit,* gratus. Nam ut omnium aliarum uirtutum, ita huius ad animum tota aestimatio redit; hic si in officio est, quidquid defuit, fortuna peccat. Quomodo est disertus etiam 4 qui tacet, fortis etiam qui conpressis manibus uel etiam adligatis *est*, quomodo gubernator etiam qui in sicco est, quia consummatae scientiae nihil deest, etiam si quid obstat, quo minus se utatur, ita gratus est etiam qui uult tantum nec habet huius uoluntatis suae ullum alium quam se testem. Immo amplius adiciam: est 5 aliquando gratus etiam qui ingratus uidetur, quem mala interpres opinio contrarium tradidit. Hic quid aliud sequitur quam ipsam conscientiam? quae etiam obruta delectat, quae contioni ac famae reclamat et in se omnia reponit et, cum ingentem ex altera parte turbam contra sentientium adspexit, non numerat suffragia sed una sententia uincit. Si uero bonam fidem perfidiae suppliciis 6

---

2 adsidit N adsidet *ug.*; adsedit *duo* D uel *scripsi;* ut N^1; aut N^2 *et ug.* 4 spes lucri, captator *Gt.* spes, si lucri captator N 8 propiti N^1 *corr.* N^2(?) 10 qui aliquid *ug.* quia | aliquid N reddidit N reddit N^1 *et* N^2 12 accepit N^1 accipit N^2 14 latenti *ug.* latente N atqui *Pinc.* atque N 16 ipse *scripsi;* ipsi N 20 ingratus est et qui non rettulit *om.* N^1; *suppl.* N^2 25 est *add. Wsbg.;* qui *ante* conpressis *delet Mg.* 26 quid N^2 qui N^1 30 contrarium tradidit N^1; in contr. trad. N^2, *unde Mg.:* in contr. trahit; *Koch:* in contr. trudit ipsam N, *sed* am *scr.* N^2

adfici uidet, non descendit e fastigio et supra poenam suam consistit: „Habeo“ inquit „quod uolui, quod petii; nec paenitet nec paenitebit nec ulla iniquitate me eo fortuna perducet, ut hanc uocem audiat: quid mihi uolui? quid nunc mihi prodest bona uoluntas?“ Prodest et in eculeo, prodest et in igne; qui singulis 5 membris admoueatur et paulatim uiuum corpus circumeat licet, ipsum cor plenum bona conscientia stillet: placebit illi ignis, per quem bona fides conlucebit.

XXII, 1 Nunc illud quoque argumentum quamuis dictum iam reducatur: quid est, quare grati uelimus esse, cum morimur, quare 10 singulorum perpendamus officia, quare id agamus in omnem uitam nostram memoria decurrente, ne cuius officii uideamur obliti? Nihil iam superest, quo spes porrigatur; in illo tamen cardine 2 positi abire e rebus humanis quam gratissimi uolumus. Est uidelicet magna in ipso opere merces rei et ad adliciendas mentes 15 hominum ingens honesti potentia, cuius pulchritudo animos circumfundit et delenitos admiratione luminis ac fulgoris sui rapit. 3 At multa *ab* hoc commoda oriuntur, et tutior est uita melioribus amorque et secundum bonorum iudicium, aetasque securior, quam innocentia, quam grata mens prosequitur. Fuisset enim iniquis- 20 sima rerum natura, si hoc tantum bonum miserum et anceps et sterile fecisset. Sed illud intuere, an ad istam uirtutem, quae saepe tuta ac facili aditur uia, etiam per saxa et rupes et feris 4 ac serpentibus obsessum iter fueris iturus. Non ideo per se non est expetendum, cui aliquid extra quoque emolumenti adhaeret; 25 fere enim pulcherrima quaeque multis et aduenticiis comitata sunt dotibus, sed illas trahunt, ipsa praecedunt.

XXIII, 1 Num dubium est, quin hoc humani generis domicilium circumitus solis ac lunae uicibus suis temperet? quin alterius calore alantur corpora, terrae relaxentur, inmodici humores conpriman- 30 tur, adligantis omnia hiemis tristitia frangatur, alterius tepore efficaci et penetrabili regatur maturitas frugum? quin ad huius cursum fecunditas humana respondeat? quin ille annum obseruabilem fecerit circumactu suo, haec mensem minoribus se spatiis 2 flectens? Ut tamen detrahas ista, non erat ipse sol idoneum ocu- 35

---

1 et supra **N** sed supra *ug.* 4 audiat *L.* audiam **N** 5 qui singulis . . circumeat licet, ipsum *scripsi ex* **N**[1]; qui si singulis . . circumeat, licet ipsum **N**[2] *et ug.* 7 cor *nonn.* **D** *et Gr.* corpus **N** 12 decurrente *Mt.* decorrente **N** 14 e rebus **N**[2] eremus **N**[1] 18 ab hoc *scripsi;* hoc **N**; ex hoc *unus* **D**; hinc *ug.* tutitior est **N**[1] *corr.* **N**[2]; *fort.* mitior est 23 tuta ac facili aditur uia *scripsi cum Wsbg.* (*sed is* uia aditur); tuta ac facile daturus **N**[1]; tuto ac facile aditur **N**[2](?) 25 cui aliquid **N**; quia aliquid *Wsbg.* 30 humores **N**[2](?) omores **N**[1] umores **N**[2] 35 idoneū **N**[1] idoneus **N**[2](?)

lis spectaculum dignusque adorari, si tantum praeteriret? non erat digna suspectu luna, etiam si otiosum sidus transcurreret? Ipse mundus, quotiens per noctem ignes suos fudit et tantum stellarum innumerabilium refulsit, quem non intentum in se te-
5 net? quis sibi illa tunc, cum miratur, prodesse cogitat? Adspice 3
ista tanto superne coetu labentia, quemadmodum uelocitatem suam sub specie stantis atque inmoti operis abscondant. Quantum ista nocte, quam tu in numerum ac discrimen dierum obseruas, agitur! quanta rerum turba sub hoc silentio euoluitur!
10 quantam fatorum seriem certus limes educit! Ista, quae tu non 4
aliter quam in decorem sparsa consideras, singula in opere sunt. Nec enim est, quod existimes septem sola discurrere, cetera haerere; paucorum motus conprehendimus, innumerabiles uero longiusque a conspectu seducti di eunt redeuntque, et ex his, qui
15 oculos nostros patiuntur, plerique obscuro gradu pergunt et per occultum aguntur.

Quid ergo? non caperis tantae molis adspectu, etiam si te XXIV, 1
non tegat, non custodiat, non foueat generetque ac spiritu suo riget? Quemadmodum haec cum primum usum habeant et neces-
20 saria uitaliaque sint, maiestas tamen eorum totam mentem occupat, ita omnis illa uirtus et in primis grati animi multum quidem praestat, sed non uult ob hoc diligi; amplius quiddam in se habet nec satis ab eo intellegitur, a quo inter utilia numeratur. Gratus 2
est, quia expedit? ergo et quantum expedit? Non recipit sordi-
25 dum uirtus amatorem; soluto ad illam sinu ueniendum est. Ingratus hoc cogitat: „Uolebam gratiam referre, sed timeo inpensam, timeo periculum, uereor offensam; faciam potius, quod expedit.“ Non potest eadem ratio et gratum facere et ingratum; ut diuersa illorum opera, ita diuersa inter se proposita sunt; ille
30 ingratus est, quamuis non oporteat, quia expedit; hic gratus est, quamuis non expediat, quia oportet.

Propositum est nobis secundum rerum naturam uiuere et XXV, 1
deorum exemplum sequi; di autem, quodcumque faciunt, in eo

---

1 tantum N, *sed* m *in ras.* N² 3 tantum N, *fort.* tectum 6 ista N; ista astra *Wsbg.* 7 Quantum *ug.* quantus N 8 quam tu *ug.* quantum N; *fort.* quam tu tantum 10 educ& N¹ *corr.* N² 11 in decorem *ug.* indecore N 12 discutere N¹ *corr.* N² 14 seducit N¹ *corr.* N² ex his N, ex iis *Wsbg.* 18 spū suo riget N²; spī uorigit N¹ *ut uid.* 20 eorum sint totam N¹; sint *del.* N² *ut uid.* 21 omnis illa uirtus et in primis grati animi N; illa *del. Gr.; post* primis *transp. Pinc.* 24 est N; es *malim* ergo et quantum expetit (N²(?) expedit) *om.* N; *suppl.* N¹ (*prim. corr.*) recipit *ug.* recepit N 26 uolebat N *corr.* N¹ 30 opoteam N¹ *corr.* N²; oporteat *in marg. adscr.* N²(?)

quid praeter ipsam faciendi rationem sequuntur? nisi forte illos existimas fructum operum suorum ex fumo extorum et turis odore
2 percipere. Uide, quanta cotidie moliantur, quanta distribuant, quantis terras fructibus inpleant, quam opportunis et in omnes oras ferentibus uentis maria permoueant, quantis imbribus repente deiectis solum molliant uenasque fontium arentes redintegrent et infuso per occulta nutrimento nouent. Omnia ista sine mercede,
3 sine ullo ad ipsos perueniente commodo faciunt. Hoc nostra quoque ratio, si ab exemplari suo non aberrat, seruet, ne ad res honestas conducta ueniat. Pudeat ullum uenale esse beneficium: gratuitos habemus deos.

XXVI, 1 „Si deos" inquit „imitaris, da et ingratis beneficia; nam et sceleratis sol oritur, et piratis patent maria." Hoc loco interrogant, an uir bonus daturus sit beneficium ingrato, sciens ingratum esse. Permitte mihi aliquid interloqui, ne interrogatione
2 insidiosa capiamur. Duos ex constitutione Stoica accipe ingratos. Alter est ingratus, quia *stultus est*; stultus etiam malus est; qui malus est, nullo uitio caret: ergo et ingratus est. Sic omnes malos intemperantes dicimus, auaros, luxuriosos, malignos, non quia omnia ista singulis magna et nota uitia sunt, sed quia esse possunt; et sunt, etiam si latent. Alter est ingratus, qui uulgo
3 dicitur, in hoc uitium natura propensus. Illi ingrato, qui sic hac culpa non caret, quomodo nulla caret, dabit beneficium uir bonus; nulli enim dare poterit, si tales homines submouerit. Huic ingrato, qui beneficiorum fraudator est et in hanc partem procubuit animo, non magis dabit beneficium quam decoctori pecuniam credet aut depositum conmittet ei, qui iam pluribus abnegauit.

XXVII, 1 Timidus dicitur aliquis, quia stultus est: et hoc malos sequitur, quos indiscreta et uniuersa uitia circumstant; dicimus timidos proprie natura etiam ad inanes sonos pauidos. Stultus omnia uitia habet, sed non in omnia natura pronus est: alius in
2 auaritiam, alius in luxuriam, alius in petulantiam inclinatur. Itaque errant illi, qui interrogant Stoicos: „Quid ergo? Achilles timidus est? quid ergo? Aristides, cui iustitia nomen dedit, iniustus est? quid ergo? [et] Fabius, qui „cunctando restituit rem",

---

4 fluctibus N^1 *corr.* N^2 5 oras N^1 horas N^2(?) 6 moliant N *corr.* N^1 *ut uid.* 8 commodo N^2 quodo N^1 12 beneficia; nam et sceleratis *om.* N; *suppl. prim. corr.* 17 quia quia N, *sed prius del.* N^1 stultus est *add.* N^2 qui malus est *ug.* quia malus est N^1; qui autem malus est N^2(?) 26 decoctori *Pinc.* coctori N 27 credet *Er.* credit N 30 dicimus timidos . . pauidos *scripsi;* dicimus timidus . . pauidus N^1; dicitur *corr.* N^2 36 et *om. unus* D

temerarius est? quid ergo? Decius mortem timet? Mucius proditor est? Camillus desertor?" Non hoc dicimus, sic omnia uitia esse in omnibus, quomodo in quibusdam singula eminent, sed malum ac stultum nullo uitio uacare; ne audacem quidem timoris
5 absoluimus, ne prodigum quidem auaritia liberamus. Quomodo 3
homo omnes sensus habet, nec ideo tamen omnes homines aciem habent Lynceo similem, sic, *qui* stultus est, non tam acria et concitata habet omnia *uitia* quam quidam quaedam, *omnia habet.* Omnia in omnibus uitia sunt, sed non omnia in singulis extant:
10 hunc natura ad auaritiam inpellit; hic uino, hic libidini deditus est aut, si nondum deditus, ita formatus, ut in hoc illum mores sui ferant. Itaque, ut ad propositum reuertar, nemo non ingratus 4
est, qui malus: habet enim omnia nequitiae semina; tamen proprie ingratus adpellatur, qui ad hoc uitium uergit: huic ergo
15 beneficium non dabo. Quomodo male filiae suae consulet, qui 5
illam contumelioso et saepe repudiato conlocauerit, malus pater familiae habebitur, qui negotiorum gestorum damnato patrimonii sui curam mandauerit, quomodo dementissime testabitur, qui tutorem filio reliquerit pupillorum spoliatorem, sic pessime bene-
20 ficia dare dicetur, quicumque ingratos eliget, in quos peritura conferat.

„Di quoque" inquit „multa ingratis tribuunt." Sed illa XXVIII, 1
bonis parauerunt; contingunt autem etiam malis, quia separari non possunt. Satius est autem prodesse etiam malis propter bo-
25 nos quam bonis deesse propter malos. Ita, quae refers, diem, solem, hiemis aestatisque cursus et media ueris autumnique temperamenta, imbres et fontium haustus, uentorum statos flatus pro uniuersis inuenerunt; excerpere singulos non potuerunt. Rex 2
honores dignis dat, congiarium et indignis: frumentum publicum
30 tam fur quam periurus et adulter accipiunt et sine dilectu morum quisquis incisus est; quidquid aliud est, quod tamquam ciui, non tamquam bono datur, ex aequo boni ac mali ferunt. Deus quo- 3
que quaedam munera uniuerso humano generi dedit, a quibus excluditur nemo. Nec enim poterat fieri, ut uentus bonis uiris
35 secundus esset, contrarius malis, communi autem bono erat patere

---

5 prodignum N^1 *corr.* N^2 7 lynceo N^1 linci N^2(?) qui *add.* N^2; *fort.* est (ē N) *omittendum erat* 8 uitia *addidi*, *item Wsbg.* quaedam *add. prim. corr.* omnia habet *addidi* 13 *malim* omnis 15 consulet N^1 consulit N^2 16 illum N^1 *corr.* N^2 conlocauerit (*uel* conlocabit) *scripsi;* collogauit N^1 collocauit N^2 malus N, *fort.* et malus; *ug.* quomodo malus 18 mandauerat N^1 *corr.* N^2 20 eliget *scripsi;* eligit N 27 ausitus N^1 *corr.* N^2 stato N^1 *corr.* N^2 31 ciui N^2 cibo N^1 33 munere$^{ant.}$ N^1, *sed* e *et* nt *del.* N^2 35 communi . . bono *Fickert;* commune . . bono N^1; bonum *adscr.* N^2(?)

commercium maris et regnum humani generis relaxari; nec poterat lex casuris imbribus dici, ne in malorum inproborumque rura
4 defluerent. Quaedam in medio ponuntur: tam bonis quam malis conduntur urbes; monumenta ingeniorum et ad indignos peruentura publicauit editio; medicina etiam sceleratis opem monstrat; 5 conpositiones remediorum salutarium nemo subpressit, ne sana-
5 rentur indigni. In iis exige censuram et personarum aestimationem, quae separatim tamquam digno dantur, non in his, quae promiscue turbam admittunt. Multum enim refert, utrum aliquem non excludas an eligas. Ius et furi dicitur; pace etiam homicidae 10 fruuntur; sua repetunt etiam qui aliena rapuerunt; percussores et domi ferrum exercentes murus ab hoste defendit; legum prae-
6 sidio, qui plurimum in illas peccauerunt, proteguntur. Quaedam non poterant certis contingere, nisi uniuersis darentur; non est itaque, quod de istis disputes, ad quae publice inuitati sumus. 15 Illud, quod iudicio meo ad aliquem peruenire debebit, ei, quem esse ingratum sciam, non dabo.

XXIX, 1 „Ergo" inquit „nec consilium deliberanti dabis ingrato nec aquam haurire permittes *sitienti* nec uiam monstrabis erranti? an haec quidem facies sed nihil donabis?" Distinguam istud, 20
2 certe temptabo distinguere. Beneficium est opera utilis, sed non omnis opera utilis beneficium est; quaedam enim tam exigua sunt, ut beneficii nomen non occupent. Duae res coire debent, quae beneficium efficiant. Primum rei magnitudo; quaedam enim sunt infra huius nominis mensuram. Quis beneficium dixit qua- 25 dram panis aut stipem aeris abiecti aut ignis accendendi factam potestatem? et interdum ista plus prosunt quam maxima; sed tamen uilitas sua illis, etiam ubi temporis necessitate facta sunt
3 necessaria, detrahit pretium. Deinde hoc, quod potentissimum est, oportet accedat, ut eius causa faciam, ad quem uolam perue- 30 nire beneficium, dignumque eum iudicem et libens id tribuam percipiensque ex munere meo gaudium, quorum nihil est in istis, de quibus loquebamur; non enim tamquam dignis illa tribuimus sed neglegenter tamquam parua, et non homini damus sed humanitati.

---

1 regnum N¹ reb; (*i. e.* rebus) *adscr.* N²(?) 7 iis N¹ hiis N²(?) 10 furi *unus* D *et Puteanus;* fori N 11 percussores *ug.* persecutores N 14 certis *Pinc.* ceteris N 15 ad quae *ug.* atqi N 16 eiq. messe ingr. N¹ *corr.* N² 19 sitienti *add. Cornelissen* 21 utilis beneficium sed N; *sed* beneficium *del.* N² *ut uid.* 23 coire N² quoire N¹ 25 dixit N, *fort.* dixerit 28 uilitas *ug.* utilitas N 29 potentissimum N; potissimum *ug.* 30 uolam N¹ uolebam N²(?) 33 tam dignis N¹ *corr.* N² *ut uid.*

Aliquando daturum me etiam indignis quaedam non nega- XXX, 1
uerim in honorem aliorum, sicut in petendis honoribus quosdam
turpissimos nobilitas industriis sed nouis praetulit non sine ra-
tione; sacra est magnarum uirtutum memoria, et esse bonos plures
5 iuuat, si gratia bonorum non cum ipsis cadit. Ciceronem filium 2
quae res consulem fecit nisi pater? Cinnam nuper quae res ad
consulatum recepit ex hostium castris, quae Sex. Pompeium
aliosque Pompeios, nisi unius uiri magnitudo tanta quondam, ut
satis alte omnes suos etiam ruina eius adtolleret? Quid nuper
10 Fabium Persicum, cuius osculum etiam inpudici denotabant, sa-
cerdotem non in uno collegio fecit nisi Uerrucosi et Allobrogici
et illi trecenti, qui hostium incursioni pro re publica unam domum
obiecerant? Hoc debemus uirtutibus, ut non praesentes solum 3
illas sed etiam ablatas e conspectu colamus; quomodo illae id
15 egerunt, ut non in unam aetatem prodessent sed beneficia sua
etiam post ipsas relinquerent, ita nos non una aetate grati simus.
Hic magnos uiros genuit: dignus est beneficiis, qualiscumque
est; dignos dedit. Hic egregiis maioribus ortus est: qualiscumque 4
est, sub umbra suorum lateat. Ut loca sordida repercussu solis
20 inlustrantur, ita inertes maiorum suorum luce resplendeant.

Excusare hoc loco tibi, mi Liberalis, deos uolo. Inter- XXXI, 1
dum enim solemus dicere: „Quid sibi uoluit prouidentia, quae
Arrhidaeum regno inposuit?“ Illi putas hoc datum? patri eius
datum est et fratri. „Quare *C.* Caesarem orbi terrarum praefecit, 2
25 hominem sanguinis humani auidissimum, quem non aliter fluere
in conspectu suo iubebat, quam si ore exceptturus esset?“ Quid
ergo? tu hoc illi datum *putas*? *datum* est patri eius Germanico, da-
tum suo proauoque et ante hos aliis non minus claris uiris, etiam
si priuati paresque aliis uitam exegerunt. Quid? tu, cum Mamer- 3
30 cum Scaurum consulem faceres, ignorabas ancillarum suarum
illum menstruum hiantem exceptare? numquid enim ipse dissi-
mulabat? numquid purus uideri uolebat? Referam tibi dictum

---

3 nouis **N**[1] *ut uid.* nob̃ **N** 4 bonos plures *Wsbg.* plures bonos **N** 5 cadit **N** cadat *ug.* 7 castris, quae *interpunxi;* castris? quae *ug.; uid. Adn.* sex **N**[1] sextũ **N**[2](?) 8 unius uiri **N**[1]; gnei pompei *adscr.* **N**[2](?) 10 inpudici *L.* inpodiri **N** denotabant, sacerdotem *scripsi;* deuota bonisacerdotem **N**; deuitabant, sac. *L.* 11 allobragici **N**[1] *corr.* **N**[2]; . s . galli *adscr.* **N**[2](?) 16 simus *ug.* sumus **N** 17 *fort. intpgd.* beneficiis; qualiscumque est, dignos 19 repercusso **N**[1] *corr.* **N**[2] 22 quid **N**[2] quod **N**[1] 24 Quare C. Caesarem *Mt.* quare caes **N**[1] quare caesarẽ **N**[2](?) 26 conspectu *ug.* conspecto **N** 27 datum putas? datum est *scripsi;* datum est **N**[1] datum estimas **N**[2] 30 cos **N**[1] cõsulẽ **N**[2](?) 31 hiantem *scripsi;* hiante **N**[1] ore hiante **N**[2] exceptare *ug.* expectare **N** desimulabat **N**[1] *corr.* **N**[2]

eius in se, quod circumferri memini et ipso praesente laudari.
4 Pollioni Annio iacenti obsceno uerbo usus dixerat se facturum id, quod pati malebat; et cum Pollionis adtractiorem uidisset frontem: „Quidquid“ inquit „mali dixi, mihi et capiti meo.“ Hoc
5 dictum suum ipse narrabat. Hominem tam palam obscenum ad 5 fasces et ad tribunal admisisti? nempe dum ueterem illum Scaurum senatus principem cogitas et indigne fers subolem eius iacere.

XXXII, 1 *Idem facere* deos ueri simile est, ut alios indulgentius tractent propter parentes auosque, alios propter futuram nepotum 10 pronepotumque ac longe sequentium posterorum subolem; nota enim illis est operis sui series, omniumque illis rerum per manus suas iturarum scientia in aperto semper est; nobis ex abdito subit, et, quae repentina putamus, illis prouisa ueniunt ac familiaria.
2 „Sint hi reges, quia maiores eorum boni fuerunt, quia pro summo 15 imperio habuerunt iustitiam, abstinentiam, quia non rem publicam sibi, sed se rei publicae dicauerunt. Regnent hi, quia uir bonus quidam ante proauus eorum fuit, qui animum supra fortunam gessit, qui in dissensione ciuili, quoniam ita expediebat rei publicae, uinci quam uincere maluit; referri gratia illi tam longo 20 spatio non potuit; in illius respectum iste populo praesideat, non
3 quia scit aut potest, sed quia alius pro illo meruit. Hic corpore deformis est, adspectu foedus et ornamenta sua traducturus; iam me homines accusabunt, caecum ac temerarium dicent, nescientem, quo loco, quae summis atque excelsissimis debentur, ponam; 25
4 at ego scio alii me istud dare, alii olim debitum soluere. Unde isti norunt illum quondam gloriae sequentis fugacissimum, eo uultu ad pericula euntem, quo alii e periculo redeunt, numquam bonum suum a publico distinguentem? „Ubi“ inquis „iste aut quis est? unde?“ Uos nescitis; apud me istae expensorum accep- 30 torumque rationes dispunguntur, ego, quid cui debeam, scio; aliis post longam diem repono, aliis in antecessum ac prout occasio et rei publicae meae facultas tulit.“ Ingrato ergo aliquando quaedam sed non propter ipsum dabo.

---

4 mihi *ug.* mi **N**[1] michi **N**[2] dixi, dixi mihi *coni. C. F. W. Müller* (*N. J. 93 p. 499*). 3—4 *Uerba* et cum Pollionis .. inquid, *quae omiserat librarius, ad calcem paginae suppl. prim. corr.* 7 cogitas et *scripsi;* cogitas. s& **N** 9 Idem facere *add. Mg.* 11 subolem *C. F. W. Müller* (*N. J. 93 p. 498*); indolem **N** 15 boni *scripsi;* non **N**, *quod om. He.* 18 ante proauus **N**; ante *om. ug.; fort.* inter proauos 20 gratiam **N**, *sed* m *erasum; fuit fort.* referre gratiam .. potui 25 excelsissimis **N**; excellentissimis *ug.* 26 alii .. alii *ug.* ali .. alio **N**[1] alio .. alio **N**[2] 28 alii e **N**[2](?) alię **N**[1] 30 unde?“ Uos nescitis, apud *Wsbg.* (*et iam L.:* unde?“ Nescitis); unde uos scitis aput **N**

„Quid? si“ inquit „nescis, utrum ingratus sit an gratus, XXXIII,1
expectabis, donec scias, an dandi beneficii tempus non amittes?
Expectare longum est (nam, *ut* ait Platon, difficilis humani animi
coniectura est), non expectare temerarium est.“ Huic respon- 2
5 debimus numquam expectare nos certissimam rerum conprehen-
sionem, quoniam in arduo est ueri exploratio, sed ea *ire*, qua
ducit ueri similitudo. Omne hac uia procedit officium: sic seri-
mus, sic nauigamus, sic militamus, sic uxores ducimus, sic libe-
ros tollimus; cum omnium horum incertus sit euentus, ad ea
10 accedimus, de quibus bene sperandum esse credidimus. Quis enim
pollicetur serenti prouentum, nauiganti portum, militanti uicto-
riam, marito pudicam uxorem, patri pios liberos? sequimur, qua
ratio, non qua ueritas traxit. Expecta, ut nisi bene cessura non 3
facias et nisi conperta ueritate nil noueris: relicto omni actu uita
15 consistet. Cum ueri similia me in hoc aut in illud inpellant, non
uera, ei beneficium dabo, quem ueri simile erit gratum esse.

„Multa“ inquit „interuenient, propter quae et malus XXXIV,1
pro bono subrepat et bonus pro malo displiceat; fallaces enim
sunt rerum species, quibus credimus.“ Quis negat? sed nihil aliud
20 inuenio, per quod cogitationem regam. His ueritas mihi uestigiis
sequenda est, certiora non habeo; haec ut quam diligentissime
aestimem, operam dabo nec cito illis adsentiar. Sic enim in proe- 2
lio potest accidere, ut telum meum in conmilitonem manus deri-
gat aliquo errore decepta et hosti tamquam meo parcam; sed hoc
25 et raro accidet et non uitio meo, cuius propositum est hostem
ferire, ciuem defendere. Si sciam ingratum esse, non dabo bene-
ficium; at obrepsit, at inposuit: nulla hic culpa tribuentis est,
quia tamquam grato dedi. — „Si promiseris“ inquit „te datu- 3
rum beneficium et postea ingratum esse scieris, dabis an non?
30 Si facis, sciens peccas, das enim, cui non debes dare; si negas, et
hoc modo peccas: non das ei, cui promisisti. Constantia uestra
hoc loco titubat et illud superbum promissum, numquam sapien-
tem facti sui paenitere nec umquam emendare, quod fecerit, nec
mutare consilium.“ Non mutat sapiens consilium omnibus iis 4
35 manentibus, quae erant, cum sumeret; ideo numquam illum pae-
nitentia subit, quia nihil melius illo tempore fieri potuit, quam

3 ut *add.* **N**²(?) 6 ire *add.* **N**²(?) 7 omne acuia **N**¹ *corr.* **N**² 10 credidimus *duo* **D**; credimus **N** 11 serendi .. nauigandi **N**¹ *corr.* **N**² 13 traxit **N** trahit *ug.* censura **N**¹ *corr.* **N**² 14 coperta **N**¹ comperta **N**² noueris *Koch* (*ex uno* **D** *et edd. antiq.*) moueris **N** 15 consistet *unus* **D**; consistit **N** 16 uera *Gr.* uerae **N** 19 credimus *ug.* credidimus **N** 23 derigat *scripsi;* dirigat **N** 27 obrepsit, at **N**² orepsitat **N**¹ 31 Constantia *L.* conscientia **N** 34 iis *scripsi;* his **N** 35 erant *ug.* erat **N**

quod factum est, nihil melius constitui, quam constitutum est; ceterum ad omnia cum exceptione uenit: „si nihil inciderit, quod impediat". Ideo omnia illi succedere dicimus et nihil contra opinionem accidere, quia praesumit animo posse aliquid interuenire, quod destinata prohibeat. Inprudentium ista fiducia est, fortunam sibi spondere; sapiens utramque partem eius cogitat; scit, quantum liceat errori, quam incerta sint humana, quam multa consiliis obstent; ancipitem rerum ac lubricam sortem suspensus sequitur, consiliis certis incertos euentus expendit. Exceptio autem, sine qua nihil destinat, nihil ingreditur, et hic illum tuetur.

XXXV, 1 Promisi beneficium, nisi si quid incidisset, quare non deberem dare. Quid enim, si, quod illi pollicitus sum, patria me sibi dare iusserit? si lex lata erit, ne id quisquam faciat, quod ego me amico meo facturum promiseram? Promisi tibi in matrimonium filiam; postea peregrinus adparuisti; non est mihi cum
2 externo connubium: eadem res me defendit, quae uetat. Tunc fidem fallam, tunc inconstantiae crimen audiam, si, cum eadem omnia sint, quae erant promittente me, non praestitero promissum; alioquin, quidquid mutatur, libertatem facit de integro consulendi et me fide liberat. Promisi aduocationem: postea adparuit per illam causam praeiudicium in patrem meum quaeri; promisi me peregre exiturum: sed iter infestari latrociniis nuntiatur; in rem praesentem uenturus fui: sed aeger filius, sed puerpera uxor
3 tenet. Omnia esse debent eadem, quae fuerunt, cum promitterem, ut promittentis fidem teneas; quae autem maior fieri mutatio potest, quam si te malum uirum et ingratum conperi? Quod tamquam digno dabam, indigno negabo et irascendi quoque causam habebo deceptus.

XXXVI, 1 Inspiciam tamen et quantum sit, de quo agitur; dabit mihi consilium promissae rei modus. Si exiguum est, dabo, non quia dignus es, sed quia promisi, nec tamquam munus dabo, sed uerba mea redimam et aurem mihi peruellam. Damno castigabo promittentis temeritatem: „Ecce, ut doleat tibi, ut postea conside-
2 ratius loquaris!" Quod dicere solemus, linguarium dabo. Si

---

1 quam constitutum **N**; quam quod constitutum *ug.; uid. Adn.* 6 utramque *ug.* utraq; **N** 9 certis incertos **N**, *sed* tis *et* to *in ras.* **N**^{2}(?) expendit *ad calcem paginae, quae hoc uersu finitur, suppl. prim. corr.* 13 patria me *scripsi;* patriā (*i. e.* patriam) **N** 17 res **N**; lex *Mt.* 23 exiturum **N**^{1}; una exiturum **N**^{2}(?) 24 sed puerpera *Mt.* et puerpera **N** 35 loquaris!" Quod d. solemus, l. dabo. *interpunxi, uid. Adn.*

maius erit, non conmittam, quemadmodum Maecenas ait, ut sestertio centies obiurgandus sim. Inter se enim utrumque conparabo: est aliquid in eo, quod promiseris, perseuerare; est rursus multum in eo, ne indigno beneficium des; hoc tamen quantum est? 5 si leue, coniueamus, si uero magno mihi aut detrimento aut rubori futurum, malo semel excusare, quare negauerim, quam semper, quare dederim. Totum, inquam, in eo est, quantum; promissi mei uerba taxentur. Non tantum, quod temere promisi, retinebo, 3 sed, quod non recte dedi, repetam; demens est, qui fidem prae- 10 stat errori.

Philippus Macedonum rex habebat militem manu for- XXXVII,1 tem, cuius in multis expeditionibus utilem expertus operam subinde ex praeda aliquid illi uirtutis causa donauerat et hominem uenalis animae crebris auctoramentis accendebat. Hic naufragus 15 in possessiones cuiusdam Macedonis expulsus est, quoi ut nuntiatum est, accucurrit, spiritum eius reconlegit, in uillam illum suam transtulit, lectulo suo cessit, adfectum semianimemque recreauit, diebus triginta inpensa sua curauit, refecit, uiatico instruxit subinde dicentem: „Gratiam tibi referam, uidere tantum mihi impe- 20 ratorem meum contingat.“ Narrauit Philippo naufragium suum, 2 auxilium tacuit et protinus petiit, ut sibi cuiusdam praedia donaret. Ille quidam erat hospes eius, is ipse, a quo receptus erat, a quo sanatus. Multa interim reges in bello praesertim opertis oculis donant. „Non sufficit homo iustus tot armatis cupiditatibus, 25 non potest quisquam eodem tempore et bonum uirum et bonum ducem agere. Quomodo tot milia hominum insatiabilia satiabuntur? Quid habebunt, si suum quisque habuerit?“ Haec Philippus 3 sibi dixit, cum illum induci in bona, quae petebat, iussit. Expulsus bonis suis ille non ut rusticus iniuriam tacitus tulit, conten- 30 tus, quod non et ipse donatus esset, sed Philippo epistulam strictam ac liberam scripsit; qua accepta ita exarsit, ut statim Pausaniae mandaret, bona priori domino restitueret, ceterum inprobissimo militi, ingratissimo hospiti, auidissimo naufrago stigmata inscriberet ingratum hominem testantia. Dignus *is* quidem 4 35 fuit, cui non inscriberentur illae litterae sed insculperentur, qui

---

2 obiurgandus *Mt.* obiurgatus **N** 4 indigno *vg.* inde **N** 5 coniueamus **N**[1] conniueamus **N**[2](?) 7 quantum; promissi *Mg. ex nonn.* **D**; quanti promissi **N** 13 aliquid inde illi **N**, *sed* inde *del.* **N**[1] 14 accendebat **N**, *fort.* accenderat 15 quoi *scripsi;* quod **N** 21 petit **N**[1] *corr.* **N**[2] 22 quidam *Mt.* quidem **N** ei' (*pro* eius) **N** 24 iustus **N**[2](?) iusto **N**[1]; iustus unus *Mt. et nonn.* **D** 31 strictam **N** destrictam *Mg.* liberam **N**[2](?) liuerauit **N**[1] 34 is *addidi*

hospitem suum nudo et naufrago similem in id, *in* quo iacuerat
5 ipse, litus expulerat; sed uidebimus, quis modus poenae seruandus fuerit: auferendum utique fuit, quod summo scelere inuaserat. Quis autem poena eius moueretur? id conmiserat, propter quod nemo misereri misericors posset. 5

XXXVIII, 1 Dabit tibi Philippus, quia promisit, etiam si non debet, etiam si iniuriam facturus est, etiam si scelus facturus est, etiam si uno facto praeclusurus est naufragis litora? Non est leuitas a cognito et damnato errore discedere, et ingenue fatendum est: „Aliud putaui, deceptus sum.“ Haec uero superbae stultitiae per- 10
seuerantia est: „Quod semel dixi, qualecumque est, *sit* fixum ra-
2 tumque.“ Non est turpe cum re mutare consilium. Age, si Philippus possessorem illum eorum litorum reliquisset, quae naufragio ceperat, non omnibus miseris aqua et igni interdixerat? „Potius“ inquit „intra fines regni mei tu litteras istas oculis inscribendas 15
durissima fronte circumfer. I, ostende, quam sacra res sit mensa hospitalis; praebe in facie tua legendum istuc decretum, quo cauetur, ne miseros tecto iuuare capital sit. Magis ista constitutio sic rata erit, quam si illam in aes incidissem.“

XXXIX, 1 „Quare ergo“ inquit „Zeno uester, cum quingentos *de-* 20
narios cuidam mutuos promisisset et ipse illum parum idoneum conperisset, amicis suadentibus, ne daret, perseuerauit credere,
2 quia promiserat?“ Primum alia condicio est in credito, alia in beneficio. Pecuniae etiam male creditae exactio est; et adpellare debitorem ad diem possum et, si foro cesserit, portionem feram; 25
beneficium et totum perit et statim. Praeterea hoc mali uiri est, illud mali patris familiae. Deinde ne Zeno quidem, si maior fuisset summa, credere perseuerasset. Quingenti denarii sunt; illud quod dici solet, „in morbo consumat“; fuit tanti non reuocare promis-
3 sum suum. Ad cenam, quia promisi, ibo, etiam si frigus erit; non 30
quidem, si niues cadent. Surgam ad sponsalia, quia promisi, quamuis non concoxerim; sed non, si febricitauero. Sponsum descendam, quia promisi; sed non, si spondere me *in* incertum

---

1 in quo *ug.* quod **N**[1] quo **N**[2] 4 ei' **N** moueretur? id **N**[1]; moueretur, qui id **N**[2](?) *ut ug.* 7 scelus facturus est **N**, *sed* scelus *et* turus est *in ras.* **N**[1]; *deinde uerba:* etiam si uno facto praeclusus (*corr.* **N**[2]) est *ad calcem paginae, quae in* facturus est *desinit, add. pr. corr.* 8 ad cognito **N**[1] *corr.* **N**[2] 11 sit *addidi; post* ratumque *add.* **N**[2](?) 14 Potius **N**[1] Potius est **N**[2](?) *ut ug.* 15—16 tu.. circumfer. I, ostende *scripsi;* &.. circumferri ostende **N**; te.. circumferre. Ostende *ug.; de toto hoc loco uid. Adn.* 18 capital **N**[1] capitale **N**[2](?) 20 quingentos ·X· **N** (*item* 28); signum ponderis *adscr.* **N**[2](?) 27 illud **N**[2](?) illi **N**[1] 32 concoxerim *ug.* con | codixerim **N**, *sed* di *in ras.* **N**[1] 33 in incertum *Er.;* in *om.* **N**

iubebis, si fisco obligabis. Subest, inquam, tacita exceptio: si 4
potero, si debebo, si haec ita erunt. Effice, ut idem status sit, cum
exigis, qui fuit, cum promitterem: destituere leuitas erit. Si ali-
quid interuenit noui, quid miraris, cum condicio promittentis
5 mutata sit, mutatum esse consilium? eadem mihi omnia praesta,
et idem sum. Uadimonium promittimus, tamen deserti non in
omnes datur actio: deserentem uis maior excusat.

Idem etiam *in* illa quaestione responsum existima, an omni XL, 1
modo referenda sit gratia, et an beneficium utique reddendum sit.
10 Animum praestare gratum debeo, ceterum aliquando me referre
gratiam non patitur mea infelicitas, aliquando felicitas eius, cui
debeo. Quid enim regi, quid pauper, quid diuiti reddam, utique 2
cum quidam recipere beneficium iniuriam iudicent et beneficia
subinde aliis beneficiis onerent? quid amplius in horum persona
15 possum quam uelle? Nec enim ideo beneficium nouum reicere
debeo, quia nondum prius reddidi. Accipiam tam libenter, quam
dabitur, et praebebo me amico meo exercendae bonitatis suae ca-
pacem materiam; qui noua accipere non uult, acceptis offenditur.
Non refero gratiam: quid ad rem? non est per me mora, si aut 3
20 occasio mihi deest aut facultas. Ille praestitit mihi, nempe cum
occasionem haberet, cum facultatem; utrum bonus uir est an
malus? apud bonum uirum bonam causam habeo, apud malum
non ago. Ne illud quidem existimo faciendum, ut referre gratiam 4
etiam inuitis iis, quibus refertur, properemus et instemus rece-
25 dentibus; non est referre gratiam, quod uolens acceperis, nolenti
reddere. Quidam, cum aliquod illis missum est munusculum, sub-
inde aliud intempestiue remittunt et nihil se debere testantur;
reiciendi genus est protinus aliud in uicem mittere et munus
munere expungere. Aliquando et non reddam beneficium, cum 5
30 possim: quando? si plus mihi detracturus ero quam illi conla-
turus, si ille non erit sensurus ullam accessionem recepto eo, quo
reddito mihi multum abscessurum erit. Qui festinat utique red-
dere, non habet animum grati hominis sed debitoris; et, ut bre-
uiter, qui nimis cupit soluere, inuitus debet; qui inuitus debet,
35 ingratus est.

---

2 cum exigis, qui fuit N²(?); quo (*pro* quom) exigis, si fuit N¹
6 deserti non *Gr.* deserit non N; deseritur; non *edd. antiq. et recc.*
8 in *add. unus* D (*et ug. post* illa); *om.* N 9 utique *ug.* utile N
12 quid pauper, quid diuiti *scripsi;* quid pauperi quid diuiti N; quid pauper diuiti *Mt.* 24 iis *scripsi;* his N 26 aliquod *ug.* aliquid N 27 debere N² bere N¹

L-B. ANNEI SENECAE. INSTI | TUTIONIS ORATORIĘ LIB. | IIII. EXPLICIT. INCIPIT. LIBER. V. FELICITER

L. ANNAEI SENECAE

AD

AEBUTIUM LIBERALEM

DE BENEFICIIS

LIBER V.

I, 1 In prioribus libris uidebar consummasse propositum, cum tractassem, quemadmodum dandum esset beneficium, quemadmodum accipiendum. Hi enim sunt huius officii fines; quidquid ultra moror, non seruio materiae sed indulgeo, quae, quo ducit, sequenda est, non quo inuitat; subinde enim nascetur, quo la- 5
2 cessat aliqua dulcedine animum, magis non superuacuum quam necessarium. Uerum, quia ita uis, perseueremus peractis, quae rem continebant, scrutari etiam ea, quae, si uis uerum, connexa sunt, non cohaerentia; quae quisquis diligenter inspicit, nec facit
3 operae pretium nec tamen perdit operam. Tibi autem, homini 10 natura optimo et ad beneficia propenso, Liberalis Aebuti, nulla eorum laudatio satis facit. Neminem umquam uidi tam benignum etiam lenissimorum officiorum aestimatorem; iam bonitas tua eo usque prolapsa est, ut tibi dari putes beneficium, quod ulli datur; paratus es, ne quem beneficii paeniteat, pro ingratis rependere. 15
4 Ipse usque eo abes ab omni iactatione, usque eo statim uis exonerare, quos obligas, ut, quidquid in aliquem confers, uelis uideri non praestare sed reddere, ideoque plenius ad te sic data reuertentur; nam fere sequuntur beneficia non reposcentem et, ut gloria fugientes magis sequitur, ita fructus beneficiorum gratius 20

---

5 quo N quod *ug.* 8 scrutari N scrutaturi *nonnulli* D *et edd. recc.* 12 uidi am N^1 *corr.* N^2 15 rependere *scripsi;* dependere N 16 abes N^2 habes N^1

iis respondet, per quos esse etiam ingratos licet. Per te uero non 5
est mora, quo minus beneficia, qui acceperunt, ultro repetant, nec
recusabis conferre alia et subpressis dissimulatisque plura ac maiora
adicere: propositum optimi uiri et ingentis animi, tam diu ferre
5 ingratum, donec feceris gratum. Nec te ista ratio decipiet; suc-
cumbent uitia uirtutibus, si illa non cito odisse properaueris.

Illud itaque unice tibi placet uelut magnifice dictum, turpe II,1
esse beneficiis uinci. Quod an sit uerum, non inmerito quaeri
solet, longeque aliud est, quam mente concipis; numquam enim
10 in rerum honestarum certamine superari turpe est, dummodo
arma non proicias et uictus quoque uelis uincere. Non omnes ad 2
bonum propositum easdem adferunt uires, easdem facultates, ean-
dem fortunam, quae optimorum quoque consiliorum dumtaxat
exitus temperat; uoluntas ipsa rectum petens laudanda est. Etiam
15 si illam alius gradu uelociori antecessit, non, ut in certaminibus
ad spectaculum editis, meliorem palma declarat; quamquam in
illis quoque saepe deteriorem praetulit casus. Ubi de officio agi- 3
tur, quod uterque a sua parte esse quam plenissimum cupit, si
alter plus potuit et ad manum habuit materiam sufficientem animo
20 suo, si illi, quantum conatus est, fortuna permisit, alter autem
uoluntate par est, etiam si minora, quam accepit, reddidit aut om-
nino non reddidit sed uult reddere et toto in hoc intentus est
animo, non magis uictus est, quam qui in armis moritur, quem
occidere facilius hostis potuit quam auertere. Quod turpe existi- 4
25 mas, id accidere uiro bono non potest, ut uincatur. Numquam
enim succumbet, numquam renuntiabit; ad ultimum usque uitae
diem stabit paratus et in hac statione morietur magna se accepisse
prae se ferens, paria uoluisse.

Lacedaemonii uetant suos pancratio aut caestu decernere, III,1
30 ubi inferiorem ostendit uicti confessio. Cursor cretam prior con-
tigit: uelocitate ille, non animo antecessit; luctator ter abiectus
perdidit palmam, non tradidit. Cum inuictos esse Lacedaemonii
ciues suos magno aestimarent, ab iis certaminibus remouerunt,

---

1 iis respondet *scripsi;* respondit **N**; respondet illis *ug.* ingratos *unus* **D** *et edd. antiq.* ingratis **N** 5 gratum *ug.* iratum **N** succumbent *scripsi;* succumbunt **N** 6 non cito *Mt.* concito **N** prosperaueris **N**[1] *corr.* **N**[2] 7 itaque *scripsi;* utique **N** 8 ess& **N**[1] *corr.* **N**[2] quodam set **N** *corr. ug.* 14 est. Etiam si . . antecessit, non *interpunxi;* est, etiam si . . antecessit; non *ug.* 21 omnino *Mt.* („*ex uett. libr.*"); omnia **N** 22 et toto *ug.* ex toto **N** 24 aduertere **N**[1] *corr.* **N**[2] 26 enim **N**[2] e **N**[1] 27 statione orietur **N**[1] *corr.* **N**[2]
28 *Uerba* prae se . . uoluisse *et* (*u.* 32) palmam ñ traded& *inter uersus add. pr. corr.* 31 ille *scripsi;* illum **N**; alium *Pinc.* 33 ciues suos certaminibus magno **N**, *sed* certaminibus *del.* **N**[1] *et* **N**[2]

in quibus uictorem facit non iudex nec per se ipse exitus, sed uox
2 cadentis et parcere iubentis. Hoc, quod illi in suis ciuibus custo-
diunt, uirtus ac bona uoluntas omnibus praestat, ne umquam uin-
cantur, quoniam quidem etiam inter superantia animus inuictus
est. Ideo nemo trecentos Fabios uictos dicit sed occisos; et Re- 5
gulus captus est a Poenis, non uictus, et quisquis alius saeuientis
3 fortunae ui ac pondere obpressus non submittit animum. In be-
neficiis idem est: plura aliquis accepit, maiora, frequentiora; non
tamen uictus est. Beneficia fortasse beneficiis uicta sunt, si inter
se data et accepta conpares; si dantem et accipientem conpara- 10
ueris, quorum animi et per se aestimandi sunt, penes neutrum
erit palma. Solet enim fieri, ut, etiam cum alter multis uulneribus
confossus est, alter leuiter quidem saucius, pares exisse dicantur,
quamuis alter uideatur inferior.

IV, 1 Ergo nemo uinci potest beneficiis, *si* scit debere, si uult re- 15
ferre, si, quem rebus non potest, animo aequat. Hic quam diu in
hoc permanet, quam diu tenet uoluntatem gratum animum signis
adprobandi, quid interest, ab utra parte munuscula plura nume-
rentur? Tu multa dare potes, ego tantum accipere possum; tecum
stat fortuna, mecum bona uoluntas: tamen tam par tibi sum, 20
2 quam multis armatissimis nudi aut leuiter armati. Nemo itaque
beneficiis uincitur, quia tam gratus est quisque, quam uoluit. Nam
si turpe est beneficiis uinci, non oportet a praepotentibus uiris
accipere beneficium, quibus gratiam referre non possis, a princi-
pibus dico, a regibus, quos eo loco fortuna posuit, ex quo largiri 25
3 multa possent pauca admodum et inparia datis recepturi. Reges
et principes dixi, quibus tamen potest opera nauari, et quorum
illa excellens potentia per minorum consensum ministeriumque
constat; sed sunt quidam extra omnem subducti cupiditatem, qui
uix ullis humanis desideriis continguntur, quibus nihil potest prae- 30
stare ipsa fortuna. Necesse est a Socrate beneficiis uincar, ne-
cesse est a Diogene, qui per medias Macedonum gazas nudus in-
4 cessit calcatis regiis opibus; o! ne ille tunc merito et sibi et ceteris,
quibus ad dispiciendam ueritatem non erat obfusa caligo, supra
eum eminere uisus est, infra quem omnia iacebant; multo potentior, 35

---

2 cadentis *scripsi;* cędentis **N**; cedentis *ug.* parcere *Mg.* tradere **N** 10 conpares *scripsi;* conputes **N** 15 si *add. unus* **D** *et Mt.* 16 si, quem *L.* si quidē **N** 17 signis *ug.* ignis **N** 18 adprobandi **N** adprobans *Mg.* 19 ego *unus* **D** *et Fickert;* et ego **N**; at ego *ug.* 21 et tam multis **N** *corr. ut uid.* **N**[1] 22 uincuntur **N** *corr.* **N**[1] 28 minorum *Lectius;* animorum **N** 29 constat; sed sunt *scripsi;* constant (constat **N**[2]) & sunt **N**[1]; constat. Sunt *ug.* 33 regiis *ug.* regis **N** 34 dispiciendam *ug.* despiciendam **N**,

multo locupletior fuit omnia tunc possidente Alexandro; plus enim erat, quod hic nollet accipere, quam quod ille posset dare. Non est V,1
turpe ab his uinci; neque enim minus fortis sum, si cum inuulnerabili me hoste conmittis, nec ideo minus ignis urere potest,
5 si in materiam incidit inuiolabilem flammis, nec ideo ferrum secandi uim perdidit, si non recipiens ictum lapis solidusque et inuictae aduersus dura naturae diuidendus est. Idem tibi de homine grato respondeo: non turpiter uincitur beneficiis, si ab his obligatus est, ad quos aut fortunae magnitudo aut eximia uirtus
10 aditum redituris ad se beneficiis clusit. A parentibus fere uinci- 2
mur. Nam tam diu illos habemus, quám diu iudicamus graues et quam diu beneficia illorum non intellegimus; cum iam aetas aliquid prudentiae conlegit et adparere coepit propter illa ipsa eos amari a nobis debere, propter quae non amabantur, admonitiones,
15 seueritatem et inconsultae adulescentiae diligentem custodiam, rapiuntur nobis; paucos usque ad uerum fructum a liberis percipiendum perduxit aetas, ceteri filios onere senserunt. Non est 3
tamen turpe uinci beneficiis a parente; quidni non sit turpe, cum a nullo turpe sit? Quibusdam enim et pares et inpares sumus,
20 pares animo, quem solum illi exigunt, quem nos solum promittimus, inpares fortuna, quae si cui obstitit, quo minus referret gratiam, non ideo illi tamquam uicto erubescendum est; non est turpe non consequi, dummodo sequaris. Saepe necesse est ante 4
alia beneficia petamus, quam priora reddidimus, nec ideo non
25 petemus aut turpiter, quia non reddituri debebimus; quia non per nos erit mora, quo minus grati simus, si interueniet aliquid extrinsecus, quod prohibeat. Nos tamen nec uincemur animo nec turpiter iis rebus superabimur, quae non sunt in nostra potestate.

Alexander Macedonum rex gloriari solebat a nullo se bene- VI,1
30 ficiis uictum. Non est, quod nimius animi Macedonas et Graecos et Caras et Persas et nationes discriptas in exercitum suspiciat, nec hoc sibi praestitisse regnum a Thraciae angulo porrectum usque ad litus incogniti maris iudicet; eadem re gloriari Socrates potuit, eadem Diogenes, a quo utique uictus est. Quidni uictus

---

6 solidusque et inuictae **N**; solidus, inuictae *uel* solidus inuictaeque *ug.* 8 his **N** iis *Wsbg.* 21 si cui *ug.* si qui **N** 22 uincto **N**[1] *corr.* **N**[2] 25 petemus *Mg.* petimus **N** quia non redd. *ug.* quia n (*pro* ñ) redd. **N**; quasi non reddituri, deb. *Mg.; uid. Adn.* 26 grati *Mg.* gratissimi **N** simus *ug.* sumus **N** si interueniet *scripsi;* sed interueniet **N** 28 iis *scripsi; his* **N** 29 anolo **N** *corr.* **N**[1] 30 nimius *ug.* minus **N** 31 discriptas in exercitum *scripsi secutus Gr.* (*qui coni.:* descriptas in exercitus); districtas sine exercitum **N** suscipiat **N** *corr.* **N**[1] 32 trachie **N**[1] *corr.* **N**[2] 33 re *add.* **N**[1] *ut uid.*

sit illo die, quo homo super mensuram iam humanae superbiae tumens uidit aliquem, cui nec dare quidquam posset nec eripere?
2 Archelaus rex Socratem rogauit, ut ad se ueniret; dixisse Socrates traditur nolle se ad eum uenire, a quo acciperet beneficia, cum reddere illi paria non posset. Primum in ipsius potestate erat non accipere; deinde ipse dare beneficium prior incipiebat, ueniebat enim rogatus et id dabat, quod utique ille non erat Socrati redditurus; etiamnunc Archelaus daturus erat aurum et argentum, recepturus contemptum auri et argenti: non poterat
3 referre Archelao Socrates gratias? Ecquid tantum erat accepturus, quantum dabat, si ostendisset *ei* hominem uitae ac mortis peritum, utriusque fines tenentem? si regem in luce media errantem ad rerum naturam admisisset, usque eo eius ignarum, ut, quo die solis defectio fuit, regiam cluderet et filium, quod in luctu ac
4 rebus aduersis moris est, tonderet? Quantum fuisset beneficium, si timentem e latebris suis extraxisset et bonum animum habere iussisset dicens: „Non est ista solis defectio sed duorum siderum coitus, cum luna humiliore currens uia infra ipsum solem orbem suum posuit et illum obiectu sui abscondit; quae modo partes eius exiguas, si in transcursu strinxit, obducit, modo plus *tegit*, si maiorem partem sui obiecit, modo excludit totius adspectum,
5 si recto libramento inter solem terrasque media successit. Sed iam ista sidera hoc et illo diducet uelocitas sua; iam recipient diem terrae, et hic ibit ordo per saecula dispositosque ac praedictos dies habet, quibus sol intercursu lunae uetetur omnes radios effundere. Paulum expecta; iam emerget, iam istam uelut nubem relinquet, iam exsolutus inpedimentis lucem suam libere
6 mittet.“ Socrates parem gratiam Archelao referre non posset, si illum regnare docuisset? parum scilicet magnum beneficium a Socrate accipiebat, si ullum dare Socrati potuisset. Quare ergo hoc Socrates dixit? Uir facetus et cuius per figuras sermo procederet, derisor omnium, maxime potentium, maluit illi nasute negare quam contumaciter aut superbe; dixit se nolle beneficia ab eo accipere, cui non posset paria reddere. Timuit fortasse, ne cogeretur accipere, quae nollet, timuit, ne quid indignum So-

---

10 Sogrates grates | gratias **N**, *sed* grates *del.* **N**[1]; gratiam *ug.* ecquid *scripsi;* et quid **N** 11 ei *addidi* 12 regẽ **N**[1] *aut* **N**[2] lege **N** 14 filiom **N**; *malim* pilum a rebus **N**[1] *corr.* **N**[2] *ut uid.* 16 timente | me lat. **N**[1] *corr.* **N**[2] 17 sed **N**[2] & **N**[1] 19 obiectus uia absc. **N**[1] *corr.* **N**[2] 20 transcursus **N**[1] *corr.* **N**[2] 23 hoc (*i. e.* huc) et illo **N** huc et illo *ug.* diducet *ug.* deducit **N**[1] deducet **N**[2] 26 emergit **N**[1] *corr.* **N**[2] *ut uid.* 29 docuisset *ug.* uetuisset **N**, *in quo deinde rursus scribitur* si illum regnare tuisset, *quae del.* **N**[2] *ut uid. Aliud certe latet; fort.:* uetuisset parum gnarum? scilicet

crate accipere. Dicet aliquis: „Negasset se uelle.“ Sed instigas- 7
set in se regem insolentem et omnia sua magno aestimari uolen-
tem. Nihil ad rem pertinet, utrum dare aliquid regi nolis an
accipere a rege; in aequo utramque ponit repulsam, et superbo
5 fastidiri acerbius est quam non timeri. Uis scire, quid uere no-
luerit? noluit ire ad uoluntariam seruitutem is, cuius libertatem
ciuitas libera ferre non potuit.

Satis, ut existimo, hanc partem tractauimus, an turpe esset VII, 1
beneficiis uinci. Quod qui quaerit, scit non solere homines sibi
10 ipsos dare beneficium; manifestum enim fuisset non esse turpe
a se ipsum uinci. Atqui apud quosdam Stoicos et de hoc ambi- 2
gitur, an possit aliquis sibi beneficium dare, an debeat referre
sibi gratiam. Quod ut uideretur quaerendum, illa fecerunt: sole-
mus dicere: ‚gratias mihi ago‘ et ‚de nullo queri possum alio
15 quam de me‘ *et* ‚ego mihi irascor‘ et ‚ego a me poenas exigam‘ et
‚odi me‘, multa praeterea huiusmodi, per quae unusquisque de se
tamquam de altero loquitur. „Si nocere“ inquit „mihi possum, 3
quare non et beneficium mihi dare possim? Praeterea quae, si
in alium contulissem, beneficia uocarentur, quare, si in me con-
20 tuli, non sint? quod, si ab altero accepissem, deberem, quare, si
mihi ipse dedi, non debeam? quare sim aduersus me ingratus,
quod non minus turpe est quam in se sordidum esse et in se
durum ac saeuum et sui neglegentem? Tam alieni corporis leno 4
male audit quam sui. Nempe reprenditur adsentator et aliena
25 subsequens uerba, paratus ad falsa laudator; non minus placens
sibi et se suspiciens, ut ita dicam, adsentator suus. Uitia non
tantum, cum foris peccant, inuisa sunt, sed cum in se retorquen-
tur. Quem magis admiraberis, quam qui imperat sibi, quam qui 5
se habet in potestate? Gentes facilius est barbaras inpatientesque
30 arbitrii alieni regere quam animum suum continere et tradere
sibi. Platon, inquit, agit Socrati gratias, quod ab illo didicit;
quare Socrates sibi non agat, quod ipse se docuit? M. Cato ait:
„Quod tibi deerit, a te ipso mutuare“; quare donare mihi non pos-
sim, si commodare possum? Innumerabilia sunt, in quibus con- 6
35 suetudo nos diuidit; dicere solemus: ‚sine, loquar mecum‘ et ‚ego
mihi aurem peruellam‘; quae si uera sunt, quemadmodum ali-
quis sibi irasci debet, sic et gratias agere, quomodo obiurgare se,
sic et laudare se, quomodo damno sibi esse, sic et lucro potest.

---

1 accipere **N** acciperet *ug.* se uelle *scripsi;* si uellet **N**; si nollet *ug.* 5 timere **N**[1] *corr.* **N**[2] noluerit *ug.* uoluerit **N** 6 is **N**[2] his **N**[1] 15 et *addidi ex tribus* **D** 26 ut | se suscipiens **N**[1] *corr.* **N**[2] *ut uid.* 27 peccant **N**; spectant *Gt., fort. recte* 33 possim *scripsi;* possum **N** 36 sunt & quemadm. **N**[1]; & *exp.* **N**[2]

Iniuria et beneficium contraria sunt; si de aliquo dicimus: ‚iniuriam sibi fecit', poterimus dicere et: ‚beneficium sibi dedit'."

VIII, 1 Natura prius est, ut quis debeat, deinde, ut gratiam referat; debitor non est sine creditore, non magis quam maritus sine uxore aut sine filio pater; aliquis dare debet, ut aliquis accipiat. Non est dare nec accipere in dexteram manum ex sinistra transferre.
2 Quomodo nemo se portat, quamuis corpus suum moueat et transferat, quomodo nemo, quamuis pro se dixerit, adfuisse sibi dicitur nec statuam sibi tamquam patrono suo ponit, quomodo [si] aeger, cum cura sua conualuit, mercedem a se non exigit, sic in omni negotio, etiam cum aliquis, *quod* prodesset sibi, fecerit, non tamen debebit referre gratiam sibi, quia non habebit, cui
3 referat. Ut concedam aliquem dare sibi beneficium, dum dat, et recipit; ut concedam aliquem a se accipere beneficium, dum accipit, reddit. Domi, quod aiunt, uersura fit et uelut lusorium nomen statim transit; neque enim alius *dat* quam accipit, sed unus atque idem. Hoc uerbum debere non habet nisi inter duos locum; quomodo ergo in uno consistet, qui se obligando liberat?
4 Ut in orbe ac pila nihil imum est, nihil summum, nihil extremum est, nihil primum, quia motu ordo mutatur et quae sequebantur praecedunt et quae occidebant oriuntur, omnia, quomodocumque ierunt, in idem reuertuntur, ita in homine existima fieri; cum illum in multa mutaueris, unus est. Cecidit se: iniuriarum cum quo agat, non habet; adligauit et clusit: de ui non tenetur; be-
5 neficium sibi dedit: danti protinus reddidit. Rerum natura nihil dicitur perdere, quia, quidquid illi auellitur, ad illam redit, nec perire quidquam potest, quod, quo excidat, non habet, sed eodem reuoluitur, unde discedit. „Quid simile" inquis „hoc exemplum
6 habet propositae quaestioni?" Dicam. Puta te ingratum esse: non perit beneficium, habet illud, qui dedit; puta te recipere nolle: apud te est, antequam redditur. Non potes quidquam amit-

---

3 Natura sibi dedit natura prius **N**; *uerba bis scripta iam alii abiecerunt* 5 filio *ug.* filia **N** 6 dextera manu **N**[1] *corr.* **N**[2] ex sin. *scripsi;* & sin. **N**[1] de sin. **N**[2] 9 tamquam *ug.* tantum (*idque supra uersum add. pr. corr.*) **N** 10 si *uncis incl. He.; aut hoc aut* cum *deld.* 11 aliquis, quod prodesset sibi, fecerit *Mg. ex uno* **D** (*in quo tamen est* aliquid); aliquid prodesse sibi fecerit **N** 14 recipit *ug.* recepit **N** 15 luxorium **N** *corr.* **N**[1] 16 alius dat quam accipit *scripsi;* alius quam accipiat **N**[1]: dat *add.* **N**[2] *ut uid.;* alius dat quam qui accipit *ug.* 18 consist& **N**[1] consistit **N**[2] *ut uid.* 19—20 Ut in orbe ac motu **N**; *post* ac *inter uersus add. pr. m.* pila nihil extremum st (*in ras.*) nihil primum (ri *in ras.*) quia; *denique ad calcem paginae add. pr. corr.* nihil imum est nihil summum *significauitque haec post* pila *inserenda esse* 24 tenetur **N**, *sed* ur *pr. corr. in ras.* 28 discedit **N**; discessit *malit Wsbg.* 30 illud **N**[2] illum **N**[1]

tere, quia, quod detrahitur, nihilo minus tibi adquiritur. Intra te ipsum orbis agitur: accipiendo *das*, dando accipis.

„Beneficium" inquit „sibi dare oportet; ergo et referre gra- IX,1
tiam oportet." Primum illud falsum est, ex quo pendent sequen-
5 tia; nemo enim sibi beneficium dat, sed naturae suae paret, a qua ad caritatem sui conpositus est, unde summa illi cura est nocitura uitandi, profutura adpetendi. Itaque nec liberalis est, qui sibi 2
donat, nec clemens, qui sibi ignoscit, nec misericors, qui malis suis tangitur; quod aliis praestare liberalitas est, clementia, mise-
10 ricordia, sibi praestare natura est. Beneficium res uoluntaria est, at prodesse sibi necessarium est. Quo quis plura beneficia dedit, beneficentior est; quis umquam laudatus est, quod sibi ipse fuisset auxilio? quod se eripuisset latronibus? Nemo sibi beneficium dat, non magis quam hospitium, nemo sibi donat, non magis
15 quam credit. Si dat sibi quisque beneficium, semper dat, sine 3
intermissione dat, inire beneficiorum suorum non potest numerum; quando ergo gratiam referet, cum per hoc ipsum, quo gratiam refert, beneficium det? quomodo enim discernere poteris, utrum det sibi beneficium an reddat, cum intra eundem hominem
20 res geratur? Liberaui me periculo: beneficium mihi dedi; iterum me periculo libero: utrum do beneficium an reddo? Deinde, ut 4
primum illud concedam, dare nos nobis beneficium, quod sequitur, non concedam; nam etiam si damus, non debemus. Quare? quia statim recipimus. Accipere beneficium me oportet, deinde
25 debere, deinde referre; debendi locus non est, quia sine ulla mora recipimus. Dat nemo nisi alteri, debet nemo nisi alteri, reddit nemo nisi alteri; id intra unum non potest fieri, quod totiens duos exigit.

Beneficium est praestitisse aliquid utiliter; uerbum autem X,1
30 praestitisse ad alios spectat. Numquid non demens uidebitur, qui aliquid sibi uendidisse se dicet? quia uenditio alienatio est et rei suae iurisque in ea sui ad alium translatio. Atqui, quemadmodum uendere, sic dare aliquid a se dimittere est et id, quod tenueris, habendum alteri tradere; quod si est, beneficium nemo
35 sibi dedit, quia nemo dat sibi; alioqui duo contraria in unum coeunt, ut sit idem dare et accipere. Etiamnunc multum inter- 2

---

2 das *add.* N² *ut uid.* 5 sed N² se N¹; *fort.* si a qua ad car. N² a quo a car. N¹ 7 adpetenti N¹ *corr.* N² 18 det *Er.* dat N poteris N poterit *ug.* 22 nos N² non N¹ 24 recepimus N¹ *corr.* N² 31 uendidisse N² unde dedisse N¹ 33 dimittere *ug.* demittere N 35 sibi; alioqui *Gt.* sibi aliqui N¹ sibi aliquid N² unum *Mt.* uno N 36 ut sit idem *Fickert ex uno* D (ut idem sit *ug.*); ut id idem N

est inter dare et accipere; quidni? cum ex diuerso ista uerba posita sint. Atqui *sibi* si quis beneficium dat, nihil interest inter dare et accipere. Paulo ante dicebam quaedam ad alios pertinere et sic esse formata, ut tota significatio illorum discedat † a nobis: frater sum, *at* alterius, nemo est enim suus frater; par sum, sed alicui, quis enim par est sibi? Quod conparatur, sine altero non intellegitur; quod iungitur, sine altero non est; sic et, quod datur,
3 sine altero non est, et beneficium sine altero non est. Id ex ipso uocabulo adparet, in quo hoc continetur, b e n e f e c i s s e; nemo autem sibi bene facit, non magis quam sibi fauet, quam suarum partium est. Diutius hoc et pluribus exemplis licet prosequi.
4 Quidni inter ea sit habendum beneficium, quae secundam personam desiderant? quaedam cum sint honesta, pulcherrima, summae uirtutis, nisi in altero non habent locum. Laudatur et inter maxima humani generis bona fides colitur; num quis ergo dicitur sibi fidem praestitisse?

XI, 1 Uenio nunc ad ultimam partem. Qui gratiam refert, aliquid debet inpendere, sicut, *qui* soluit, pecuniam; nihil autem inpendit, qui gratiam sibi refert, non magis quam consequitur, qui beneficium a se accipit. Beneficium et gratiae relatio ultro *citro* ire debent; intra unum hominem non est uicissitudo. Qui gratiam refert, in uicem prodest ei, a quo consecutus est aliquid; qui sibi gratiam refert, cui prodest? sibi. Ecquis non alio loco relationem gratiae, alio beneficium cogitat? Qui gratiam refert sibi, *sibi* prodest: ecquis umquam ingratus hoc noluit facere?
2 immo quis non ingratus fuit, ut hoc faceret? „Si gratias“ inquit „nobis agere debemus, et gratiam referre debemus; dicimus autem: ‚Ago gratias mihi, quod illam uxorem nolui ducere‘ et ‚quod cum illo non contraxi societatem‘.“ Cum hoc dicimus, laudamus nos et, ut factum nostrum conprobemus, gratias agentium uerbis ab-
3 utimur. Beneficium est, quod potest, cum datum est, et non reddi; qui sibi beneficium dat, non potest non recipere, quod dedit;

---

1 cum *ug.* tum **N** 2 sibi si quis *scripsi;* sibi *om.* **N**[1]; si quis sibi **N**[2] *ut ug.* 4 a nobis **N** *praue; fort.* ab uno 5 at *addidi: om.* **N**; sed *add. ug.* 7 quo datur **N**[1] *corr.* **N**[2] 8 Id ex ipso *Mt.* idem ipso **N** 11 diutius ẽ hoc **N**, *sed* ẽ *del.* **N**[2] exempli **N**[1] *corr.* **N**[2] 12 Quidni inter *scripsi;* quid cum inter **N** 14 nisi in altero **N**; sine altero *Wsbg. ex uno* **D**; nisi cum altero *ug.* 17 ultimam **N**; alteram *L.* 18 qui *add.* **N**[2] *ut uid.* 20 accipit *scripsi;* accepit **N** ultro citro **N**; ultro citroque *ug.* 23 *et* 25 ecquis *Wsbg.* et quis **N** sibi *add. He.* (*ante* refert *Mt.* addiderat) 28 nolui *ug.* nolui **N** 29 contradixi **N**[1] *corr.* **N**[2] hoc **N** haec *unus* **D** 30 conprobamus **N**[1] *corr.* **N**[2] abutimur **N**[1] *ut uid.* abutir **N**

ergo non est beneficium. Alio tempore beneficium accipitur, alio redditur; * In beneficio et hoc est probabile, hoc suspiciendum, 4 quod aliquis, ut alteri prodesset, suae utilitatis interim oblitus est, quod alteri dedit ablaturus sibi; hoc non facit, qui beneficium sibi 5 dat. Beneficium dare socialis res est, aliquem conciliat, aliquem 5 obligat; sibi dare non est socialis res, neminem conciliat, neminem obligat, neminem in spem inducit, ut dicat: „Hic homo colendus est; illi beneficium dedit, dabit et mihi." Beneficium est, 6 quod quis non sua causa dat sed eius, cui dat; *is* autem, qui sibi 10 beneficium dat, sua causa dat; non est ergo beneficium.

Uideor tibi iam illud, quod in principio dixeram, mentitus; XII, 1 *dicis* me abesse ab eo, qui operae pretium facit, immo totam operam bona fide perdere. Expecta, et iam hoc uerius dices, simul te ad has latebras perduxero, ex quibus cum euaseris, nihil am- 15 plius eris adsecutus, quam ut eas difficultates effugeris, in quas licuit non descendere. Quid enim boni est nodos operose soluere, 2 quos ipse, ut solueres, feceris? Sed quemadmodum quaedam in oblectamentum ac iocum sic inligantur, ut eorum solutio inperito difficilis sit, quae illi, qui inplicuit, sine ullo negotio † spirat, 20 quia conmissuras eorum et moras nouit, nihilo minus illa habent aliquam uoluptatem (temptant enim acumen animorum et intentionem excitant), ita haec, quae uidentur callida et insidiosa, securitatem ac segnitiam ingeniis auferunt, quibus modo campus, in quo uagentur, sternendus est, modo creperi aliquid et confra- 25 gosi obiciendum, per quod erepant et sollicite uestigium faciant.

Dicitur nemo ingratus esse; id sic conligitur. „Beneficium 3 est, quod prodest; prodesse autem nemo homini malo potest, ut dicitis Stoici; ergo beneficium non accipit malus * ingratus est. *Etiamnunc* beneficium honesta et probabilis res est; apud malum 30 nulli honestae rei aut probabili locus *est*, ergo nec beneficio; quod

---

2 *Lacunam notauit Hpt.; desiderantur haec fere uerba:* cum uero aliquis sibi beneficium dat, eodem tempore et accipitur et redditur 3 aliquis ut **N**[2] aliquisus **N**[1] prodesset **N**[2] prodesse **N**[1] 4 alteri *ante* ablaturus *iteratum del.* **N**[1] sibi τdat **N**[1]; τ *del.* **N**[2] *ut uid.* 5 Beneficium sibi dare **N**, *sed* sibi *eras.* 6 neminem obligat *supra uers. add.* **N**[1] 7 inducit **N**[2] *ut uid.* ducit **N**[1] 8 dabit et mihi **N**[2] et dabit mihi **N**[1] 9 is *add.* **N**[2] 10 suam causam **N**[1] *corr.* **N**[2] 15 effugeris *Gt.* effugeres **N** 16 operose **N**, *sed* oper *scripsit pr. corr. infra ras.* 19 difficilis **N**[2] defficile **N**[1] illi .. spirat **N** *corrupte;* ille .. separat *ug.* inplicuit *ug.* explicuit **N**; *fort.* ea plicuit 23 ac segnitiam *add. pr. corr.* 24 creperi *L.* crebri **N**; scabri *Pinc.* 28 accepit **N**[1] *corr.* **N**[2] *Lacunam notauit He.; fuisse uidetur:* quod si non accipit, ne reddere quidem debet; ergo nemo malus ingratus est. 29 et **N**[1] ut **N** apud *ug.* aliud **N** 30 locus est, ergo nec beneficio *ug.* locus ergo aut beneficium (*corr.* beneficio) nec (c *in ras.*) beneficio **N**

si accipere non potest, ne reddere quidem debet, et ideo non fit
4 ingratus. Etiamnunc, ut dicitis, bonus uir omnia recte facit; si
omnia recte facit, ingratus esse non potest. Bonus beneficium
reddit, malus non accipit; quod si est, nec bonus quisquam in-
gratus est nec malus. Ita ingratus in rerum natura est nemo, et 5
5 *nomen est* hoc inane." Unum est apud nos bonum, honestum. Id
peruenire ad malum non potest; desinet enim malus esse, si ad
illum uirtus intrauerit; quam diu autem malus est, nemo illi dare
beneficium potest, quia mala bonaque dissentiunt nec in unum
eunt. Ideo nemo illi prodest, quia, quidquid ad illum peruenit, 10
6 id prauo usu conrumpitur. Quemadmodum stomachus morbo
uitiatus et conligens bilem quoscumque accepit cibos mutat et
omne alimentum in causam doloris trahit, ita animus scaeuus,
quidquid illi conmiseris, id onus suum et perniciem et occasionem
miseriae facit. Felicissimis itaque opulentissimisque plurimum 15
aestus subest minusque sedem inueniunt, quo in maiorem mate-
7 riam inciderunt, qua fluctuarentur. Ergo nihil potest ad malos
peruenire, quod prosit, immo nihil, quod non noceat; quaecum-
que enim illis contigerunt, in naturam suam uertunt et extra
speciosa profuturaque, si melioribus darentur, illis pestifera sunt. 20
Ideo nec beneficium dare possunt, quoniam nemo potest, quod
non habet, dare; sic bene faciendi uoluptate carent.

XIII, 1 Sed quamuis haec ita sint, accipere etiam malus tamen quae-
dam potest, quae beneficiis similia sint, quibus non redditis in-
gratus erit. Sunt animi bona, sunt corporis, sunt fortunae; illa 25
animi bona a stulto ac malo submouentur; ad haec admittitur,
quae et accipere potest et debet reddere, et, si non reddit, ingra-
tus est. Nec hoc ex nostra tantum constitutione; Peripatetici
quoque, qui felicitatis humanae longe lateque terminos ponunt,
aiunt minuta beneficia peruentura ad malos; haec qui non reddit, 30
2 ingratus est. Nobis itaque beneficia esse non placet, quae non
sunt animum factura meliorem; commoda tamen illa esse et ex-
petenda non negamus. Haec et uiro bono dare malus potest et

---

1 ne reddere *scripsi;* necreddere **N** 4 accepit **N**[1] *corr.* **N**[2] nec bonus quisquam **N**, *sed* ec bonus quis *in ras. m. pr.* 5 nemo. et nomen est hoc inane *Mg.* nemo, et hoc inane **N** *ad calcem paginae addita habet a pr. corr.* (nomen *inuenerat Er.*) 10 quia quidquid **N**[2] quamquid **N**[1] illum **N**[2] illud **N**[1] 12 mutat **N**[2] mutatat **N**[1] 13 scaeuus *Iuretus;* aecus **N**; caecus *ug.* 15 miseriae **N**[2] miseri **N** miserie **N**[1] 16 sedem *Koch;* se **N** 17 qua *ug.* quam **N** 20 proturaq; **N**[1] *corr.* **N**[2] melioribus *scripsi cum uno* **D**; milioria (*pro* meliorib;) **N** 21 dare non possunt **N**[1]; non *del.* **N**[2] 22 sic bene faciendi uoluptate carent *scripsi incerta coniectura;* hic (sic *corr. L.*) bene faciendi uoluntate caret **N**; *uid. Adn.* 31 itaque **N**; *fort.* utique 32 expetenda *ug.* expectanda **N** 33 et a uiro **N**[1], *sed* a *del.* **N**[2]

accipere a bono, ut pecuniam et uestem et honores et uitam;
quae si non reddet, in ingrati nomen incidet. „At quomodo in- 3
gratum uocas eo non reddito, quod negas esse beneficium?“ Quae-
dam, etiam si uera non sunt, propter similitudinem eodem uoca-
5 bulo conprehensa sunt: sic pyxidem et argenteam et auream di-
cimus; sic inlitteratum non ex toto rudem sed ad litteras altiores
non perductum; sic, qui male uestitum et pannosum uidit, nudum
uidisse se dicit. Beneficia ista non sunt, habent tamen beneficii
speciem. „Quomodo ista sunt tamquam beneficia, sic et ille 4
10 tamquam ingratus est, non ingratus.“ Falsum est, quia illa bene-
ficia et qui dat adpellat et qui accipit; ita, qui ueri beneficii spe-
ciem fefellit, tam ingratus est quam ueneficus, qui soporem, cum
uenenum esse crederet, miscuit.

Cleanthes uehementius agit. „Licet“ inquit „beneficium XIV, 1
15 non sit, quod accepit, ipse tamen ingratus est, quia non fuit red-
diturus, etiam si accepisset.“ Sic latro est, etiam antequam manus 2
inquinet, qui ad occidendum iam armatus est et habet spoliandi at-
que interficiendi uoluntatem; exercetur et aperitur opere nequitia,
non incipit. Sacrilegi dant poenas, quamuis nemo usque ad deos
20 manus porrigat. — „Quomodo“ inquit „aduersus malum ingratus 3
est quisquam, cum ille dare beneficium non possit?“ Ea scilicet
ratione, quia ipsum, quod accepit, beneficium non erat, sed uo-
cabatur; *qui* accipiet ab illo aliquid ex his, quae apud inperi-
tos *in pretio* sunt, quorum † si malis copia est, ipse quoque in
25 simili materia gratus esse debebit et illa, qualiacumque sunt, cum
pro bonis acceperit, pro bonis reddere. Aes alienum habere di- 4
citur et qui aureos debet et qui corium forma publica percussum,
quale apud Lacedaemonios fuit, quod usum numeratae pecuniae
praestat. Quo genere obligatus es, hoc fidem exsolue. Quid sint 5
30 beneficia, an et in hanc sordidam humilemque materiam deduci
magnitudo nominis clari debeat, ad uos non pertinet, *nec* in alios
quaeritur uerum; uos ad speciem ueri conponite animum et, dum
honestum discitis, quidquid est, in quo nomen honesti iactatur, id
colite.

---

2 reddet *ug.* reddit **N** quomodo **N**[2] commodo **N**[1] 12 uene-
ficus **N**[2] beneficius **N**[1] 17 qui ad *edd. antiq.* quia ad **N** 18 ape-
ritur *ug.* aperietur **N** 20—21 ingratus est quisquam | ingratus est **N**,
corr. ug. 21 cum ille dare *scripsi;* cum male dare **N**; cum a malo
dari *Hpt.* 22 ratione **N**, *sed* ratio *add. pr. corr.* *Uerba, quae
sunt:* ipsum ... uocabatur, *huc transposui et* qui *addidi; uid. Adn.;
in* **N** *u. 19 post* non incipit *leguntur.* 23 aliquid *ug.* ait quid **N**
his **N** iis *Wsbg.* 24 in pretio *add. Mg.* si **N** *corrupte; om. He.*
31 nec *addidi, uid. Adn.* 32 queritur uerbum **N**, *sed* b *eras.*
33 discitis *Mg. ex nonn.* **D**; dicite **N** est, in quo *Mg.* est id quo **N**

XV,1 „Quomodo“ inquit „nemo per uos ingratus est, sic rursus omnes ingrati sunt. Nam, ut dicitis, omnes stulti mali sunt; qui unum autem habet uitium, omnia habet; omnes autem stulti et
2 mali sunt: omnes ergo ingrati sunt.“ Quid ergo? non sunt? non undique humano generi conuicium fit? non publica querella est perisse beneficia et paucissimos esse, qui de bene merentibus non in uicem pessime mereantur? Nec est, quod hanc nostram tantum murmurationem putes pro pessimo prauoque humerantium,
3 quidquid citra recti formulam cecidit. Ecce nescio quis non ex philosophorum domo clamat, ex medio conuentu populos gentesque damnatura uox mittitur:

„Non hospes ab hospite tutus,
non socer a genero; fratrum quoque gratia rara est;
inminet exitio uir coniugis, illa mariti.“

4 Hoc iam amplius est: beneficia in scelus uersa sunt, et sanguini eorum non parcitur, pro quibus sanguis fundendus est; gladio ac uenenis beneficia sequimur. Ipsi patriae manus adferre et fascibus illam suis premere potentia ac dignitas est; humili se ac depresso loco putat stare, quisquis non supra rem publicam stetit; accepti ab illa exercitus in ipsam conuertuntur et imperatoria
5 contio est: „Pugnate contra coniuges, pugnate contra liberos! aras, focos, penates armis incessite!“ Qui ne triumphaturi quidem inire urbem iussu senatus deberetis quibusque uictorem exercitum reducentibus curia extra muros praeberetur, nunc ciuibus caesis perfusi cruore cognato urbem subrectis intratis uexillis:
6 „Obmutescat inter militaria signa libertas, et ille uictor pacatorque gentium populus remotis procul bellis, omni terrore conpresso, intra muros obsessus aquilas suas horreat.“

XVI,1 Ingratus est Coriolanus, sero et post sceleris paenitentiam pius: posuit arma, sed in medio parricidio posuit. Ingratus Catilina: parum est illi capere patriam, nisi uerterit, nisi Allobrogum in illam cohortes inmiserit et trans Alpes accitus hostis uetera et ingenita odia satiauerit ac diu debitas inferias Gallicis bustis duces
2 Romanos persoluerit. Ingratus C. Marius ad consulatus a caliga

---

2 *sqq.* ingrati sunt. Nam ut dicitis . . ingrati sunt.“ *Mt.;* ingrati sunt.“ Nam ut dicimus . . ingrati sunt. **N** 8 paruoque **N**[1] *corr.* **N**[2] 9 nescio quis *Wsbg. ex uno* **D**; nescio qui **N** 15 uersata **N**[1] *corr.* **N**[2] 17 uenis **N**[1] *corr.* **N**[2] adferri **N** *corr. ug.* 19 rem .p. stetit **N**[2] rem prestetit **N**[1] 23 inire *scripsi;* inere **N**[1] intrare **N**[2] *ut ug.* iussu *Mt.* iniussu **N** 25 intratis *scripsi;* intrate **N**; *uid. Adn.* 31 uerterit *Gt.* uerteret **N**[1] euerteret **N**[2] euerterit *ug.* 32 inmiseris **N**[1] *corr.* **N**[2] 33 duces romanos persoluerit **N**[1] duces romani persoluerint **N**[2] *ut ug.* 34 consolatus **N**[1] *corr.* **N**[2]; consulatum *ug.*

perductus, qui, nisi Cimbricis caedibus Romana funera aequauerit, nisi ciuilis exitii et trucidationis non tantum dederit signum, sed ipse signum fuerit, parum † multatam ac repositam in priorem locum fortunam suam sentiet. Ingratus L. Sulla, qui patriam 3
5 durioribus remediis, quam pericula erant, sanauit, qui, cum a Praenestina arce usque ad Collinam portam per sanguinem humanum incessisset, alia edidit in urbe proelia, alias caedes: legiones duas, quod crudele est, post uictoriam, quod nefas, post fidem in angulo congestas contrucidauit et proscriptionem conmentus est, di magni,
10 ut, qui ciuem Romanum occidisset, inpunitatem, pecuniam, tantum non ciuicam acciperet! Ingratus Cn. Pompeius, qui pro tribus 4
consulatibus, pro triumphis tribus, pro tot honoribus, quos ex maxima parte inmaturus inuaserat, hanc gratiam rei publicae reddidit, ut in possessionem eius alios quoque induceret quasi poten-
15 tiae suae detracturus inuidiam, si, quod nulli licere debebat, pluribus licuisset; dum extraordinaria concupiscit imperia, dum prouincias, ut eligat, distribuit, dum ita cum tertio rem publicam diuidit, ut tamen in sua domo duae partes essent, eo redegit populum Romanum, ut saluus esse non posset nisi beneficio serui-
20 tutis. Ingratus ipse Pompei hostis ac uictor: a Gallia Germania- 5
que bellum in urbem circumegit, et ille plebicola, ille popularis castra in circo Flaminio posuit propius, quam Porsennae fuerant. Temperauit quidem ius crudelitatemque uictoriae; quod dicere solebat, praestitit: neminem occidit nisi armatum. Quid ergo
25 est? ceteri arma cruentius exercuerunt, satiata tamen aliquando abiecerunt; hic gladium cito condidit, numquam posuit. Ingratus 6
Antonius in dictatorem suum, quem iure caesum pronuntiauit, interfectores eius in prouincias et imperia dimisit, patriam uero proscriptionibus, incursionibus, bellis laceratam post tot mala
30 destinauit ne Romanis quidem regibus, ut, quae Achaeis, Rhodiis, plerisque urbibus claris ius integrum libertatemque cum inmunitate reddiderat, ipsa tributum spadonibus penderet.

Deficiet dies enumerantem ingratos usque in ultima pa- XVII, 1
triae exitia. Aeque inmensum erit, si percurrere coepero, ipsa
35 res publica quam ingrata in optimos ac deuotissimos sibi fuerit quamque non minus saepe peccauerit, quam in ipsam peccatum est. Camillum in exilium misit, Scipionem dimisit; exula- 2

---

1 Romana *Mt.* omnia **N** 3 multatam **N** *praue;* mutatam *ug. fort.* ultam 4 silla **N**[1] sylla **N**[2] 9 congestas **N**; *fort.* coniectas 13 inmaturos **N**[1] *corr.* **N**[2] reddid **N**[1] *corr.* **N**[2] 17 cum tertio *Gt.* dum tertio **N**; cum altero et cum tertio *Wsbg.* 18 redeg& p.R. **N**[1] *corr.* **N**[2] 22 porsennae **N**[2] porsinae **N**[1] 25 satiata **N**[1] satiati **N**[2] *ut ug.* 30 quae acheiis **N**[1] que acheis **N**[2]

uit post Catilinam Cicero, diruti eius penates, bona direpta, factum, quidquid uictor Catilina fecisset; Rutilius innocentiae pretium tulit in Asia latere; Catoni populus Romanus praeturam negauit,
3 consulatum pernegauit. Ingrati publice sumus; se quisque interroget: nemo non aliquem queritur ingratum. Atqui non potest fieri, ut omnes querantur, nisi querendum est de omnibus: omnes ergo ingrati sunt. *Ingrati sunt* tantum? et cupidi omnes et maligni omnes et timidi omnes, illi in primis, qui uidentur audaces; adice: et ambitiosi omnes sunt et inpii omnes. Sed non est, quod ira-
4 scaris; ignosce illis, omnes insaniunt. Nolo te ad incerta reuocare, ut dicam: „Uide, quam ingrata sit iuuentus; quis non patris sui supremum diem, ut innocens sit, optat, ut moderatus sit, expectat, ut pius, cogitat? Quotus quisque uxoris optimae mortem timet, ut non et conputet? Cui, rogo, litigatori defenso tam magni
5 beneficii ultra res proximas memoria durauit?" Illud in confesso est: quis sine querella moritur? quis extremo die dicere audet:

„Uixi et quem dederat cursum fortuna peregi"?

quis non recusans, quis non gemens exit? Atqui hoc ingrati est,
6 non esse contentum praeterito tempore. Semper pauci dies erunt, si illos numeraueris. Cogita non esse summum bonum in tempore; quantumcumque est, boni consules; ut prorogetur tibi dies mortis, nihil proficitur ad felicitatem, quoniam mora non fit bea-
7 tior uita sed longior. Quanto satius est gratum aduersus perceptas uoluptates non aliorum annos conputare sed suos benigne aestimare et in lucro ponere! „Hoc me dignum iudicauit deus, hoc satis est; potuit plus, sed hoc quoque beneficium est." Grati simus aduersus deos, grati aduersus homines, grati aduersus eos, qui aliquid nobis praestiterunt, grati etiam aduersus eos, qui nostris praestiterunt.

XVIII, 1 „In infinitum ius" inquit „me obligas, cum dicis: ‚et nostris'; itaque pone aliquem finem. Qui filio beneficium dat, ut dicis, et patri eius dat: primum id est, quod quaero. Deinde illud utique mihi determinari uolo: si et patri beneficium datur, numquid et fratri? numquid et patruo? numquid et auo? numquid et uxori et socero? Dic mihi, ubi debeam desinere, quousque personarum seriem sequar."

---

3 pR N 7 Ingrati sunt *addidi* (ingrati *add. He.*) 11 patris sui N patri suo *ug.* 14 Cui rogo litigatori N² cui rogo cui litigatori N¹; cui reo, cui litig. *Bentley* 17 dederat *ug.* desiderat N cursum *bis scriptum habet* N¹ *corr.* N² 30 ius *Mg.* eius N 32 primum id est, quod quaero *scripsi;* primũ de (*pro* id ẽ) quod quero N; *uid. Adn.* 35 quosque N¹ *corr.* N²

[*SE.*] „Si agrum tuum coluero, tibi beneficium dedero; si XIX,1
domum tuam ardentem restinxero aut, ne concidat, excepero, tibi beneficium dabo; si seruum tuum sanauero, tibi inputabo; si filium tuum seruauero, non habebis beneficium meum?“

[*AD.*] „Dissimilia ponis exempla, quia, qui agrum meum colit, agro beneficium non dat sed mihi; et qui domum meam, quo minus ruat, fulcit, *id* praestat mihi, ipsa enim domus sine sensu est; debitorem me habet, quia nullum habet; et qui agrum meum colit, non illum sed me demereri uult. Idem de seruo dicam: mei mancipii res est, mihi seruatur; ideo ego pro illo debeo. Filius ipse beneficii capax est; itaque ille accipit, ego beneficio laetor et contingor, non obligor.“

[*SE.*] „Uelim tamen, tu, qui debere te non putas, respondeas 2
mihi: filii bona ualetudo, felicitas, patrimonium pertinet ad patrem; felicior futurus est, si saluum filium habuerit, infelicior, si amiserit; quid ergo? qui et felicior fit a me et infelicitatis maximae periculo liberatur, non accipit beneficium?“

[*AD.*] „Non“ inquit; „quaedam enim in alios conferuntur, 3
sed ad nos usque permanant; ab eo autem exigi quidque debet, in quem confertur, sicut pecunia ab eo petitur, cui credita est, quamuis ad me illa aliquo modo uenerit. Nullum beneficium est, cuius *non* commodum et proximos tangat, non numquam etiam longius positos; non quaeritur, quo beneficium ab eo, cui datum est, 4
transierit, sed ubi primo conlocetur; a reo tibi ipso et a capite repetitio est.“

[*SE.*] „Quid ergo, oro te, non dicis: ‚Filium mihi donasti, et, si hic perisset, uicturus non fui‘? pro eius uita beneficium non debes, cuius uitam tuae praefers? Etiamnunc, cum filium tuum seruaui, ad genua procumbis, dis uota soluis tamquam ipse seruatus; illae uoces exeunt tibi: ‚Nihil mea interest, an me ser- 5
uaueris; duos seruasti, immo me magis.‘ Quare ista dicis, si non accipis beneficium?“

[*AD.*] Quia et, si filius meus pecuniam mutuam sumpserit, creditori numerabo, non tamen ideo ego debuero; quia et, si filius meus in adulterio deprensus erit, erubescam, non ideo ego ero adulter. Dico me tibi obligatum pro filio, non quia sum, sed quia 6
uolo me offerre tibi debitorem uoluntarium. At peruenit ad me

---

1 *sqq. de orationis diuisione uid. Adn.* 2 ne concidat *Gt.* ne noncidat **N** 7 id *addidi* 10 dicam : mei **N**[2] dicamei **N**[1] ego **N**[2] ergo **N**[1] 11 Filios **N** *corr. ug.* 14 filii **N**[2] filio **N**[1] 19 permanent **N**[1] *corr.* **N**[2] 22 non commodum *scripsi;* non *om.* **N**; commodum non *ug.* 23 positus **N** *corr. ug.* 24 transierit *scripsi;* transfert **N**; transferatur *ug.* 27 si **N**[2] sic **N**[1] 30 nichil **N**[1] *corr.* **N**[2]

summa ex incolumitate eius uoluptas, summa utilitas, et orbitatis grauissimum uulnus effugi. Non quaeritur nunc, an profueris mihi, sed an beneficium dederis; prodest enim et animal et lapis et herba, nec tamen beneficium dant, quod numquam datur nisi
7 a uolente. Tu autem non uis patri, sed filio dare, et interim ne nosti quidem patrem. Itaque cum dixeris: ‚Patri ergo beneficium non dedi filium eius seruando?', contra oppone: ‚Patri ergo beneficium dedi, quem non noui, quem non cogitaui?' Et quid quod aliquando eueniet, ut patrem oderis, filium serues? beneficium ei uideberis dedisse, cui tunc inimicissimus eras, cum dares?"

8 Sed ut dialogorum altercatione seposita tamquam iuris consultus respondeam, mens spectanda est dantis; beneficium ei dedit, cui datum uoluit. Si in patris honorem fecit, pater accepit beneficium; si filium *spectauit*, pater beneficio in filium conlato non obligatur, etiam si fruitur. Si tamen occasionem habuerit, uolet et ipse praestare aliquid, non tamquam soluendi necessitatem habeat sed tamquam incipiendi causam. Repeti a patre beneficium non debet; si quid pro hoc benigne facit, iustus, non gratus est.
9 Nam illud finiri non potest: si patri do beneficium, *num* et matri et auo et auunculo et liberis et adfinibus et amicis et seruis et patriae? Ubi ergo beneficium incipit stare? sorites enim ille inexplicabilis subit, cui difficile est modum inponere, quia paulatim subrepit et non desinit serpere.

XX, 1 Illud solet quaeri: „Fratres duo dissident; si alterum seruo, an dem beneficium ei, qui fratrem inuisum non perisse moleste laturus est." Non est dubium, quin beneficium sit etiam inuito
2 prodesse, sicut non dedit beneficium, qui inuitus profuit. „Beneficium" inquit „uocas, quo ille offenditur, quo torquetur?" Multa beneficia tristem frontem et asperam habent, quemadmodum secare et urere, ut sanes, et uinclis coercere. Non est spectandum, an doleat aliquis beneficio accepto, sed an gaudere debeat; non est malus denarius, quem barbarus et ignarus formae publicae reiecit. Beneficium et *qui* odit accepit, si modo id prodest, si is, qui dabat, ut prodesset, dedit. Nihil refert, an bonam rem malo
3 animo quis accipiat. Agedum, hoc in contrarium uerte. Odit fratrem suum, quem illi habere expedit; hunc ego occidi: non

---

2 profueris **N**[2] fueris **N**[1] 15 si filium spectauit, pater *Mg.* si filium suū pater **N**; *uid. Adn.* 20 num *addidi* 21 adfinibus **N**[2] ad infibus **N**[1] 28 sicut non **N**; *fort.* sicut contra non 34 et qui odit accepit *Koch;* & odit & odit & accepit **N**[1]; & odit *altero loco del.* **N**[2] *ut uid.* 35 nichil referat **N**[1] *corr.* **N**[2] 36 accipiat. Agedum *ug.* acceptagendum **N** accepiatagendum **N**[1] accepiat agendum **N**[2]

est beneficium, quamuis ille dicat esse et gaudeat. Insidiosissime nocet, cui gratiae aguntur pro iniuria.

„Uideo: prodest aliqua res et ideo beneficium est; nocet et 4
ideo non est beneficium. Ecce, quod nec prosit nec noceat, dabo,
5 et tamen beneficium erit. Patrem alicuius in solitudine exanimem
inueni, corpus eius sepeliui: nec ipsi profui, quid enim illius
intererat, quo genere dilaberetur? nec filio, quid enim per hoc
commodi accessit *illi*?“ Dicam, quid consecutus sit: officio sol-
lemni et necessario per me functus est; praestiti patri eius, quod 5
10 ipse praestare uoluisset nec *non* et debuisset. Hoc tamen ita
beneficium est, si non misericordiae et humanitati dedi, ut quod-
libet cadauer absconderem, sed si corpus adgnoui, si filio tunc
hoc praestare me cogitaui; at si terram ignoto mortuo inieci,
nullum *in* hoc habeo huius officii debitorem in publicum hu-
15 manus.

Dicet aliquis: „Quid tanto opere quaeris, cui dederis bene- 6
ficium, tamquam repetiturus aliquando? Sunt, qui numquam
iudicent esse repetendum, et has causas adferunt: Indignus
etiam repetenti non reddet, dignus ipse per se referet. Propterea,
20 si bono uiro dedisti, expecta, ne iniuriam illi facias adpellando,
tamquam sua sponte redditurus non fuisset; si malo uiro dedisti,
plectere; beneficium uero ne conruperis creditum faciendo. Prae-
terea lex, quod non iussit repeti, uetuit.“ Uerba sunt ista. Quam 7
diu me nihil urget, quam diu fortuna nihil cogit, perdam potius
25 beneficium quam repetam; sed si de salute liberorum agitur, si
in periculum uxor deducitur, si patriae salus ac libertas mittit me
etiam quo ire nollem, imperabo pudori meo et testabor omnia
me fecisse, ne opus esset mihi auxilio hominis ingrati; nouissime
recipiendi beneficii necessitas repetendi uerecundiam uincet.
30 Deinde, cum bono uiro beneficium do, sic do tamquam numquam
repetiturus, nisi fuerit necesse.

„Sed lex“ inquit „non permittendo exigere uetuit.“ Multa XXI, 1
legem non habent nec actionem, ad quae consuetudo uitae huma-
nae omni lege ualentior dat aditum. Nulla lex iubet amicorum

---

3 „Uideo .. accessit illi?“ Dicam *interpunxi*, *uid. Adn.* 8 accessit illi *ug.* accessi **N**[1] accessit **N**[2] quid **N**[2] quod **N**[1] 10 non (ñ) *add.* **N**[2] 13 at *ug.* aut **N** 14 in *add.* **N**[2] 16 dicit **N** *corr. Pinc.* cui *add.* **N**[1] *ut uid.* 17 repetiturus aliquando sunt **N**[1] repetituri aliquando sint **N**[2]; *recte dist. ug.* 18 iudicent **N**[1] iudicant **N**[2] 19 Propterea *scripsi;* praeterea **N** 22 plectere *Er.* flectere **N** uero *scripsi cum Er.;* uerbo **N** 23 uerba **N** uera *ug.; uid. Adn.* 24 perdam *scripsi;* petam **N**; praeteream *Pinc.* „*ex uet. lect.*“ 28 nouissimo **N**[1] *corr.* **N**[2] 29 uerecundia **N** *corr. ug.* 33 ad quae *ug.* ad que **N**[1] at qui **N**[2]

secreta non eloqui; nulla lex iubet fidem etiam inimico praestare;
quae lex ad id praestandum nos, quod alicui promisimus, adligat?
nulla. Querar tamen cum eo, qui arcanum sermonem non con-
2 tinuerit, et fidem datam nec seruatam indignabor. „Sed ex bene-
ficio" inquit „creditum facis." Minime; non enim exigo sed 5
repeto, et ne repeto quidem sed admoneo. Nam ultima quoque
necessitas non hoc aget, ut ad eum ueniam, cum quo mihi diu
luctandum sit. Quisquis tam ingratus est, ut illi non sit satis ad-
moneri, eum transibo nec dignum iudicabo, qui gratus esse coga-
3 tur. Quomodo fenerator quosdam debitores non adpellat, quos 10
scit decoxisse et in quorum pudorem nihil superest, nisi quo
pereat, sic ego quosdam ingratos palam ac pertinaciter praeteribo
nec ab ullo beneficium repetam, nisi a quo non ablaturus ero
sed recepturus.

XXII, 1 Multi sunt, qui nec negare sciant, quod acceperunt, nec 15
referre, et qui nec tam boni sunt quam grati nec tam mali quam
ingrati, segnes et tardi, lenta nomina, non mala; hos ego non
adpellabo sed conmonefaciam et ad officium aliud agentes redu-
cam. Qui statim mihi sic respondebunt: „Ignosce; non meher-
cules sciui hoc te desiderare, alioquin ultro obtulissem; rogo, ne 20
me ingratum existimes; memini, quid mihi praestiteris", hos ego
2 quare dubitem et sibi meliores et mihi facere? Quemcumque
potuero, peccare prohibebo; multo magis amicum, et ne peccet
et ne in me potissimum peccet. Alterum illi beneficium do, si
illum ingratum esse non patior; nec dure illi exprobrabo, quod 25
praestiti, sed quam potuero mollissime. Ut potestatem referendae
gratiae faciam, renouabo memoriam eius et petam beneficium;
3 ipse me intelleget repetere. Aliquando utar uerbis durioribus, si
emendari illum posse sperauero; nam deploratum propter hoc
4 quoque non exagitabo, ne ex ingrato inimicum faciam. Quod si 30
admonitionis quoque sugillationem ingratis remittimus, segniores
ad reddenda beneficia faciemus; quosdam uero sanabiles et qui
fieri boni possint, si quid illos momorderit, perire patiemur

---

2 ad id **N**[2] adit **N**[1] 6 admoneo *ug.* aoneo **N**[1] amoneo **N**[2] 7 non hoc aget *scripsi;* in hoc aget **N**; non coget *Mg.* 8 Quisquis *scripsi;* quis **N**; si quis *Gt.;* qui *ug.* 11 nisi quo *Mg.* nisi quod **N**; nisi *om. Mt.* 12 sic ego *ug.* si ergo **N** 16 referre, et *scripsi;* referret **N**[1] referre **N**[2] *ut ug.* 17 ingratis **N**[1] *corr.* **N**[2] 18 *sqq.* reducam. Qui .. praestiteris", hos *interpunxi;* reducam; qui .. praestiteris." Hos *ug.* 20 sciui **N**[2] scit **N**[1] 21 hos **N**[2] hoc **N**[1] 22 Quemcumque *ug.* quęcumque **N** 25 exprobrabo quod *scripsi;* ea | probabo quod **N**[1]; quae *pro* quod **N**[2]; exprobrabo, quae *ug.* 26 mollissime. Ut *interpunxi;* mollissime, ut *ug.* 29 sperauero **N**[2] spea | uero **N**[1], *sed* s *in ras.* 33 si quid *ug.* si quod **N**

admonitione sublata, qua et pater filium aliquando conrexit et uxor maritum aberrantem ad se reduxit et amicus languentem amici fidem erexit.

Quidam, ut expergiscantur, non feriendi sed conmouendi XXIII,1
5 sunt; eodem modo quorundam ad referendam gratiam fides non cessat sed languet; hanc peruellamus. „Noli munus tuum *in* iniuriam uertere; iniuria est enim, si in hoc non repetis, ut ingratus sim. Quid, si ignoro, quid desideres? quid, si occupationibus districtus et in alia auocatus occasionem non obseruaui? ostende
10 mihi, quid possim, quid uelis. Quare desperas, antequam 2
temptes? quare properas et beneficium et amicum perdere? unde scis, nolim an ignorem, animus an facultas desit mihi? experire.“ Admonebo ergo, non amare, non palam, sine conuicio, sic, ut se redisse in memoriam, non reduci putet.

15 Causam dicebat apud diuum Iulium ex ueteranis quidam XXIV,1
paulo uiolentior aduersus uicinos suos et causa premebatur. „Meministi“ inquit, „imperator, in Hispania talum extorsisse te circa Sucronem?“ Cum Caesar meminisse se dixisset: „Meministi“ inquit „idem, sub quadam arbore minimum umbrae spargente cum
20 uelles residere *sidere* feruentissimo et esset asperrimus locus, in quo ex rupibus acutis unica illa arbor eruperat, quendam ex commilitonibus paenulam suam substrauisse?“ Cum dixisset Caesar: 2
„Quidni meminerim? et quidem siti confectus, quia inpeditus ire ad fontem proximum non poteram, repere manibus uolebam, *nisi*
25 commilito, homo fortis ac strenuus, aquam mihi in galea sua adtulisset“ —, „Potes ergo“ inquit, „imperator, adgnoscere illum hominem aut illam galeam?“ Caesar ait se non posse galeam adgnoscere, hominem pulchre posse, et adiecit, puto obiratus, quod se a cognitione media ad ueterem fabulam abduceret: „Tu utique 3
30 ille non es.“ „Merito“ inquit, „Caesar, me non adgnoscis; nam cum hoc factum est, integer eram; postea ad Mundam in acie oculus mihi effossus est et in capite lecta ossa. Nec galeam illam,

---

1 admonitione **N**² admotione **N**¹ 2 maritum aberrantem *ug.* mariti (*corr.* maritũ **N**¹ *aut* **N**²) aberrante **N** 4 feriendi **N**² periendi **N**¹ 6 in *add.* **N**² 9 auocatus *scripsi;* uocatus **N** 10 desperas **N**² desperes **N**¹ 12 experire *ug.* expere **N** 15 Iulium *ug.* filium **N** 17 spania **N**¹ *corr.* **N**² 18 „Meministi“ inquit, „idem sub *scripsi;* Meministi quidem sub **N**; Meministin' idem, inquit, sub *Gt.* 20 sidere *addidi;* sole *post* feruentissimo *add.* **N**² *ut ug.* 22 substruisse **N**¹ *corr.* **N**² 23 impeditus **N** in pedibus *L.* pedibus *Wsbg.* 24 manibus uolebam. mani|bus milito homo fortis ac sternuus **N** *corr. ug.* 27 adgnoscere *Er.* cognoscere **N** 28 obiratus **N**¹ ob hoc iratus **N**² *ut ug.* 29 se a gnitione **N** *corr.* **N**¹ *ut uid.* 32 effossus **N**² effosus **N**¹

si uideris, adgnosces; machaera enim Hispana diuisa est." Uetuit illi exhiberi negotium Caesar et agellos, in quibus uicinalis uia causa rixae ac litium fuerat, militi suo donauit.

XXV,1 Quid ergo? non repeteret beneficium ab imperatore, cuius memoriam multitudo rerum confuderat, quem fortuna ingentes exercitus disponentem non patiebatur singulis militibus occurrere? Non est hoc repetere beneficium sed resumere bono loco positum et paratum, ad quod tamen, ut sumatur, manus porrigenda est. Repetam itaque, qua hoc aut ex magna necessitate
2 facturus ero aut illius causa, a quo repetam. Ti. Caesar inter initia dicenti cuidam: „Meministi —", antequam plures notas familiaritatis ueteris proferret: „Non memini" inquit, „quid fuerim." Ab hoc quidni non esset repetendum beneficium? Optanda erat obliuio; auersabatur omnium amicorum et aequalium notitiam et illam solam praesentem fortunam suam adspici, illam solam cogitari ac narrari uolebat; inquisitorem habebat ueterem amicum.

3 Magis tempestiue repetendum est beneficium quam petendum. Adhibenda uerborum moderatio, ut nec *gratus possit offendi nec* ingratus dissimulare. Tacendum erat et expectandum, si inter sapientes uiueremus; et tamen sapientibus quoque indicare me-
4 lius fuisset, quid rerum nostrarum status posceret. Deos, quorum notitiam nulla res effugit, rogamus, et illos uota non exorant sed admonent; dis quoque, inquam, Homericus ille sacerdos adlegat
5 officia et aras religiose cultas. Moneri uelle ac posse secunda uirtus est. Equus obsequens facile et parens huc illuc frenis leniter motis flectendus est. Paucis animus sui rector; optimis proximi sunt, qui admoniti in uiam redeunt: his non est dux detrahendus.
6 Opertis oculis inest acies sed sine usu, quam lumen diei iis inmissum ad ministeria sua euocat; instrumenta cessant, nisi illa in opus suum artifex mouit. Inest interim animis uoluntas bona sed torpet, modo deliciis ac situ, modo officii inscitia; hanc utilem facere debemus nec irati relinquere in uitio sed ut magistri patienter ferre offensationes puerorum discentium memoriae la-

---

5 ingentes *L.* ingens **N** 9 qua *scripsi;* quia **N** 10 Caesar *ug.* Caesari **N** 19 gratus possit offendi nec *add. He.* 26 *sqq.* Equus (*uel* Equos *nom. cas.*) obsequens facile et parens h. i. f. leniter m. f. est. Paucis *Rubenius et Mg.* quos obsequens facet & parere h. i. f. leuiter m. f. est paucis **N** 27 rector; optimis proximi *scripsi;* rector optimus; proximi **N** 29 diei iis inmissum *scripsi;* dii simmissum **N**[1], diis inmissum **N**[2]; diei inmissum *He.* 33 in uitio *Er.* in|uito **N**

bentis; quae quemadmodum saepe subiecto uno aut altero uerbo ad contextum reddendae orationis adducta est, sic ad referendam gratiam admonitione reuocanda est.

---

2 referendam g. admonitione *ug*. ferendam g. admouitio **N**

L. ANNEI: SENECE: DE BENEFICIIS | LIBER: V. EXPLICIT: | INCIPIT: LIBER: VI: FELICITER:

L. ANNAEI SENECAE

AD

AEBUTIUM LIBERALEM

DE BENEFICIIS

LIBER VI.

I, 1 Quaedam, Liberalis, uirorum optime, exercendi tantum ingenii causa quaeruntur et semper extra uitam iacent; quaedam et, dum quaeruntur, oblectamento sunt et quaesita usui. Omnium tibi copiam faciam; tu illa, utcumque tibi uisum erit, aut peragi iubeto aut ad explicandum ludorum ordinem induci. Illis 5 quoque, *quae* abire protinus iusseris, non nihil actum erit; nam etiam quae discere superuacuum est, prodest cognoscere. Ex uultu igitur tuo pendebo; prout ille suaserit mihi, alia detinebo diutius, alia expellam et capite agam.

II, 1 An beneficium eripi posset, quaesitum est. Quidam negant 10 posse; non enim res est sed actio. Quomodo aliud est munus, aliud ipsa donatio, aliud qui nauigat, aliud nauigatio, et, quamuis sine morbo aeger sit *nemo,* non tamen idem est aeger et morbus, ita aliud est beneficium ipsum, aliud quod ad unumquemque 2 nostrum beneficio peruenit. Illud incorporale est, inritum non 15 fit; materia uero eius huc et illuc iactatur et dominum mutat. Itaque cum eripis *..... Ipsa rerum natura reuocare, quod de-

---

5 Illis quoque, quae abire *scripsi* (*sed* quae *Mg. debeo*); in his quoque abire **N**[1]; si *ante* abire *add.* **N**[2] 9 aliam expellam **N** *corr. ug.* capite agam **N** *praue, ut puto; fort.* carptim *uel* raptim agam 10 poss& **N**[1] possit **N**[2] *ut ug.* 12 quamuis sine morbo aeger sit nemo *scripsi;* nemo *om.* **N**; quamuis in morbo aeger sit *Mg.* 17 Itaque cum eripis ipsa rerum natura **N** *mance; exciderunt haec fere uerba:* alicui, quod dedisti, beneficii materiam, non ipsum beneficium ei eripis.

dit, non potest. Beneficia sua interrumpit, non rescindit: qui moritur, tamen uixit; qui amisit oculos, tamen uidit. Quae ad nos peruenerunt, ne sint, effici potest, ne fuerint, non potest; pars autem beneficii et quidem certissima est, quae fuit. Non 3
5 numquam usu beneficii longiore prohibemur, beneficium quidem ipsum non eraditur. Licet omnes in hoc uires suas natura adiuocet, retro illi agere se non licet. Potest eripi domus et pecunia et mancipium et quidquid est, in quo haesit beneficii nomen; ipsum uero stabile et inmotum est; nulla uis efficiet, ne hic de-
10 derit, ne ille acceperit.

Egregie mihi uidetur M. Antonius apud Rabirium poetam, III, 1
cum fortunam suam transeuntem alio uideat et sibi nihil relictum praeter ius mortis, id quoque, si cito occupauerit, exclamare:

„Hoc habeo, quodcumque dedi."

15 O! quantum habere potuit, si uoluisset! Hae sunt diuitiae certae, in quacumque sortis humanae leuitate uno loco permansurae; quae quo maiores fuerint, hoc minorem habebunt inuidiam. Quid tamquam tuo parcis? procurator es. Omnia ista, 2
quae uos tumidos et supra humana elatos obliuisci cogunt uestrae
20 fragilitatis, quae ferreis claustris custoditis armati, quae ex alieno sanguine rapta uestro defenditis, propter quae classes cruentaturas maria deducitis, propter quae quassatis urbes ignari, quantum telorum in auersos fortuna conparet, propter quae ruptis totiens adfinitatis, amicitiae, conlegii foederibus inter contenden-
25 tes duos terrarum orbis elisus est, non sunt uestra; in depositi causa sunt iam iamque ad alium dominum spectantia; aut hostis illa aut hostilis animi successor inuadet. Quaeris, quomodo illa 3
tua facias? dona dando. Consule igitur rebus tuis et certam tibi earum atque inexpugnabilem possessionem para, honestiores illas,
30 non solum tutiores, facturus. Istud, quod suspicis, quo te diui- 4
tem ac potentem putas, quam diu possides, sub nomine sordido iacet: domus est, seruus est, numi sunt; cum donasti, beneficium est.

„Fateris" inquit „nos aliquando beneficium non debere ei, IV, 1
35 a quo accepimus; ergo ereptum est." Multa sunt, propter quae beneficium debere desinimus, non quia ablatum sed quia con-

---

9 uero *ug.* uiro **N** 13 si cito *ug.* scito **N** 17 quo maiores *Er.* cũ maiores **N** 18 parces **N**[1] *corr.* **N**[2] 23 auersos **N**, *ut uoluit Mg.;* aduersos *ug.* 24 collegii *ug.* conlegit **N** 26 hostis *ug.* hostes **N** 27 hostilis *Er.* hostis **N** 29 honestiores illas, non solum tutiores facturus **N**[1] h. i. n. s. sed tut. f. **N**[2] *ut ug.* 30 suspicis **N**[2] suscipis **N**[1]

ruptum est. Aliquis reum me defendit, sed uxorem meam per
uim stupro uiolauit: non abstulit beneficium, sed opponendo illi
parem iniuriam soluit me debito, et, si plus laesit, quam ante pro-
fuerat, non tantum gratia extinguitur, sed ulciscendi querendique
libertas fit, ubi in conparatione beneficii praeponderauit iniuria; 5
2 ita non aufertur beneficium sed uincitur. Quid? non tam duri
quidam et tam scelerati patres sunt, ut illos auersari et eiurare
ius fasque sit? numquid ergo illi abstulerunt, quae dederant?
minime, sed inpietas sequentium temporum conmendationem
omnis prioris officii sustulit. Non beneficium tollitur sed bene- 10
ficii gratia, et efficitur, non ne habeam, sed ne debeam. Tam-
quam pecuniam aliquis mihi credidit sed domum meam incen-
dit: pensatum est creditum damno; nec reddidi illi nec tamen
3 debeo. Eodem modo et hic, qui aliquid benigne aduersus me
fecit, aliquid liberaliter, sed postea multa superbe, contumeliose, 15
crudeliter, eo me loco posuit, ut proinde liber aduersus eum es-
4 sem, ac si nihil accepissem; uim beneficiis suis adtulit. Colonum
suum non tenet quamuis tabellis manentibus, qui segetem eius
proculcauit, qui succidit arbusta, non quia recepit, quod pepi-
gerat, sed quia, ne reciperet, effecit. Sic debitori suo creditor 20
saepe damnatur, ubi plus ex alia causa abstulit, quam ex crediti
5 petit. Non tantum inter creditorem et debitorem iudex sedet,
qui dicat: „Pecuniam credidisti. Quid ergo est? pecus abegisti,
seruum eius occidisti, argentum, quod non emeras, possides;
aestimatione facta debitor discede, qui creditor ueneras"; inter 25
6 beneficia quoque et iniurias ratio confertur. Saepe, inquam, be-
neficium manet nec debetur; si secuta est dantem paenitentia, si
miserum se dixit, quod dedisset, si, cum daret, suspirauit, uultum
adduxit, perdere se credidit, non donare, si sua causa aut certe
non mea dedit, si non desiit insultare, gloriari, ubique iactare et 30
acerbum munus suum facere, manet beneficium, quamuis non
debeatur, sicuti quaedam pecuniae, de quibus ius creditori non
V,1 dicitur, debentur sed non exiguntur. Dedisti beneficium, iniu-
riam postea fecisti; et beneficio gratia debebatur et iniuriae ultio:
nec ego illi gratiam debeo nec ille mihi poenam; alter ab altero 35

---

13 ne credidi **N**[1] *corr.* **N**[2] 14 hic, qui aliquid *edd. post Mt.* hic quia aliquid **N**; hic: quia aliquid *edd. antiq.* 16 proinde **N**; perinde *edd. inde ab Er., rectius, ut opinor* 19 recepet **N**[1], *sed* t *in ras.; scriptum fuisse uid.* receperat; recepit **N**[2] 20 ne **N**[2] nec **N**[1] 27 penitentiam **N**[1] *corr.* **N**[2] 27—31 debetur; si secuta ... facere, manet benef. *interpunxi;* debetur, si secuta ... facere. Manet (itaque) benef. *ug.* 33 *Cap. V, 1—2 et IV, 6 inter se transponi mallem* 34 debebatur **N** debetur *ug.*

absoluitur. Cum dicimus: ‚Beneficium illi reddidi', non hoc di- 2
cimus, illud nos, quod acceperamus, reddidisse, sed aliud pro
illo. Reddere est enim rem pro re dare; quidni? cum omnis
solutio non idem reddat sed tantundem. Nam et pecuniam di-
5 cimur reddidisse, quamuis numerauerimus pro argenteis aureos,
quamuis non interuenerint numi, sed delegatione et uerbis per-
fecta solutio sit.

Uideris mihi dicere: „Perdis operam; quorsus enim pertinet 3
scire me, an maneat, quod non debetur? Iuris consultorum istae
10 acutae ineptiae sunt, qui hereditatem negant usu capi posse sed
ea, quae in hereditate sunt, tamquam quidquam aliud sit heredi-
tas quam ea, quae in hereditate sunt. Illud potius mihi distin- 4
gue, quod potest ad rem pertinere, cum idem homo beneficium
mihi dedit et postea fecit iniuriam, utrum et beneficium illi red-
15 dere debeam et me ab illo nihilo minus uindicare ac ueluti duo-
bus nominibus separatim respondere an alterum alteri contribuere
et nihil negotii habere, ut beneficium iniuria tollatur, beneficio
iniuria. Illud enim uideo in hoc foro fieri; quid in uestra schola
iuris sit, uos sciatis. Separantur actiones et de eo, quod agimus, 5
20 et de eo, *quod* nobiscum agitur, *non* confunditur formula? si, qui
apud me pecuniam deposuerit, idem postea furtum mihi fecerit,
et ego cum illo furti agam et ille mecum depositi?"

Quae proposuisti, mi Liberalis, exempla certis legibus con- VI,1
tinentur, quas necesse est sequi. Lex legi non miscetur, utraque
25 sua uia it; depositum habet actionem propriam, tam mehercules
quam furtum. Beneficium nulli legi subiectum est, me arbitro
utitur; licet mihi inter se conparare, quantum profuerit mihi
quisque aut quantum nocuerit, tum pronuntiare, utrum plus de-
beatur mihi an debeam. In illis nihil est nostrae potestatis, eun- 2
0 dum est, qua ducimur; in beneficio tota potestas mea est, ego
iudico. Itaque non separo illa nec diduco sed iniurias et bene-
ficia ad eundem iudicem mitto; alioqui iubes me eodem tempore

---

1 absoluitur **N** absoluimur *L.* reddidi **N**² reddi **N**¹ 2 reddidisse *ug.* reddisse **N** 3 est enim **N** enim est *ug.* 11 *Uerba* tamquam ... sunt *bis scripserat* **N**¹ *corr.* **N**² 14 & reddere **N**¹, *sed* & *del.* **N**² 16 separati respondere **N**² separatã respon|re **N**¹; *possis etiam:* separatim reponere 18 uestras cola **N**¹ *corr.* **N**² 20 et de eo, quod nobiscum *scripsi;* et deeo nobiscum **N**¹ de eodem nobiscum **N**² et de quo nobiscum *Mg.* agitur **N**, *sed* it *in ras.* non *add. P. Faber* si qui **N** si quis *nonn.* **D** *et edd.* 22 cum illo **N**² *aut pr. corr.;* sum illo **N** 23 mihi liberasti **N** *corr. ug.* 24 necesse est *ug.* nec est **N** 28 aut **N**; *malim* et 31 deduco **N**¹ *corr.* **N**²

et amare et odisse, et queri et gratias agere, quod natura non recipit. Potius conparatione facta inter se beneficii et iniuriae
3 uidebo, an mihi etiam ultro debeatur. Quomodo, si quis scriptis nostris alios superne inprimit uersus, priores litteras non tollit sed abscondit, sic beneficium superueniens iniuria adparere non patitur.

VII,1 Uultus tuus, quoi regendum me tradidi, conligit rugas et trahit frontem, quasi longius exeam; uideris mihi dicere:

„Quo tantum mihi dexter abis? huc derige cursum,
litus ama."

Non possum magis. Itaque, si huic satis factum existimas, illo transeamus, an ei debeatur aliquid, qui nobis inuitus profuit. Hoc apertius potui dicere, nisi propositio deberet esse confusior, ut distinctio statim subsecuta ostenderet utrumque quaeri, et an ei deberemus, qui nobis, dum non uult, profuit, et an ei, qui, dum
2 nescit. Nam si quis coactus aliquid boni fecit, quin nos non obliget, manifestius est, quam ut ulla in hoc uerba inpendenda sint. Et haec quaestio facile expedietur et si qua similis huic moueri potest, si totiens illo cogitationem nostram conuerterimus, beneficium nullum esse, nisi quod ad nos primum aliqua cogitatio
3 defert, deinde amica et benigna. Itaque nec fluminibus gratias agimus, quamuis aut magna nauigia patiantur et ad subuehendas copias largo ac perenni alueo currant aut piscosa et amoena pinguibus aruis interfluant; nec quisquam Nilo beneficium debere se iudicat, non magis quam odium, si inmodicus superfluxit tardeque decessit; nec uentus beneficium dat, licet lenis et secundus adspiret, nec utilis et salubris cibus. Nam qui beneficium mihi daturus est, debet non tantum prodesse sed uelle. Ideo nec mutis animalibus quidquam debetur: et quam multos e periculo uelocitas equi rapuit! nec arboribus: et quam multos aestu labo-
4 rantes ramorum opacitas texit! Quid autem interest, utrum mihi, qui nesciit, profuerit, an qui scire non potuit, cum utrique uelle defuerit? Quid interest, utrum me iubeas naui aut uehiculo aut

---

1 quaeri **N** *corr. ug.* 3 *fort.* ultra 5 superuenies **N**[1] *corr.* **N**[2] 7 quoire gendum **N**[1] cui regendum **N**[2] *ut ug.* colligi **N**[1] *corr.* **N**[2] et trahit **N**[1] et adtrahit **N**[2] 9 dextrabis **N**[1] *corr.* **N**[2] cursum **N** gressum *optimi codd. Uerg. Aen. V, 162* 12 qui **N**[2] quid **N**[1] 14 quaeri, et an ei deb. *scripsi;* quaeri ea an & deb. **N**[1] quaeri, an ei deb. **N**[2] *ut ug.* 16 quin.. obliget, man. **N** (*uid. Mg. ad Cic. de Finib. p. 662 ed. 2*) quidni.. obliget? man. *CFWMüller* (*N. J. 93 p. 492*) 19 conuerteremus **N** *corr. ug.* 26 decessit **N** recessit *ug.* 29 aepericulo **N**[1] *corr.* **N**[2] 32 nesciit *scripsi;* nescit **N** utique **N** *corr.* **N**[1] 33 quid interest **N**[2] qui interest **N**[1]

lanceae debere beneficium an ei, qui aeque quam ista propositum bene faciendi nullum habuit sed profuit casu?

Beneficium aliquis nesciens accipit, nemo a nesciente. Quo- VIII,1
modo multos fortuita sanant nec ideo remedia sunt (ut in flumen
5 alicui cecidisse frigore magno causa sanitatis fuit), quomodo
quorundam flagellis quartana discussa est, et metus repentinus
animum in aliam curam auertendo suspectas horas fefellit, nec
ideo quidquam horum, etiam si saluti fuit, salutare est, sic qui-
dam nobis prosunt, dum nolunt, immo quia nolunt, non tamen
10 ideo illis beneficium debemus, quod perniciosa illorum consilia
fortuna deflexit in melius. An existimas me debere ei quidquam, 2
cuius manus, cum me peteret, percussit hostem meum, qui no-
cuisset, nisi errasset? Saepe hostis, dum aperte peierat, etiam
ueris testibus abrogauit fidem et reum uelut factione circumuen-
5 tum miserabilem reddidit. Quosdam ipsa, quae premebat, poten- 3
tia eripuit, et iudices, quem damnaturi erant causae, damnare
gratiae noluerunt. Non tamen hi beneficium reo dederunt, quam-
uis profuerint, quia, quo missum sit telum, non quo peruenerit,
quaeritur, et beneficium ab iniuria distinguit non euentus sed
0 animus. Aduersarius meus, dum contraria dicit et iudicem super- 4
bia offendit et in unum testem temere rem demittit, causam
meam erexit; non quaero, an pro me errauerit; contra me uoluit.

Nempe, ut gratus sim, uelle debeo idem facere, quod ille, ut IX,1
beneficium daret, debuit. Num quid est iniquius homine, qui
5 eum odit, a quo in turba calcatus aut respersus aut, quo nollet,
inpulsus est? atqui quid est aliud, quod illum querellae eximat,
cum in re sit iniuria, quam nescisse, quid faceret? Eadem res 2
efficit, ne hic beneficium dederit, ne ille iniuriam fecerit; et ami-
cum et inimicum uoluntas facit. Quam multos militiae morbus
0 eripuit! quosdam, ne ad ruinam domus suae occurrerent, inimi-
cus uadimonio tenuit; ne in piratarum manus peruenirent, qui-
dam naufragio consecuti sunt; nec his tamen beneficium debe-
mus, quia extra sensum officii casus est, nec inimico, cuius nos
lis seruauit, dum uexat ac detinet. Non est beneficium, nisi quod 3
a bona uoluntate proficiscitur, nisi illud adgnoscit, qui dedit. Pro-

---

1 lancae N *corr.* N¹ 4 ut in flumen *Siesbye;* et in flumen N 5 alicui N² aliquo N¹; *fort.* aliquando 8 siquidam N *corr.* N¹ 13 hostis N testis *Agricola* perierat N 16 erupuit N¹ *corr.* N² causę . . gratiae N causa . . gratia *ug.; uid. Adn.* 18 peruenerit *ug.* peruenit N 21 temere rem *Mg.* (*et* temere *est in nonn.* D *et edd.*); de me rem N 22 meam *ug.* mea N 24 daret *ug.* dare N 35 adgnoscit *ug.* adcognoscit N dedit. Profuit aliquis N, *sed* it Profuit a *in ras. pr. m.*

fuit aliquis mihi, dum nescit: nihil illi debeo; profuit, *dum non uult: nec huic debeo; profuit,* cum uellet nocere: imitabor ipsum.

X, 1 Ad primum illum reuertamur. Ut gratiam referam, aliquid facere me uis? ipse, ut beneficium mihi daret, nihil fecit. Ut ad alterum transeamus, uis me huic gratiam referre, ut, quod a 5 nolente accepi, uolens reddam? Nam quid de tertio loquar, qui 2 ab iniuria in beneficium delapsus est? Ut beneficium tibi debeam, parum est uoluisse te dare; ut non debeam, satis est noluisse. Beneficium enim uoluntas nuda non efficit, sed, quod beneficium non esset, si optimae ac plenissimae uoluntati fortuna defuisset, 10 id aeque beneficium non est, nisi fortunam uoluntas antecessit; non enim profuisse te mihi oportet, ut ob hoc tibi obliger, sed ex destinato profuisse.

XI, 1 Cleanthes exemplo eiusmodi utitur: „Ad quaerendum" inquit „et accersendum ex Academia Platonem duos pueros misi; 15 alter totam porticum perscrutatus est, alia quoque loca, in quibus illum inueniri posse sperabat, percucurrit et domum non 2 minus lassus quam inritus rediit; alter apud proximum circulatorem resedit et, dum uagus atque erro uernaculis congregatur et ludit, transeuntem Platonem, quem non quaesierat, inuenit. 20 Illum, inquit, laudabimus puerum, qui, quantum in se erat, quod 3 iussus est, fecit; hunc feliciter inertem castigabimus." Uoluntas est, quae apud nos ponit officium; cuius uide quae condicio sit, ut me debito obstringat. Parum est illi uelle, nisi profuit; parum est profuisse, nisi uoluit. Puta enim aliquem donare uoluisse 25 nec donasse: animum quidem eius habeo, sed beneficium non 4 habeo, quod consummat et res et animus. Quemadmodum ei, qui uoluit mihi quidem pecuniam credere sed non dedit, nihil debeo, ita ei, qui uoluit mihi beneficium dare sed non potuit, amicus quidem ero sed non obligatus; et uolam illi aliquid praestare (nam et ille uoluit mihi), ceterum, si benigniore usus fortuna praestitero, beneficium dedero, non gratiam rettulero. Ille mihi gratiam referre debebit; hinc initium fiet, a me numerabitur.

XII, 1 Intellego iam, quid uelis quaerere; non opus est te dicere; 35 uultus tuus loquitur. „Si quis sua nobis causa profuit, eine" inquis „debetur aliquid? Hoc enim saepe te conquerentem

---

1 dum non uult.. profuit *addidi; uid. Adn.* 3 illum *ug. ex uno cod. Pinc.* illud **N** 10 defuisset **N**, *sed fuit* debuisset; deesset *ug.* 17 inueniri **N**[2] inuenire **N**[1]; *an fuit:* inuenire posse se sp.? 19 erro *Er. et nonn.* **D** error **N** 21—22 laudauimus.. castigauimus **N**[1] *corr.* **N**[2] 28 dedit **N** credidit *Er. et nonn.* **D** 30 uolam **N**[1] uolo **N**[2] *ut ug.* 33 numerabitur *Gr.* numerantur **N**

audio, quod quaedam homines sibi praestant, aliis inputant.“ Dicam, mi Liberalis; sed prius istam quaestiunculam diuidam et
rem aequam ab iniqua separabo. Multum enim interest, utrum 2
aliquis beneficium nobis det sua causa an et sua. Ille, qui totus
5 ad se spectat et nobis prodest, quia aliter prodesse sibi non potest, eo mihi loco est, quo, qui pecori suo hibernum et aestiuum pabulum prospicit; eo loco est, quo, qui captiuos suos, ut commodius ueneant, pascit et opimos boues saginat ac defricat, quo lanista, qui familiam summa cura exercet atque ornat. Multum,
10 ut ait Cleanthes, a beneficio distat negotiatio. Rursus non sum XIII. 1
tuam iniquus, ut ei nihil debeam, qui, cum mihi utilis esset, fuit et sibi; non enim exigo, ut mihi sine respectu sui consulat, immo etiam opto, ut beneficium mihi datum uel magis danti profuerit, dum modo id, qui dabat, duos intuens dederit et inter me seque
15 diuiserit. Licet id ipse ex maiore parte possideat, si modo me in 2
consortium admisit, si duos cogitauit, ingratus sum, non solum iniustus, nisi gaudeo hoc illi profuisse, quod proderat mihi. Summae malignitatis est non uocare beneficium, nisi quod dantem aliquo incommodo adfecit.

20 Alteri illi, qui beneficium dat sua causa, respondebo: „Usus 3
me quare potius te mihi profuisse dicas quam me tibi?“ „Puta“ inquit „aliter fieri non posse me magistratum, quam si decem captos ciues ex magno captiuorum numero redemero: nihil debebis mihi, cum te seruitute ac uinculis liberauero? atqui mea
25 id causa faciam.“ Aduersus hoc respondebo: „Aliquid istic tua 4
causa facis, aliquid mea: tua, quod redimis, *mea, quod me redimis*; tibi enim ad utilitatem tuam satis *est* quoslibet redemisse. Itaque debeo, non quod redimis me, sed quod eligis; poteras enim et alterius redemptione idem consequi quod mea. Utilitatem rei
30 partiris mecum et me in beneficium recipis duobus profuturum. Praefers me aliis; hoc totum mea causa facis. Itaque, si praeto- 5
rem te factura esset decem captiuorum redemptio, decem autem soli captiui essemus, nemo quidquam tibi deberet ex nobis, quia nihil haberes, quod cuiquam inputares, a tua utilitate seductum.
35 Non sum inuidus beneficii interpres nec desidero illud mihi tantum dari, sed et mihi.“

„Quid ergo?“ inquit; „si in sortem nomina uestra coici XIV, 1
iussissem, et tuum nomen inter redimendos exisset, nihil deberes

---

8 opimos boues **N**² optimo suo bes **N**¹ 10 sum tam **N**² su&ã **N**¹ 20 Alteri illi *duo* **D** *et Gt.* Alterilli **N** 21 dicas **N** dices *ug.; malim* dicis 26 mea, quod me redimis *add. Mg.* 27 est *add.* **N**² *ut uid.* 35 Non sum inuidus (*aut* liuidus) *Gt.; nonsũ* uidus **N**¹; uides *corr.* **N**²

2 mihi?" Immo deberem, sed exiguum; quid sit hoc, dicam. Aliquid istic mea causa facis, quod me ad fortunam redemptionis admittis; quod nomen meum exiit, sorti debeo, quod exire potuit, tibi. Aditum mihi ad beneficium tuum dedisti, cuius maiorem partem fortunae debeo, sed hoc ipsum tibi, quod fortunae debere potui.

3 Illos ex toto praeteribo, quorum mercennarium beneficium est, quod qui dat, non conputat, quoi, sed quanti daturus sit, quod undique in se conuersum est. Uendit mihi aliquis frumentum; uiuere non possum, nisi emero; sed non debeo uitam, quia emi.

4 Nec, quam necessarium fuerit, aestimo, sine quo uicturus non fui, sed quam ingratum, quod non habuissem, nisi emissem, in quo inuehendo mercator non cogitauit, quantum auxilii adlaturus esset mihi, *sed* quantum lucri sibi. Quod emi, non debeo.

XV, 1 „Isto modo" inquit „nec medico quidquam debere te nisi mercedulam dicis nec praeceptori, quia aliquid numeraueris; atqui omnium horum apud nos magna caritas, magna reuerentia

2 est." Aduersus hoc respondetur quaedam pluris esse, quam emuntur. Emis a medico rem inaestimabilem, uitam ac bonam ualetudinem, a bonarum artium praeceptore studia liberalia et animi cultum; itaque his non rei pretium sed operae soluitur, quod deseruiunt, quod a rebus suis auocati nobis uacant; merce-

3 dem non meriti sed occupationis suae ferunt. Aliud tamen dici potest uerius, quod statim ponam, si prius, quomodo istud refelli possit, ostendero. „Quaedam" inquit „pluris sunt, quam uenierunt, et ob hoc aliquid mihi extra pro illis, quamuis empta sunt,

4 debes." Primum quid interest, quanti sint, cum de pretio inter ementem uendentemque conuenerit? Deinde non emi illud suo pretio sed tuo. „Pluris est" inquis, „quam ueniit"; sed pluris uenire non potuit. Pretium autem rei cuiusque pro tempore est; cum bene ista laudaueris, tanti sunt, quanto pluris uenire non

5 possunt; propterea nihil uenditori debet, qui bene emit. Deinde, etiam si pluris ista sunt, non tamen ullum istic tuum munus est, ubi non ex usu effectuue sed ex consuetudine et annona aesti-

6 metur. Quod tu pretium ponis traicienti maria et per medios

---

3 exiit *ug.* exit **N** 8 quoi **N**[1] cui **N**[2] 12 ingratum **N** non (n) gratuitum *Gr.* 14 sed *add. ug.; fuit fort.:* mihi esset, sed quantum 16 dicis **N** dices *ug.* 18 plures **N**[1] *corr.* **N**[2] 19 emissa med. **N**[1] *corr.* **N**[2]; *malim* emimus 23 occupationi **N**[1] *corr.* **N**[2] 25 uenierunt *ug.* ueneront **N** uenerunt **N**[1] 26 epta (*sic*) sunt **N**[1] empta sint **N**[2]; *vid. Adn. ad II, 2, 2.* 29 ueniit *ug.* uenit **N** 32 propterea *scripsi;* praeterea **N** 34 ubi *Mg.* (*sed is etiam:* aestimatur *aut:* ut ubi . . aestimetur); ut **N**

fluctus, cum terra e conspectu recessit, certam secanti uiam et prospicienti futuras tempestates et securis omnibus subito iubenti uela stringi, armamenta demitti, paratos ad incursum procellae et repentinum inpetum stare? huic tamen tantae rei pretium
5 uectura persoluit. Quanti aestimas in solitudine hospitium, in 7
imbre tectum, in frigore balneum aut ignem? scio tamen, quanti ista consecuturus deuersorium subeam. Quantum nobis praestat, qui labentem domum suscipit et agentem ex imo rimas insulam incredibili arte suspendit? certo tamen et leui pretio fultura con-
10 ducitur. Murus nos ab hostibus tutos et a subitis latronum in- 8
cursionibus praestat; notum est tamen, illas turres pro securitate publica propugnacula habituras excitaturus faber quid in diem mereat.

Infinitum erit, si latius exempla conquiram, quibus adpa- XVI, 1
15 reat paruo magna constare. Quid ergo? quare et medico et praeceptori plus quiddam debeo nec aduersus illos mercede defungor? Quia ex medico *et* praeceptore in amicum transeunt et nos non arte, quam uendunt, obligant sed benigna et familiari uoluntate. Itaque medico, si nihil amplius quam manum tangit et me inter 2
20 eos, quos perambulat, ponit, sine ullo adfectu facienda aut uitanda praecipiens, nihil amplius debeo, quia me non tamquam amicum uidet sed tamquam imperantem. Ne praeceptorem qui- 3
dem habeo cur uenerer, si me in grege discipulorum habuit, si non putauit dignum propria et peculiari cura, si numquam in me
25 derexit animum, et, cum in medium effunderet, quae sciebat, non didici sed excepi. Quid ergo est, quare istis multum debeamus? 4
non quia pluris est, quod uendiderunt, quam emimus, sed quia nobis ipsis aliquid praestiterunt. Ille magis pependit, quam medico necesse est; pro me, non pro fama artis extimuit; non fuit
30 contentus remedia monstrare: et admouit; inter sollicitos adsedit, ad suspecta tempora occurrit; nullum ministerium illi oneri,

---

1 cum terra e conspectu recessit *Mg.;* cum terrae conspecture esit **N**[1]; cum e terrae conspectu recessit **N**[2] *ut ug.* 2 tempestates **N**[2] *in marg.;* potestatis **N**[1] potestates **N**[2] *in textu* 4 pretium *unus* **D**; praemium **N** 5 soluudine **N**[1] *corr.* **N**[2] 7 deuersorium **N**[1] diuersorium **N**[2] 9 futura **N**[1] *corr.* **N**[2] *ut uid.* 12 diǣ **N**[1] diē **N**[2] 17 medico et praeceptore **N**[2] (et *scribitur siglo*); et *om.* **N**[1]; ac *add. ug.* 19 medico, si nihil *L.* medicos nichil **N**[1] medicus nihil **N**[2] 20 aut uitanta **N**[1] *corr.* **N**[2] 22 uid& **N** uidit *ug.* imperantem *scripsi; uid. Adn.;* inperatorem **N** inuocatorem *uel* emptorem *Pinc.* interpellatorem *Mg.* 25 derexit **N** direxit *ug.* 28 pependit **N**[1] rependit **N**[2] 30 inter sollicitos *Gt.* intersolicitus **N**[1] interea sollicitus **N**[2] inter sollicitos sollicitus *He.* 31 suspectam **N**[1] *corr.* **N**[2]

5 nullum fastidio fuit; gemitus meos non securus audiuit; in turba multorum inuocantium ego illi potissima curatio fui; tantum aliis uacauit, quantum mea ualetudo permiserat: huic ego non tam-
6 quam medico sed tamquam amico obligatus sum. Alter rursus docendo et laborem et taedium tulit; praeter illa, quae a praeci- 5 pientibus in commune dicuntur, aliqua instillauit ac tradidit, hortando bonam indolem erexit et modo laudibus fecit animum,
7 modo admonitionibus discussit desidiam; tum ingenium iacens et pigrum iniecta, ut ita dicam, manu extraxit; nec, quae sciebat, maligne dispensauit, quo diutius esset necessarius, sed cupiit, si 10 posset, uniuersa transfundere: ingratus sum, nisi illum inter gratissimas necessitudines diligo.

XVII, 1 Sordidissimorum quoque artificiorum institoribus supra constitutum aliquid adiecimus, si nobis illorum opera enixior uisa est; et gubernatori et opifici uilissimae mercis et in diem se 15 locanti corollarium adspersimus. In optimis uero artibus, quae uitam aut conseruant aut excolunt, qui nihil se plus existimat
2 debere, quam pepigit, ingratus est. Adice, quod talium studiorum traditio miscet animos; hoc cum factum est, tam medico quam praeceptori pretium operae soluitur, animi debetur. 20

XVIII, 1 Platon cum flumen naue transisset nec ab illo quidquam portitor exegisset, honori hoc suo datum credens dixit positum illi esse apud Platonem officium; deinde paulo post, cum alium atque alium gratis eadem sedulitate transueheret, negauit illi iam
2 apud Platonem positum officium. Nam ut tibi debeam aliquid 25 pro eo, quod praestas, debes non tantum mihi praestare sed tamquam mihi; non potes ob id quemquam adpellare, quod spargis in populum. Quid ergo? nihil tibi debebitur pro hoc? Tamquam ab uno nihil; cum omnibus soluam, quod cum omnibus debeo. 30

XIX, 1 „Negas" inquit „ullum dare beneficium eum, qui me gratuita naue per flumen † radum tulit?" Nego. Aliquid boni facit, beneficium non dat; facit enim sua causa aut utique non mea; ad summam ne ipse quidem se mihi beneficium iudicat dare, sed aut rei publicae aut uiciniae aut ambitioni suae praestat et pro 35 hoc aliud quoddam commodum expectat, quam quod a singulis

---

1 meus non securos **N**[1] *corr.* **N**[2] 5 & ddium **N**[1] *corr.* **N**[2] 8 admonibus **N**[1] *corr.* **N**[2] iacens *scripsi cum uno* **D** latens **N** 10 cupiit *ug.* cupit **N** 11 possit **N**[1] *corr.* **N**[2] 13 institoribus *Agricola;* institutoribus **N** 14 opera enixior **N**[2] operę nixior **N**[1] 15 se *add. ug.; an potius* in *delendum?* 19 animus **N**[1] *corr.* **N**[2] 22 exegisset & **N**[1] *corr.* **N**[2] 24 sedulitate *ug.* sed utilitatem **N**, *sed* ti *et* m *eras.* 31 ullum *ug.* nullum **N** 32 radum **N**[1] *corrupte;* padum (*i. e.* peradum) **N**[2]; Padum *ug., sed dubito*

recepturus est. „Quid?“ inquit; „ergo si princeps ciuitatem de- 2
derit omnibus Gallis, si inmunitatem Hispanis, nihil hoc nomine
singuli debebunt.“ Quidni debeant? debebunt autem non tam-
quam proprium beneficium sed tamquam publici partem. „Nul- 3
lam“ inquit „habuit cogitationem illo tempore mei, quo uniuersis
proderat; noluit mihi ciuitatem proprie dare nec in me derexit
animum; ita quare ei debeam, qui me sibi non substituit, cum
facturus esset, quod fecit?“ Primum, cum cogitauit Gallis omni- 4
bus prodesse, et mihi cogitauit prodesse; eram enim Gallus et me,
etiam si non mea, publica tamen nota conprehendit. Deinde ego
quoque illi non tamquam proprium debebo sed tamquam com-
mune munus; *unus* ex populo non tamquam pro me soluam sed
tamquam pro patria conferam. Si quis patriae meae pecuniam 5
credat, non dicam me illius debitorem nec hoc aes alienum pro-
fitebor aut candidatus aut reus; ad exsoluendum tamen hoc dabo
portionem meam. Sic istius muneris, quod uniuersis datur, debi-
torem me nego, quia mihi quidem dedit sed non propter me, et
mihi quidem sed nesciens, an mihi daret; nihilo minus aliquid
mihi dependendum sciam, quia ad me quoque circumitu longo
peruenit. Propter me debet factum esse, quod me obliget.

„Isto“ inquit „modo nec lunae nec soli quidquam debes; XX, 1
non enim propter *te* mouentur.“ Sed cum in hoc moueantur, ut
uniuersa conseruent, et pro me mouentur; uniuersorum enim
pars sum. Adice nunc, quod nostra et horum condicio dissimilis 2
est; nam qui mihi prodest, ut per me prosit sibi, non dedit bene-
ficium, quia me instrumentum utilitatis suae fecit; sol autem et
luna, etiam si nobis prosunt sua causa, non in hoc tamen pro-
sunt, ut per nos prosint sibi; quid enim nos conferre illis pos-
sumus?

„Sciam“ inquit „solem ac lunam nobis uelle prodesse, si XXI, 1
nolle potuerint; illis autem non licet non moueri. Ad summam
consistant et opus suum intermittant.“ Hoc uide quot modis re-
fellatur. Non ideo minus uult, qui non potest nolle; ergo maxi- 2
mum argumentum est † firmam uoluntatis ne mutari quidem
posse. Uir bonus non potest non facere, quod facit; non enim

---

1 „Quid?“ inquit; „ergo.. debebunt.“ *scripsi et interpunxi;* „Quid ergo?“ inquit.. debebunt?“ *ug. ex* **N** 6 propriae **N**[1] *corr.* **N**[2] derexit *scripsi;* direxit **N** 12 unus *add. Fickert;* commune; unus ex p. *Er.* 13 patria meae pecuniam **N**[1], *sed* a meae pe *in ras. pr. m.;* patriae *corr.* **N**[2] 17 me nego **N**[2] nae nego **N**[1] 22 te *add.* **N**[2] 25 prosit **N**[2] possit **N**[1] 32 quot **N**[2] quod **N**[1] 33 ergo m. a. est firmam uoluntatis **N** *corrupte, addita in marg. nota Z;* immo m. a. est firmae uoluntatis *edd. inde a Mt.* 35 facet **N**[1] *corr.* **N**[2]; *mallem* debet

erit bonus, nisi fecerit; ergo nec bonus uir beneficium dat, quia
3 facit, quod debet, non potest autem non facere, quod debet? Praeterea multum interest, utrum dicas: ‚Non potest hoc non facere', quia cogitur, an: ‚Non potest nolle'. Nam si necesse est illi facere, non debeo ipsi beneficium, sed cogenti; si necesse est illi 5 uelle ob hoc, quia nihil habet melius, quod uelit, ipse se cogit; ita, quod tamquam coacto non deberem, tamquam cogenti debeo.
4 „Desinant" inquit „uelle." Hoc loco tibi illud occurrat: Quis tam demens est, ut eam neget uoluntatem esse, cui non est periculum desinendi uertendique se in contrarium, cum ex diuerso 10 nemo aeque uideri debeat uelle, quam cuius uoluntas usque eo certa est, ut aeterna sit? An, si is quoque uult, qui potest statim nolle, is non uidebitur uelle, in cuius naturam non cadit nolle?
XXII, 1 „Agedum" inquit, „si possunt, resistant." Hoc dicis: „Omnia ista ingentibus interuallis diducta et in custodiam uniuersi disposita stationes suas deserant; subita confusione rerum 15 sidera sideribus incurrant, et rupta rerum concordia in ruinam diuina labantur, contextusque uelocitatis citatissimae in tot saecula promissas uices in medio itinere destituat, et, quae nunc alternis eunt redeuntque opportunis libramentis mundum ex 20 aequo temperantia, repentino concrementur incendio, et ex tanta uarietate soluantur atque eant in unum omnia; ignis cuncta possideat, quem deinde pigra nox occupet, et profunda uorago tot deos sorbeat"; est tanti, ut tu coarguaris, ista concidere! Prosunt tibi etiam inuito euntque ista tua causa, etiam si maior illis alia 25 ac prior causa est.
XXIII, 1 Adice nunc, quod non externa cogunt deos, sed sua illis † in legem aeterna uoluntas est. Statuerunt, quae non mutarent; itaque non possunt uideri facturi aliquid, quamuis nolint, quia, quidquid desinere non possunt, perseuerare uoluerunt, nec um- 30
2 quam primi consilii deos paenitet. Sine dubio stare illis et desciscere in contrarium non licet, sed non ob aliud, quam quia uis sua illos in proposito tenet; nec inbecillitate permanent, sed quia
3 non libet ab optimis aberrare et sic ire decretum est. In prima autem illa constitutione, cum uniuersa disponerent, etiam nostra 35 uiderunt rationemque hominis habuerunt; itaque non possunt uideri sua tantum causa decurrere et explicare opus suum, quia

---

2 debet? Praeterea *interpunxi;* debet. Praeterea *ug.* 3 dicas non potest hoc **N**[2] dicas non di|cas hoc **N**[1] 5 cogente **N**[1] *corr.* **N**[2] 15 deducta **N**[1] *corr.* **N**[2] 24 concidere. Prosunt *Gt.* concidere possunt **N** 28 in legem **N** *praue; uid. Adn.* 30 umquã **N**, *sed* quã *add. m. pr.* 32 incon|tra in contrarium **N**[1] *corr.* **N**[2] *ut uid.* 36 rationemqui **N**[1] *corr.* **N**[2]

pars operis et nos sumus. Debemus ergo et soli et lunae et ceteris caelestibus beneficium, quia, etiam si potiora illis sunt, in quae oriuntur, nos tamen in maiora ituri iuuant. Adice, quod ex 4
destinato iuuant, ideoque obligati *iis* sumus, quia non in beneficium
5 ignorantium incidimus, sed haec, quae accipimus, accepturos scierunt; et quamquam maius illis propositum sit maiorque actus sui fructus quam seruare mortalia, tamen in nostras quoque utilitates a principio rerum praemissa mens est et is ordo mundo datus, ut adpareat curam nostri non inter ultima habitam. Debe- 5
10 mus parentibus nostris pietatem, et multi non, ut gignerent, coierant; di non possunt uideri nescisse, quid effecturi essent, cum hominibus alimenta protinus et auxilia prouiderint, nec eos per neglegentiam genuere, quibus tam multa generabant. Cogitauit nos ante natura, quam fecit, nec tam leue opus sumus, ut illi
15 potuerimus excidere. Uide, quantum nobis permiserit, quam non 6
intra homines humani imperii condicio sit; uide, in quantum corporibus uagari liceat, quae non coercuit fine terrarum sed in omnem partem sui misit; uide, animi quantum audeant, quemadmodum soli aut nouerint deos aut quaerant et mente in altum
20 elata diuina comitentur: scies non esse hominem tumultuarium et incogitatum opus. Inter maxima rerum suarum natura nihil 7
habet, quo magis glorietur, aut certe, cui glorietur; quantus iste furor est, controuersiam dis muneris sui facere! quomodo aduersus eos hic erit gratus, quibus gratia referri sine inpendio non
25 potest, qui negat se ab iis accepisse, a quibus cum maxime accipit, qui et semper daturi sunt et numquam recepturi? quanta 8
autem peruersitas, ob hoc alicui non debere, quia etiam infitianti benignus est, et continuationem ipsam seriemque beneficiorum argumentum uocare necessario dantis! „Nolo! sibi habeat! quis
30 illum rogat?“ et omnes alias inpudentis animi uoces his adstrue: non ideo de te minus meretur is, cuius liberalitas ad te etiam, dum negas, peruenit, cuiusque beneficiorum uel hoc maximum est, quod etiam querenti daturus est.

Non uides, quemadmodum teneram liberorum infantiam XXIV,1
35 parentes ad salubrium rerum patientiam cogant? Flentium corpora ac repugnantium diligenti cura fouent et, ne membra liber-

---

3 ituri **N** itura *multi* **D** 4 iis *addidi* 5 accipemus accepituros **N**[1] *corr. ug.* (accepturos *iam* **N**[2]) 8 ac principio **N**[1] *corr.* **N**[2] is **N**[2] his **N**[1] 9 ultimam **N**[1] *corr.* **N**[2] 10 coierant **N** coierunt *Mt.* 12 hominibus *scripsi;* omnibus **N** auxilia *L. et unus* **D** exilia **N** 17 finem **N**[1] *corr.* **N**[2] 20 elata *Hpt.* data **N** 25 a quibus *bis scriptum* **N** *habuit, sed corr. m. pr. ut uid.* accipit *ug.* accepit **N** 30 inpudentes **N**[1] *corr.* **N**[2] 33 quaerenti **N**[1] *corr.* **N**[2]

tas inmatura detorqueat, in rectum exitura constringunt et mox liberalia studia inculcant adhibito timore nolentibus; ad ultimum audacem iuuentam frugalitati, pudori, moribus bonis, si parum
2 sequitur, coactam adplicant. Adulescentibus quoque ac iam potentibus sui, si remedia metu aut intemperantia reiciunt, uis ad- 5
hibetur ac seueritas. Itaque beneficiorum maxima sunt, quae a parentibus accepimus, dum aut nescimus aut nolumus.

XXV, 1 His ingratis et repudiantibus beneficia, non quia nolunt, sed ne debeant, similes sunt ex diuerso nimis grati, qui aliquid incommodi precari solent iis, quibus obligati sunt, aliquid aduersi, 10
2 in quo adfectum memorem accepti beneficii adprobent. An hoc recte faciant et pia uoluntate, quaeritur; quorum animus simillimus est prauo amore flagrantibus, qui amicae suae optant exilium, ut desertam fugientemque comitentur, optant inopiam, *ut* magis desideranti donent, optant morbum, ut adsideant, et, quidquid 15
inimicus optaret, amantes uouent. Fere idem itaque exitus est
3 odii et amoris insani. Tale quiddam et his accidit, qui amicis incommoda optant, quae detrahant, et ad beneficium iniuria ueniunt, cum satius sit uel cessare quam per scelus officio locum
4 quaerere. Quid, si gubernator a dis tempestates infestissimas et 20
procellas petat, ut gratior ars sua periculo fiat? quid, si imperator deos oret, ut magna uis hostium circumfusa castris fossas subito inpetu conpleat et uallum trepidante exercitu uellat et in ipsis portis infesta signa constituat, quo maiore cum gloria rebus las-
5 sis profligatisque succurrat? Omnes isti beneficia sua detestabili 25
uia ducunt, qui deos contra eum aduocant, cui ipsi adfuturi sunt, et ante illos sterni quam erigi uolunt; inhumana ista peruerse grati animi natura est, contra eum optare, cui honeste deesse non possis.

XXVI, 1 „Non nocet" inquit „illi uotum meum, quia simul opto 30
et periculum et remedium." Hoc dicis, non nihil te peccare sed minus, quam *si* sine remedio periculum optares. Nequitia est ut extrahas mergere, euertere ut suscites, ut emittas includere; non est beneficium iniuriae finis, nec umquam id detraxisse meritum
2 est, quod ipse, qui detraxit, intulerat. Non uulneres me malo 35
quam sanes. Potes inire gratiam, si, quia uulneratus sum, sanas,

---

4 ac iam **N**² aciem **N**¹ 6 seueritas *Koch* (*cl.* V, 5, 2); seruitus **N** 7 accepimus **N** accipimus *ug.* 11 adfectum **N**¹ adfectu **N**² 14 ut *add.* **N**² 15 desiderandi **N**¹ *corr.* **N**² 18 et abeneficium **N**¹ *corr.* **N**² 19 locum **N**² loco cum **N**¹ 23 uellat *scripsi;* bellat **N**¹ conuellat **N**² *ut ug.* 24 lassis **N** lapsis *ug.* 25 succurrant **N**¹ *corr.* **N**² 27 peruersae **N** *corr. Er.* (*sed is et antiq.* et peruerse) 32 si *add. ug.* 36 quia **N**¹ qua **N**; *malim* cum

non, si uulneras, ut sanandus sim; numquam cicatrix nisi conlata uulneri placuit, quod ita coisse gaudemus, ut non fuisse mallemus. Si hoc ei optares, cuius nullum beneficium haberes, inhumanum erat uotum; quanto inhumanius ei optas, cui bene-
5 ficium debes!

„Simul" inquit, „ut possim ferre illi opem, precor." XXVII,1
Primum, ut te in media parte uoti tui occupem, iam ingratus es; nondum audio, quid illi uelis praestare, scio, quid illum uelis pati. Sollicitudinem illi et metum et maius aliquod inprecaris malum.
10 Optas, ut ope indigeat: hoc contra illum est; optas, ut ope tua indigeat: hoc pro te est. Non succurrere uis illi sed *solui debito*; *nam* soluere qui sic properat, solui uult, non soluere. Ita, quod 2
unum in uoto tuo honestum uideri poterat, ipsum turpe et ingratum est, nolle debere; optas enim, non ut tu facultatem habeas
15 referendae gratiae, sed ut ille necessitatem inplorandae. Superiorem te facis et, quod nefas est, bene meritum ad pedes tuos mittis. Quanto satius est honesta uoluntate debere quam rationem per malam soluere! Si infitiareris, quod acceperas, minus pec- 3
cares; nihil enim, nisi quod dederat, amitteret; nunc uis illum
20 subici tibi, iactura rerum suarum et status mutatione in id deuocari, ut infra beneficia sua iaceat. Gratum te putabo? coram eo, cui prodesse uis, opta. Uotum tu istud uocas, quod inter gratum et inimicum potest diuidi, quod non dubites aduersarium et hostem fecisse, si extrema taceantur? Hostes quoque optauerunt 4
25 capere quasdam urbes, ut seruarent, et uincere quosdam, ut ignoscerent, nec ideo non hostilia uota, in quibus, quod mitissimum est, post crudelitatem uenit. Denique qualia esse iudicas uota, 5
quae nemo tibi minus uolet quam is, pro quo fiunt, succedere? Pessime cum eo agis, cui uis a dis noceri, a te succurri, inique
30 cum ipsis dis; illis enim durissimas partes inponis, tibi humanas; ut tu prosis, di nocebunt. Si accusatorem submitteres, quem 6
deinde remoueres, si aliqua illum lite inplicares, quam subinde discuteres, nemo de tuo scelere dubitaret; quid interest, utrum istuc fraude temptetur an uoto, nisi quod potentiores illi aduer-
35 sarios quaeris? Non est, quod dicas: „Quam enim illi iniuriam 7

---

6 possim *unus* **D** *et Pinc.* possē **N** 7 tui **N**[1] tu **N** 10 opem indigeat **N**[1] *corr.* **N**[2] 11 *post* uis *rasura est in spatio 5 aut 6 litterarum* solui debito; nam *addidi, uid. Adn.* 17 quam rationem per malam (*scil.* uoluntatem) soluere *scripsi ex* **N**, *qui habet:* quā ratione perma|lam soluere; *ug.* quam per malam rationem soluere 20 tibi, iactura r. suarum et status *interpunxi;* tibi iactura r. s., et status *ug.* deuocari *ug.* deuocare **N** 27 post **N**[2] potest **N**[1] 31 accusaturē suūmitteres **N**[1] *corr.* **N**[2]

facio?"; uotum tuum aut superuacuum est aut iniuriosum, immo iniuriosum, etiam si inritum. Quidquid non efficis, dei munus est, iniuria uero, quidquid optas. *Ipsum, quod optas*, sat est; tibi non aliter debemus irasci, quam si profeceris.

XXVIII, 1 „Si uota" inquit „ualuissent, et in hoc ualuissent, ut tutus esset." Primum certum mihi optas periculum sub incerto auxilio. Deinde utrumque certum puta: quod nocet, prius est.
2 Praeterea tu condicionem uoti tui nosti, me tempestas occupabit portus ac praesidii dubium. Quantum tormentum existimas, etiam si accepero, eguisse? etiam si seruatus fuero, trepidasse? etiam si absolutus fuero, causam dixisse? Nullius metus tam gratus est
3 finis, ut non gratior sit solida et inconcussa securitas. Opta, ut reddere mihi beneficium possis, cum opus erit, non, ut opus sit. Si esset in tua potestate, quod optas, ipse fecisses.

XXIX, 1 Quanto hoc honestius uotum est: „Opto, in eo statu sit, quo semper beneficia distribuat, numquam desideret; sequatur illum materia, qua tam benigne utitur, largiendi iuuandique; numquam illi sit dandorum beneficiorum inopia, datorum paenitentia; naturam per se pronam ad misericordiam, humanitatem, clementiam inritet ac prouocet turba gratorum, quos illi et habere contingat nec experiri necesse sit; ipse nulli inplacabilis sit, ipsi nemo placandus; tam aequali in eum fortuna indulgentia perseueret, ut nemo in illum possit esse nisi conscientia gratus."
2 Quanto haec iustiora uota sunt, quae te in nullam occasionem differunt sed gratum statim faciunt! Quid enim prohibet referre gratiam prosperis rebus? quam multa sunt, per quae, quidquid debemus, reddere etiam felicibus possumus! fidele consilium, adsidua conuersatio, sermo comis et sine adulatione iucundus, aures, si deliberare uelit, diligentes, tutae, si credere, conuictus familiaritas. Neminem tam alte secunda posuerunt, ut non illi eo magis amicus desit, quia nihil absit.

XXX, 1 Ista tristis et omni uoto submouenda occasio ac procul repellenda; ut gratus esse possis, iratis dis opus est? Ne ex hoc quidem peccare te intellegis, quod melius cum eo agitur, cui ingratus es? Propone animo tuo carcerem, uincula, sordes, serui-

---

3 Ipsum quod optas *addidi cum He.* (*sed is tamen:* id ipsum quod optas) 4 profeceris N (*corr. m. pr. ex* proferis); feceris *ug.;* perfeceris *Fickert et He.* 8 occupabit *scripsi;* occupauit N 11 nullus N¹ *corr.* N² *ut uid.* 14 potate N *corr.* N¹ 16 numquã N¹ num N 17 materia, qua t. b. utitur, largiendi iuuandique; numquam N materia, qua t. b. utitur (*aut* utatur) largiendo iuuandoque, ut numquam *ug.* 21 ipsi nulli inplicabilis N *corr.* N¹ *ut uid.* 25 quid | Quid enim N *corr. ug.* 28 autres N *corr. Er.* 29 deliberare *unus* D *et edd. antiqq.* deliberari N

tutem, bellum, egestatem; haec sunt occasiones uoti tui; si quis
tecum contraxit, per ista dimittitur. Quin potius eum potentem 2
esse uis, cui plurimum debes, *et* beatum? quid enim, ut dixi,
uetat te referre etiam summa felicitate praeditis gratiam? cuius
5 plena tibi occurret et uaria materia. Quid? tu nescis debitum
etiam locupletibus solui? Nec te in multa distringam; omnia 3
sane excluserit opulenta felicitas, monstrabo tibi, cuius rei inopia
laborent magna fastigia, quid omnia possidentibus desit: scilicet
ille, qui uerum dicat et hominem inter mentientes stupentem
10 ipsaque consuetudine pro rectis blanda audiendi ad ignorantiam
ueri perductum uindicet a consensu concentuque falsorum. Non 4
uides, quemadmodum illos in praeceps agat extincta libertas et
fides in obsequium seruile submissa? Dum nemo ex animi sui 5
sententia suadet dissuadetque, sed adulandi certamen est et unum
15 amicorum omnium officium, una contentio, quis blandissime fal-
lat, ignorauere uires suas, et, dum se tam magnos, quam audiunt,
credunt, adtraxere superuacua et in discrimen rerum omnium
peruentura bella, utilem et necessariam rupere concordiam, se-
cuti iram, quam nemo reuocabat, multorum sanguinem hauserunt
20 fusuri nouissime suum; dum uindicant inexplorata pro certis 6
flectique non minus existimant turpe quam uinci et perpetua
credunt, quae in summum perducta maxime nutant, ingentia
super se ac suos regna fregerunt; nec intellexerunt in illa scena
uanis et cito diffluentibus bonis refulgente ex eo tempore ipsos
25 nihil non aduersi expectare debuisse, ex quo nihil ueri audire
potuerunt.

Cum bellum Graeciae indiceret Xerxes, animum tumen- XXXI,1
tem oblitumque, quam caducis confideret, nemo non inpulit. Alius
aiebat non laturos nuntium belli et ad primam aduentus famam
30 terga uersuros; alius nihil esse dubii, quin illa mole non uinci 2
solum Graecia sed obrui posset, magis uerendum, ne uacuas de-
sertasque urbes inuenirent, et profugis hostibus uastae solitudines
relinquerentur non habituris, ubi tantas uires exercere possent;
alius uix illi rerum naturam sufficere, angusta esse classibus 3
35 maria, militi castra, explicandis equestribus copiis campestria,
uix patere caelum satis ad emittenda omni manu tela. Cum in 4

---

1 haec **N** hae *unus* **D** *et nonn. edd.* 3 et beatum *ug.;* et *om.* **N**; *possis etiam:* beatumque 6 in multa distringam *Mg.* inuitã destringam **N** 10 ipsamque consuetudinẽ **N**[1] *corr.* **N**[2] 13 *sqq.* submissa? Dum.. fallat, ignorauere *interpunxi;* submissa, dum.. fallat? Ignorauere *ug.* 16 ignoraueres (*corr.* **N**[2]) uiresuas &dũ|dum se **N** *corr. ug.* 18 utile **N** *corr. ug.* 20 *sqq.* suum; dum.. nutant, ingentia.. fregerunt; nec *interpunxi;* suum, dum .. nutant. Ingentia.. fregerunt, nec *ug.* 31 posset **N**[2] possit **N**[1]

hunc modum multa undique iactarentur, quae hominem nimia aestimatione sui furentem concitarent, Demaratus Lacedaemonius solus dixit ipsam illam, qua sibi placeret, multitudinem indigestam et grauem metuendam esse ducenti; non enim uires habere sed pondus; inmodica numquam regi posse, nec diu durare, quidquid regi non potest. „In primo" inquit „statim monte Lacones obiecti dabunt sui experimentum. Tot ista gentium milia trecenti morabuntur; haerebunt in uestigio fixi et conmissas sibi angustias armis tuebuntur, corporibus obstruent; tota illos Asia non mouebit loco; tantas minas belli et paene totius generis humani inruentis inpetum paucissimi sistent. Cum te mutatis legibus suis natura transmiserit, in semita haerebis et aestimabis futura damna, cum conputaueris, quanti Thermopylarum angusta constiterint; scies te fugari posse, cum scieris posse retineri. Cedent quidem tibi pluribus locis uelut torrentis modo ablati, cuius cum magno terrore prima uis defluit; deinde hinc atque illinc coorientur et tuis te uiribus prement. Uerum est, quod dicitur, maiorem belli adparatum esse, quam qui recipi ab iis regionibus possit, quas oppugnare constituis, sed haec res contra nos est; ob hoc ipsum te Graecia uincet, quia non capit: uti toto te non potes. Praeterea, quae una rebus salus est, occurrere ad primos rerum inpetus et inclinatis opem ferre non poteris nec fulcire ac firmare labentia; multo ante uinceris, quam uictum esse te sentias. Ceterum non est, quod exercitum tuum ob hoc sustineri non putes posse, quia numerus eius duci quoque ignotus est; nihil tam magnum est, quod perire non possit, cui nascitur in perniciem, ut alia quiescant, ex ipsa magnitudine sua causa." Acciderunt, quae Demaratus praedixerat; diuina atque humana inpellentem et mutantem, quidquid obstiterat, trecenti stare iusserunt, stratusque passim per totam Graeciam Perses intellexit, quantum ab exercitu turba distaret. Itaque Xerxes pudore quam damno miserior Demarato gratias egit, quod solus sibi uerum dixisset, et permisit petere, quod uellet. Petiit ille, ut Sardis, maximam Asiae ciuitatem, curru uectus intraret rectam capite tiaram gerens; id

---

3 multitudine **N**[1] *corr.* **N**[2] 5 umquam **N**[1] *corr.* **N**[2] 6 Lacones obiecti *ug.* laconesubiecti **N**[1] lacones subiecti **N**[2] 11 inruentis *Mg.* ruentis **N** paucissimi sistent *Gr.* paucissimis stent **N**[1] paucissimis sustinent **N**[2] 16 prima uis **N**[2] primabis **N**[1] 17 quod **N**[2] quo **N**[1] 18 iis *scripsi;* his **N** 19 constituisti *malit Wsbg.* 20 toto te **N**[1] tote **N** 21 rebus **N**; nobis *malit Koch* 23 labentia **N** labantia *Mt.* 26 possit **N**[2] posset **N**[1] 27 Accederunt que dematus **N**[1] *corr.* **N**[2] 29 mutantem **N** iactantem *Hermes* obsisterat **N**[1] *corr.* **N**[2] 30 perses **N** Xerxes *ug.* 33 petiit **N**[2] petit **N**[1]

solis datum regibus. Dignus fuerat praemio, ante quam peteret; sed quam miserabilis gens, in qua nemo fuit, qui uerum diceret regi, nisi qui non dicebat sibi!

Diuus Augustus filiam ultra inpudicitiae maledictum in- XXXII, 1
5 pudicam relegauit et flagitia principalis domus in publicum emisit: admissos gregatim adulteros, pererratam nocturnis comissationibus ciuitatem, forum ipsum ac rostra, ex quibus pater legem de adulteriis tulerat, filiae in stupra placuisse, cotidianum ad Marsyan concursum, cum ex adultera in quaestuariam uersa ius om-
10 nis licentiae sub ignoto adultero peteret. Haec tam uindicanda 2
principi quam tacenda, quia quarundam rerum turpitudo etiam ad uindicantem redit, parum potens irae publicauerat. Deinde, cum interposito tempore in locum irae subisset uerecundia, gemens, quod non illa silentio pressisset, quae tam diu nescierat,
15 donec loqui turpe esset, saepe exclamauit: „Horum mihi nihil accidisset, si aut Agrippa aut Maecenas uixisset!“ Adeo tot habenti milia hominum duos reparare difficile est. Caesae sunt 3
legiones et protinus scriptae; fracta classis et intra paucos dies natauit noua; saeuitum est in opera publica ignibus, surrexerunt
20 meliora consumptis: tota uita Agrippae et Maecenatis uacauit locus. Quid putem? defuisse similes, qui adsumerentur, an ipsius uitium fuisse, quia maluit queri quam quaerere? Non est, quod 4
existimemus Agrippam et Maecenatem solitos illi uera dicere; qui si uixissent, inter dissimulantes fuissent. Regalis ingenii
25 mos est in praesentium contumeliam amissa laudare et iis uirtutem dare uera dicendi, a quibus iam audiendi periculum non est.

Sed, ut me ad propositum reducam, uides, quam fa- XXXIII, 1
cile sit gratiam referre felicibus et in summo humanarum opum positis. Dic illis, non quod uolunt audire, sed quod audisse sem-
30 per uolent; plenas aures adulationibus aliquando uera uox intret; da consilium utile. Quaeris, quid felici praestare possis? effice, 2
ne felicitati suae credat, ut sciat illam multis et fidis manibus continendam. Parum in illum contuleris, si illi stultam fiduciam permansurae semper potentiae excusseris docuerisque mobilia
5 esse, quae dedit casus, et maiore cursu fugere, quam ueniunt, nec iis portionibus, quibus ad summa peruentum est, retro iri, sed saepe inter maximam fortunam et ultimam nihil interesse?

---

6 comissationibus N¹ comesationibus N² 8 ad cottidianū ad marsiam N *corr. ug.* (*sed* Marsyam) 10 petere N¹ *corr.* N² 13 uerecundiam N¹ *corr.* N² 14 ressisset N¹ *corr.* N² 16 uixisset *ug.* uixissent N 18 facta classis & intra | & intra p. d. notauit noua N *corr. ug.* 22 quia N qui *ug.* queri *ug.* quaeri N, *quod fortasse retineri poterat* 25 iis *scripsi;* his N uirtutem N libertatem *Koch*

3 Nescis, quantum sit pretium amicitiae, si non intellegis multum te ei daturum, cui dederis amicum, rem non domibus tantum sed saeculis raram, quae non aliubi magis deest, quam ubi creditur 4 abundare. Quid? istos tu libros, quos uix nomenclatorum conplectitur aut memoria aut manus, amicorum existimas esse? non sunt isti amici, qui agmine magno ianuam pulsant, qui in primas et secundas admissiones digeruntur.

XXXIV, 1 Consuetudo ista uetus est regibus regesque simulantibus, populum amicorum discribere, et proprium superbiae magno aestimare introitum ac tactum sui liminis et pro honore dare, ut ostio suo propius adsideas, ut gradum prior intra domum ponas, in qua deinceps multa sunt ostia, quae receptos quoque exclu- 2 dant. Apud nos primi omnium *C.* Gracchus et mox Liuius Drusus instituerunt segregare turbam suam et alios in secretum recipere, alios cum pluribus, alios uniuersos. Habuerunt itaque isti ami- 3 cos primos, habuerunt secundos, numquam ueros. Amicum uocas, cuius disponitur salutatio? aut potest huius tibi fides patere, qui per fores maligne apertas non intrat sed inlabitur? huic peruenire usque ad libertatem destringendam licet, cuius uulgare et publicum uerbum et promiscuum ignotis „Haue!“ non nisi 4 suo ordine emittitur? Ad quemcumque itaque istorum ueneris, quorum salutatio urbem concutit, scito, etiam si animaduerteris obsessos ingenti frequentia uicos et conmeantium in utramque partem cateruis itinera conpressa, tamen uenire te in locum ho- 5 minibus plenum, amicis uacuum. In pectore amicus, non in atrio quaeritur; illo recipiendus, illic retinendus est et in sensus recondendus. Hoc doce: gratus es.

XXXV, 1 Male de te existimas, si inutilis es nisi adflicto, si rebus bonis superuacuus es. Quemadmodum te et in dubiis et in aduersis et in laetis sapienter geris, ut dubia prudenter tractes, aduersa fortiter, laeta moderate, ita in omnia utilem te exhibere amico potes. Aduersa eius nec deserueris nec optaueris; multa nihilo minus, ut non optes, in tanta uarietate, quae tibi materiam 2 exercendae fidei praebeant, incident. Quemadmodum, qui optat diuitias alicui in hoc, ut illarum ipse partem ferat, quamuis pro illo uideatur optare, sibi prospicit, sic, qui optat amico aliquam

---

3 creditu | ra abundare **N**[1] *corr.* **N**[2] 6 qui in **N**[2] quia in **N**[1] 8 reges qui **N**[1] *corr.* **N**[2] 9 discribere, et proprium *scripsi;* describere et proprium **N**[1] describere; est proprium **N**[2] *ut ug.* 11 hostio suo proprius **N**[1] *corr.* **N**[2] 13 C. *add. Mt.* 16 uiros **N** *corr.* **N**[1] *aut* **N**[2] 20 ignotis *Er.* ignotus **N** Haue *Fickert* (Aue *Er.*) habe **N** 25 amicos, non **N**[1] *corr.* **N**[2] 26 recipiendos **N**[1] *corr.* **N**[2] 29 superuacuus es *He. ex uno* **D** superuacuum est **N** superuacuus (*sine* es) *ug.*

necessitatem, quam adiutorio suo fideque discutiat, quod est ingrati, se illi praefert et tanti existimat illum miserum esse, ut ipse gratus sit, ob hoc ipsum ingratus; exonerare enim se uult et graui sarcina liberare. Multum interest, utrum properes re- 3
5 ferre gratiam, ut reddas beneficium, an ne debeas. Qui reddere uult, illius se commodo aptabit et idoneum illi uenire tempus uolet; qui nihil aliud quam ipse liberari uult, quomodocumque ad hoc cupiet peruenire, quod est pessimae uoluntatis. „Ista“ 4
inquit „festinatio nimium grati est!“ Id apertius exprimere non
10 possum, quam si repetiuero, quod dixi: Non uis reddere acceptum beneficium sed effugere. Hoc dicere uideris: „Quando isto carebo? quocumque modo mihi laborandum est, ne isti obligatus sim.“ Si optares, ut illi de suo solueres, multum abesse uidereris a grato; hoc, quod optas, iniquius est: exsecraris enim illum
15 et caput sanctum tibi dira precatione defigis. Nemo, ut existimo, 5
de immanitate animi tui dubitaret, si aperte illi paupertatem, si captiuitatem, si famem ac metum inprecareris; atqui quid interest, utrum uox ista sit uoti tui an uis? aliquid enim horum optas. I nunc et hoc esse grati puta, quod ne ingratus quidem faceret,
20 qui modo non usque in odium sed tantum ad infitiationem beneficii perueniret!

Quis pium dicet Aenean, si patriam capi uoluerit, ut XXXVI,1
captiuitati patrem eripiat? Quis Siculos iuuenes ut bona liberis exempla monstrabit, si optauerint, ut Aetna inmensam ignium
25 uim super solitum ardens et incensa praecipitet datura ipsis occasionem exhibendae pietatis ex medio parentibus incendio raptis? Nihil debet Scipioni Roma, si Punicum bellum, ut finiret, 2
aluit; nihil Deciis, quod morte patriam seruauerunt, si prius optauerant, ut deuotioni fortissimae locum ultima rerum neces-
30 sitas faceret. Grauissima infamia est medici opus quaerere; multi, quos auxerant morbos et inritauerant, ut gloria maiore sanarent,

---

2 existimat **N** aestimat *ug.* 5 an ne debeas **N**[1] an ne ut debeas **N**[2] 6 aptabit *ug.* aptauit **N** 9 festinatio nimium grati est *Mg.* festinatio uimiam (nimia **N**[2]) ingrati est **N**[1]; *uid. Adn.* 13 solueris **N** *corr. ug.* 14 illum *ug.* illud **N** 15 scm **N** (*i. e.* sanctum) tibi *add. pr. m.* precatione **N** (c *corr. ex* g) inprecatione *ug.* (*ex* **D**?) defigis *ug.* dificis **N** 16 animi *bis script.* **N**[1] *corr.* **N**[2] *ut uid.* 17 atqui quid *scripsi;* aliquid quid **N**[1], *sed* quid *del.* **N**[2]; at quid *alii edd.* 18 tui an uis? aliquid e. h. optas. I nunc *Rubenius* (I nunc *iam Er.*); tuis an uis aliquid e. h. opta. si in nunc **N** 20 infinitiationem **N**[1] *corr.* **N**[2] 22 pium **N**[1] piam **N**[2] 23 captiuati **N**[1] *corr.* **N**[2] 24 monstrabit *Gt.* monstrauit **N** 25 praecipitet datura ipsis *Gr. ex uet. cod. Erasmi;* precepit & daturi ipsi **N** 28 aluit *Gr.* aliud **N** 29 optauerant **N** optauerunt *ed. Bip. 1 et unus* **D**, *fort. rectius* 31 inritauerant *Curio et nonn.* **D** intrauerant **N** incitauerant *Gr. ex uno* **D**

non potuerunt discutere aut cum magna miserorum uexatione uicerunt.

XXXVII, 1 Callistratum aiunt (ita certe Hecaton auctor est), cum in exilium iret, in quod multos cum illo simul seditiosa ciuitas et intemperanter libera expulerat, optante quodam, ut Atheniensibus necessitas restituendi exules esset, abominatum talem reditum.
2 Rutilius noster animosius, cum quidam illum consolaretur *et* diceret instare arma ciuilia, breui futurum, ut omnes exules reuerterentur: „Quid tibi“ inquit „mali feci, ut mihi peiorem reditum quam exitum optares? Ut malo, patria exilio meo erubescat, quam reditu maereat!“ Non est istud exilium, cuius neminem
3 non magis quam damnatum pudet. Quemadmodum illi seruauerunt bonorum ciuium officium, qui reddi sibi penates suos noluerunt clade communi, quia satius erat duos iniquo malo adfici quam omnes publico, ita non seruat grati hominis adfectum, qui bene de se merentem *distringi* difficultatibus uult, quas ipse submoueat, quia, etiam si bene cogitat, male precatur. Ne in patrocinium quidem, nedum in gloriam *cedet* incendium extinxisse, quod feceris.

XXXVIII, 1 In quibusdam ciuitatibus inpium uotum sceleris uicem tenuit. Demades certe Athenis eum, qui necessaria funeribus uenditabat, damnauit, cum probasset magnum lucrum optasse, quod contingere illi sine multorum morte non poterat. Quaeri tamen solet, an merito damnatus sit. Fortasse optauit, non ut multis uenderet, sed ut care, ut paruo sibi constarent, quae uenditurus
2 esset. Cum constet negotiatio eius ex empto et uendito, quare uotum eius in unam partem trahis, cum lucrum ex utraque sit? Praeterea omnes licet, qui in ista negotiatione sunt, damnes; omnes enim idem uolunt, id est, intra se optant. Magnam *praeterea* partem hominum damnabis; cui enim non ex alieno incom-
3 modo lucrum? Miles bellum optat, si gloriam; agricolam annonae caritas erigit; eloquentiae pretium † exceptat litium numerus; medicis grauis annus in quaestu est; institores delicatarum mercium iuuentus conrupta locupletat; nulla tempestate tecta, nullo igne laedantur: iacebit opera fabrilis. Unius uotum deprensum

3 autor N 5 expulera N¹ *corr.* N² 9 paiorem N¹ *corr.* N² 10 ut malo N¹ malo ut N² 11 reditum haereat N¹ reditu mereat N²; reditum horreat *Er.* 14 quia N² qua N¹ 16 distringi *addidi; in* D *et edd.* opprimi *uel* adfici *add.* 17 quia N qui *ug.* 18 in gloriam cedet *scripsi;* in gloriam quidem N; in g. est *ug.* 23 morte non poterat N² mortem non peterat (*corr. ex* peteat) N¹ 26 ex epto N¹ *corr.* N² 29 praeterea (*uel* porro) *addidi* 32 exceptat N *praue;* disceptat *Mg.*; exaltat *Bentley;* excitat *Wsbg.* 33 quaestu N, *sed fuit* quaestus (*non* quaestum) 35 laetantur N¹ *corr.* N²

est, omnium simile est. An tu Arruntium et Haterium et ceteros, 4
qui captandorum testamentorum artem professi sunt, non putas
eadem habere quae dissignatores et libitinarios uota? illi tamen,
quorum mortes optent, nesciunt, hi familiarissimum quemque,
5 ex quo propter amicitiam spei plurimum est, mori cupiunt; illo-
rum damno nemo uiuit, hos, quisquis differt, exhaurit; optant
ergo non tantum, ut accipiant, quod turpi seruitute meruerunt,
sed etiam, ut tributo graui liberentur. Non est itaque dubium, 5
quin hi magis, quod damnatum est in illo, optent, quibus, quis-
10 quis morte profuturus est, uita nocet; omnium tamen istorum
tam nota sunt uota quam inpunita. Denique se quisque consulat
et in secretum pectoris sui redeat et inspiciat, quid tacitus opta-
uerit: quam multa sunt uota, quae etiam sibi fateri pudeat! quam
pauca, quae facere coram teste possimus!

15 Sed non, quidquid reprehendendum, etiam damnandum XXXIX, 1
est, sicut hoc uotum amici, quod in manibus est, male utentis
bona uoluntate et in id uitium incidentis, quod deuitat; nam dum
gratum animum festinat ostendere, ingratus est. Hoc ait: „In 2
potestatem meam reccidat, gratiam meam desideret, sine me sal-
20 uus, honestus, tutus esse non possit, tam miser sit, ut illi bene-
ficii loco sit, quidquid redditur.“ Haec dis audientibus: „Cir-
cumueniant illum domesticae insidiae, quas ego possim solus
opprimere, instet potens inimicus et grauis, infesta turba nec
inermis, creditor urgueat, accusator.“

25 Uide, quam sis aequus: horum optares nihil, si tibi bene- XL, 1
ficium non dedisset. Ut alia taceam, quae grauiora conmittis
pessima pro optimis referendo, hoc certe delinquis, quod non
expectas suum cuiusque rei tempus, quod aeque peccat qui non
sequitur, quam qui antecedit. Quomodo beneficium non semper
30 recipiendum est, sic non utique reddendum. Si mihi non desi- 2
deranti redderes, ingratus esses; quanto ingratior es, qui deside-
rare me cogis! Expecta! quare subsidere apud te munus meum
non uis? quare *te* obligatum moleste fers? quare quasi cum
acerbo feneratore signare rationem parem properas? quid mihi
35 negotium quaeris? quid in me deos inmittis? quomodo exigeres,
qui sic reddis?

---

3 dissignatores **N** designatores *ug.* 5 spei *Mt.* rei **N** 9 hi **N**[1] hii **N**[2] illo *scripsi;* uno **N** 12 pectori sui **N**[1] *corr.* **N**[2] 13 pudeat *Wsbg.* pudet **N** 17 deuitat *Siesbye;* euitat **N** 18 Hoc ait: „In *interpunxi* (*et sic fere Gr.* (*ed. 1672 p. 700*): Hoc ait, in *uel* Hoc ait: in); „Hoc“, ait, „in *Fickert et He.;* Hic, ait, in *mult. edd.* 24 urgueat, accusator **N**[2] urgu& accusator **N**[1] urgeat et accusator *ug.* 25 si tibi **N**[2] sit tibi **N**[1] 32 subdesidere **N** *corr.* **N**[1] *ut uid.* 33 te *hic addidi; post* moleste *add. Gt.* 35 quomo **N**[1] *corr.* **N**[2]

XLI, 1 Ante omnia ergo, Liberalis, hoc discamus, beneficia debere secure et occasiones reddendorum obseruare, non manu facere. Hanc ipsam cupiditatem primo quoque tempore liberandi se meminerimus ingrati esse; nemo enim libenter reddit, quod inuitus debet, et, quod apud se esse non uult, onus iudicat esse, non 5
2 munus. Quanto melius ac iustius in promptu habere merita amicorum et offerre, non ingerere, nec obaeratum se iudicare! quoniam beneficium commune uinculum est et inter se duos adligat. Dic: „Nihil moror, quo minus *munus* tuum reuertatur; opto, hilaris accipias. Si necessitas alterutri nostrum inminet, fatoque 10 quodam datum est, ut aut tu cogaris beneficium recipere aut ego *alterum* accipere, det potius, qui solet. Ego paratus sum,

„nulla mora in Turno est“;

ostendam hunc animum, cum primum tempus aduenerit; interim di testes sint.“ 15

XLII, 1 Soleo, mi Liberalis, notare hunc in te adfectum et quasi manu prendere uerentis et aestuantis, ne in ullo officio sis tardior. Non decet gratum animum sollicitudo, contra summa fiducia sui et ex conscientia ueri amoris dimissa omnis anxietas. Tam conuicium est: ‚Recipe‘ quam: ‚Debes‘. Hoc primum beneficii 20
2 dati sit ius, ut recipiendi tempus eligat, qui dedit. „At uereor, ne homines de me sequius loquantur.“ Male agit, qui famae, non conscientiae, gratus est. Duos istius rei iudices habes, illum, *quem non debes timere*, *et te*, quem non potes. „Quid ergo? si nulla interuenerit occasio, semper debebo?“ Debebis; sed palam de- 25 bebis, sed libenter debebis, sed cum magna uoluptate apud te depositum intueberis. Paenitet accepti beneficii, quem nondum redditi piget; quare, qui tibi dignus uisus est, a quo acciperes, indignus uideatur, cui diu debeas?

XLIII, 1 In magnis erroribus sunt, qui ingentis animi credunt 5 proferre, donare, plurium sinum ac domum inplere, cum ista interdum non magnus animus faciat sed magna fortuna; nesciunt, quanto interim maius ac difficilius sit capere quam fundere. Nam,

---

3 cupitatem **N**[1] *corr.* **N**[2] memineremus **N** *corr. ug.* 7 abaeratum **N**[1] *corr.* **N**[2] 9 munus *add. Gt.* 12 alterum *addidi* 15 sint *scripsi;* sunt **N** sunto *Gt.* 16 mi *ug.* mihi **N** in te *ug.* ad te **N**; apud te *unus* **D**, *fort. uerius* 19 dimissa *ug.* demissa **N** anexietas **N** Tam conuicium est: ‚Recipe‘ quam: ‚Debes‘. *Hpt.;* tam conuitium est recipe quod debes **N**[1] (conuicium **N**[2]); Tam c. est: „Recipe, quod debeo“ quam „Redde, quod debes“ *Wsbg. praeeunte Haasio, fort. uerius* 23 iud (*i. e.* iudices) **N** quem non debes timere, et te *addidi; uid. Adn.* 24—25 Quid ergo? si . . occasio, semper debebo? *distinxi cum H. Stephano;* Quid ergo, si . . occasio? semper debebo? *ug.*

ut nihil alteri detraham, quoniam utrumque, ubi uirtute fit, par est, non minoris est animi beneficium debere quam dare; eo quidem operosius hoc quam illud, quo maiore diligentia custodiuntur accepta quam dantur. Itaque non est trepidandum, quam cito 2
5 reponamus, nec procurrendum intempestiue, quia aeque delinquit, qui ad referendam gratiam suo tempore cessat, quam qui alieno properat. Positum est illi apud me; nec illius nomine nec meo timeo. Bene illi cautum est; non potest hoc beneficium perdere nisi mecum, immo ne mecum quidem: egi illi gratias,
10 id est, rettuli. Qui nimis de reddendo beneficio cogitat, nimis 3
cogitare alterum de recipiendo putat. Praestes te in utrumque facilem: si uult recipere beneficium, referamus reddamusque laeti; *si* illud apud nos custodiri mauult, quid thesaurum eius eruimus? quid custodiam recusamus? dignus est, quoi, utrum
15 uolet, liceat. Opinionem quidem et famam eo loco habeamus, tamquam non ducere sed sequi debeat.

---

4 quam dantur N^2 quantur N^1 10 qui nimis N^2 quimis N^1 11 Praestes te *scripsi;* prest& se N praestat esse *Er.* 13 si *add. L.* (*ed. 4*) *et duo* D thensaurum N 14 quid custod. *ug.* qui custod. N quoi N^1 cui N^2

LIB: ANNEI: SENECaE: AD AEBU | TIUM: LIBERALEM: DE BENE | FICIIS. LIB: VI: EXP..... | INCP: LIBER. VII: FELICITER:::

L. ANNAEI SENECAE

AD

AEBUTIUM LIBERALEM

DE BENEFICIIS

LIBER VII.

I, 1 Bonum, mi Liberalis, habeas animum uolo:
in manibus terrae; non hic te carmine longo
atque per ambages et longa exorsa tenebo.

Reliqua hic liber cogit, et exhausta materia circumspicio, non quid dicam, sed quid non dixerim; boni tamen consules, quid- 5
2 quid ibi superest, cum tibi superfuerit. Si uoluissem lenocinari mihi, debuit paulatim opus crescere et ea pars in finem reseruari, quam quilibet etiam satiatus adpeteret. Sed quidquid maxime necessarium erat, in primum congessi; nunc, si quid effugit, reconligo. Nec mehercules, si me interroges, nimis ad rem existimo 10 pertinere, ubi dicta sunt, quae regunt mores, persequi cetera non in remedium animi sed in exercitationem ingenii inuenta.
3 Egregie enim hoc dicere Demetrius Cynicus, uir meo iudicio magnus, etiam si maximis conparetur, solet, plus prodesse, si pauca praecepta sapientiae teneas, sed illa in promptu tibi et in 15 usu sint, quam si multa quidem didiceris sed illa non habeas ad
4 manum. „Quemadmodum“ inquit „magnus luctator est, non qui omnes numeros nexusque perdidicit, quorum usus sub aduersario rarus est, sed qui in uno se aut altero bene ac diligenter exercuit et eorum occasiones intentus expectat (neque enim refert, 20 quam multa sciat, si scit, quantum uictoriae satis est), sic in hoc

---

1 mi *ug.* mihi **N** 2 longo **N** ficto *codd. Uerg.* (*Georg. II, 45*) 6 ibi *He.* tibi **N**; *om. ug.* 11 persequi *ug.* prosequi **N** 16 usum **N**¹ *corr.* **N**² 21 sic **N**² si **N**¹

studio multa delectant, pauca uincunt. Licet nescias, quae ratio 5
oceanum effundat ac reuocet, quare septimus quisque annus
aetati signum inprimat, quare latitudo porticus ex remoto spec-
tantibus non seruet portionem suam, sed ultima in angustius
5 coeant, et columnarum nouissime interualla iungantur, quid sit,
quod geminorum conceptum separet, partum iungat, utrum unus
concubitus spargatur in duos an totiens concepti sint, cur pari-
ter natis fata diuersa sint, maximisque rerum spatiis distent,
quorum inter ortus minimum interest: non multum tibi nocebit
10 transisse, quae nec licet scire nec prodest. Inuoluta ueritas in-
ulta latet. Nec de malignitate naturae queri possumus, quia nul- 6
lius rei difficilis inuentio est, nisi cuius hic unus inuentae fructus
est, inuenisse; quidquid nos meliores beatosque facturum est,
aut in aperto aut in proximo posuit. Si animus fortuita contemp- 7
15 sit, si se supra metus sustulit nec auida spe infinita conplectitur
sed didicit a se petere diuitias; si deorum hominumque formi-
dinem eiecit et scit non multum esse ab homine timendum, a deo
nihil; si contemptor omnium, quibus torquetur uita, dum orna-
tur, eo perductus est, ut illi liqueat mortem nullius mali materiam
20 esse, multorum finem; si animum uirtuti consecrauit et, qua-
cumque uocat illa, planum putat; si sociale animal et in com-
mune genitus mundum ut unam omnium domum spectat et con-
scientiam suam dis aperuit semperque tamquam in publico uiuit
se magis ueritus quam alios: subductus ille tempestatibus in so-
25 lido ac sereno stetit consummauitque scientiam utilem ac neces-
sariam. Reliqua oblectamenta otii sunt; licet enim iam in tutum
redacto animo ad haec quoque excurrere cultum, non robur, in-
geniis adferentia."

Haec Demetrius noster utraque manu tenere proficientem II, 1
30 iubet, haec nusquam dimittere, immo adfigere et partem sui fa-
cere, eoque cotidiana meditatione perduci, ut sua sponte occur-
rant salutaria et ubique ac statim desiderata praesto sint, et sine
mora ulla ueniat illa turpis honestique distinctio. Sciat nec 2

---

4 portionem N proportionem *ug.* 6 conceptum iungat, partum separet *malit Wsbg.* 7 concubitus N conceptus *Wsbg.* concepti sint *ug.* concepiss& N 8 fat aduersa N¹ *corr.* N² 9 interest: non *distinxi;* interest. Non *ug.* 10 inulta *scripsi;* in alto N *uid. Adn.* 11 quaeri N *corr. ug.* 12 diffilis N¹ *corr.* N² 13 facturum est N; *malim* esset 14 contepsit N¹ *corr.* N² 15 m&us N metum *ug.* 18 torquitur N¹ *corr.* N² 26 ostii N¹ *corr.* N² 27 redacto *scripsi;* retacto N¹ retracto N² *ut ug.* 29 tenere *ug.* teneri N 30 nusquam N numquam *unus* D demittere N¹ *corr.* N² adfigere *ug.* adficere N 31 eoquo N *corr.* N¹ meditaone N¹ *corr.* N²

malum esse ullum nisi turpe nec bonum nisi honestum; hac regula uitae opera distribuat; ad hanc legem et agat cuncta et exigat miserrimosque mortalium iudicet, in quantiscumque opibus refulgebunt, uentri ac libidini deditos, quorumque animus inerti otio torpet. Dicat sibi ipse: „Uoluptas fragilis est, breuis, fastidio obiecta, quo auidius hausta est, citius in contrarium reccidens, cuius subinde necesse est aut paeniteat aut pudeat, in qua nihil est magnificum aut quod naturam hominis dis proximi deceat, res humilis, membrorum turpium aut uilium ministerio ueniens,
3 exitu foeda. Illa est uoluptas et homine et uiro digna, non inplere corpus nec saginare nec cupiditates inritare, quarum tutissima est quies, sed perturbatione carere et ea, quam hominum inter se rixantium ambitus concitat, et ea, quae intolerabilis ex alto uenit, ubi de dis famae creditum est uitiisque illos nostris
4 aestimauimus." Hanc uoluptatem aequalem, intrepidam, numquam sensuram sui taedium percipit hic, quem deformamus cum maxime, ut ita dicam, diuini iuris atque humani peritus. Hic praesentibus gaudet, ex futuro non pendet; nihil enim firmi habet, qui *in* incerta propensus est. Magnis itaque curis exemptus et distorquentibus mentem est: nihil sperat aut cupit nec se mittit
5 in dubium suo contentus. Et, ne illum existimes paruo esse contentum, omnia illius sunt, non sic, quemadmodum Alexandri fuerunt, cui, quamquam in litore rubri maris steterat, plus deerat, quam qua uenerat. Illius ne ea quidem erant, quae tenebat aut uicerat, cum in oceano Onesicritus praemissus explorator
6 erraret et bella in ignoto mari quaereret. Non satis adparebat inopem esse, qui extra naturae terminos arma proferret, qui se in profundum inexploratum et inmensum auiditate caeca prorsus inmitteret? Quid interest, quot eripuerit regna, quot dederit, quantum terrarum tributo premat? tantum illi deest, quantum cupit.

III,1 Nec hoc Alexandri tantum uitium fuit, quem per Liberi Herculisque uestigia felix temeritas egit, sed omnium, quos fortuna inritauit inplendo. Cyrum et Cambysen et totum regni Persici stemma percense: quem inuenies, cui modum imperii satietas

---

1 esse ullum esse **N** *corr. ug.* 9 res *add.* **N**[1] bilium ministeriū **N**[1] *corr.* **N**[2] 13 concitat *Gt.* concutit **N**; qua h. i. s. r. animos amb. concutit *Wsbg.* 16 deformamus cum maxime *Pinc.* deformamus quē maxime **N** deformamus, quam maxime *He. ex nonn.* **D** 19 in *add.* **N**[2] 20 mentem est: nihil *scripsi;* mentē | & nihil **N** mentem nihil *ug.* 21 Et, ne illum *Wsbg.* Ne & illum **N** 28 auiditate *bis script.* **N**[1] *corr.* **N**[2] *ut uid.* prosus **N**[1] *corr.* **N**[2] 29 quod (*utroque loco*) **N**[1] *corr.* **N**[2] 34 psicis **N**[1] *corr.* **N**[2]

fecerit, qui non uitam in aliqua ulterius procedendi cogitatione finierit? Nec id mirum est: quidquid cupiditati contigit, penitus hauritur et conditur, nec interest, quantum eo, quod inexplebile est, congeras. Unus est sapiens, cuius omnia sunt, nec ex diffi- 2
5 cili tuenda; non habet mittendos trans maria legatos nec metanda in ripis hostilibus castra, non *in* opportunis castellis disponenda praesidia; non opus est legione nec equestribus turmis. Quemadmodum di inmortales regnum inermes regunt, et illis rerum suarum ex edito tranquilloque tutela est, ita hic officia sua, quam-
10 uis latissime pateant, sine tumultu obit et omne humanum genus potentissimus eius optimusque infra se uidet. Derideas licet: 3
ingentis spiritus res est, cum Orientem Occidentemque lustraueris animo, quo etiam remota et solitudinibus interclusa penetrantur, cum tot animalia, tantam copiam rerum, quas natura
15 beatissime fundit, adspexeris, emittere hanc dei uocem: „Haec omnia mea sunt!“ Sic fit, ut nihil cupiat, quia nihil est extra omnia.

„Hoc ipsum“ inquis „uolui! teneo te! uolo uidere, quomodo IV,1
ex his laqueis, in quos tua sponte decidisti, expliceris. Dic mihi:
20 quemadmodum potest aliquis donare sapienti, si omnia sapientis sunt? nam id quoque, quod illi donat, ipsius est. Itaque non potest beneficium dari sapienti, cui, quidquid datur, de suo datur; atqui dicitis sapienti posse donari. Idem autem me scito et de amicis interrogare: omnia dicitis illis esse communia; ergo nemo
25 quidquam donare amico potest; donat enim illi communia.“ Nihil 2
prohibet aliquid et sapientis esse et tamen eius, qui possidet, cui datum et adsignatum est. Iure ciuili omnia regis sunt, et tamen illa, quorum ad regem pertinet uniuersa possessio, in singulos dominos discripta sunt, et unaquaeque res habet possessorem
30 suum; itaque dare regi et domum et mancipium et pecuniam possumus nec donare illi de suo dicimur; ad regem enim potestas omnium pertinet, ad singulos proprietates. Fines Atheniensium 3
aut Campanorum uocamus, quos deinde inter se uicini priuata terminatione distinguunt; et totus ager † aut ullius rei publicae
35 est, pars deinde suo domino quaeque censetur; ideoque donare

---

2 contigit *ug.* contingit **N** 3 eo **N** ei *Koch; uid. Adn.* 5 metanda *ug.* metenda **N** 6 in *add. Wsbg.* 12 spr̄ (*pro* spus) **N**; *fort.* res *delendum* 15 dei *ug.* diei **N** 20 sapienti sunt **N**¹ *corr.* **N**² 21 donatur *malit Wsbg.* 26 et tamen *scripsi;* etiam **N**; et *uel* et etiam *ug.* 27 *Uerba* et tamen illa . . descripta sunt *bis habet* **N**¹ *corr.* **N**² *ut uid.* 29 dominos **N**² dn̄s **N**¹ discripta *scripsi;* descripta **N** 31 regem *scripsi ex nonn.* **D**; reges **N** 32 proprietates **N** proprietas *ug.* 34 aut ullius **N** *corrupte;* illius (*uel* huius) aut illius *edd. suppl. partim ex nonn.* **D**; *uid. Adn.*

agros nostros rei publicae possumus, quamuis illius esse dican-
4 tur, quia aliter illius sunt, aliter mei. Numquid dubium est, quin
seruus cum peculio domini sit? dat tamen domino suo munus.
Non enim ideo nihil habet seruus, quia non est habiturus, si
dominus illum habere noluerit; nec ideo non est munus, cum 5
5 uolens dedit, quia potuit eripi, etiam si noluisset. Quemadmodum
probemus omnia sapientis esse, *uidebimus*, nunc enim inter duos
conuenit; illud, quod quaeritur, conligendum est, quomodo libe-
ralitatis materia aduersus eum supersit, cuius uniuersa esse con-
6 cessimus. Omnia patris sunt, quae in liberorum manu sunt; quis 10
tamen nescit donare aliquid et filium patri? Omnia deorum sunt;
tamen et dis donum posuimus et stipem iecimus. Non ideo, quod
habeo, meum non est, si [meum] tuum est; potest enim idem
meum esse et tuum.

7 „Is" inquit, „cuius prostitutae sunt, leno est; omnia autem 15
sapientis sunt; inter omnia et prostitutae sunt; ergo prostitutae
sapientis sunt. Leno autem est, cuius prostitutae sunt; ergo
8 sapiens leno est." Sic illum uetant emere, dicunt enim: „Nemo
rem suam emit; omnia autem sapientis sunt; ergo sapiens nihil
emit." Sic uetant mutuum sumere, quia nemo usuram pro pe- 20
cunia sua pendat. Innumerabilia sunt, per quae cauillantur,
V, 1 cum pulcherrime, quid a nobis dicatur, intellegant. Etenim sic
omnia sapientis esse dico, ut nihilo minus proprium quisque in
rebus suis dominium habeat, quemadmodum sub optimo rege
omnia rex imperio possidet, singuli dominio. Tempus istius pro- 25
bandae rei ueniet; interim hoc huic quaestioni sat est, me id,
quod aliter sapientis est, aliter meum est, posse donare sapienti.
2 Nec mirum est aliquid ei, cuius est totum, posse donari. Conduxi
domum a te; in hac aliquid tuum est, aliquid meum: res tua est,
usus rei tuae meus est. Itaque nec fructus tanges colono tuo 30
prohibente, quamuis in tua possessione nascantur, et, si annona
carior fuerit aut fames,

heu! frustra magnum alterius spectabis aceruum

3 in tuo natum, in tuo positum, in horrea iturum tua. Nec con-
ductum meum, quamquam sis dominus, intrabis nec seruum tuum, 35

---

4 ideo *ug.* adeo **N** 5 cum uolens **N**; *malim* quod uolens 7 probemus omnia sapientis esse, uidebimus, nunc enim inter *Mg.* probemus omnia nunc enim omnia sapientis esse inter **N** 8 queritur **N** *corr. ug.* 12 & dis & donum **N**; *alterum & del.* **N**[1] *et* **N**[2] 13 meum *uncis incl. Mt.* 20 sicu &ant. mutuum **N**[1] sic u&ant & mutuum **N**[2] 22 dicatur, intellegant. Etenim sic omnia *Vogel ex duob.* D; dicantur. Intellegant' enĩ | sic omnia **N** 28 donari *ug.* donare **N** 33 frustra magnum alterius **N** magnum alterius frustra *codd. Uerg.* (*Georg. I, 158*) 34 possitũ **N** *corr. ug.*

mercennarium meum, abduces et, cum a te raedam conduxero, beneficium accipies, si tibi in uehiculo tuo sedere permisero. Uides ergo posse fieri, ut aliquis accipiendo, quod suum est, munus accipiat.

5 In omnibus istis, quae modo rettuli, uterque eiusdem rei VI,1
dominus est. Quo modo? quia alter rei dominus est, alter usus. Libros dicimus esse Ciceronis; eosdem Dorus librarius suos uocat, et utrumque uerum est: alter illos tamquam auctor sibi, alter tamquam emptor adserit; ita recte utriusque dicuntur esse,
10 utriusque enim sunt, sed non eodem modo. Sic potest Titus Liuius a Doro accipere aut emere libros suos. Possum donare 2
sapienti, quod uiritim meum est, licet illius sint omnia; nam cum regio more cuncta conscientia possideat, singularum autem rerum in unumquemque proprietas sit sparsa, et accipere munus
15 et debere, et emere et conducere potest. Caesar omnia habet, fi- 3
scus eius priuata tantum ac sua; et uniuersa in imperio eius sunt, in patrimonio propria. Quid eius sit, quid non sit, sine deminutione imperii quaeritur; nam id quoque, quod tamquam alienum abiudicatur, aliter illius est. Sic sapiens animo uniuersa
20 possidet, iure ac dominio sua.

Bion modo omnes sacrilegos esse argumentis conligit, modo VII,1
neminem. Cum omnes de saxo deiecturus est, dicit: „Quisquis id, quod deorum est, sustulit et consumpsit atque in usum suum uertit, sacrilegus est; omnia autem deorum sunt; quod quisque
25 ergo tollit, deorum tollit, quorum omnia sunt; ergo, quisquis tollit aliquid, sacrilegus est.“ Deinde, cum effringi templa et ex- 2
pilari inpune Capitolium iubet, dicit nullum sacrilegum esse, quia, quidquid sublatum est, ex eo loco, qui deorum erat, in eum transfertur locum, qui deorum est. Hic respondetur omnia qui- 3
30 dem deorum esse sed non omnia dis dedicata; in iis obseruari sacrilegium, quae religio numini adscripsit. Sic et totum mundum deorum esse inmortalium templum, solum quidem amplitudine illorum ac magnificentia dignum, *et* tamen a sacris profana discerni; non omnia licere in angulo, cui fani nomen inpositum
35 est, quae sub caelo et conspectu siderum licent. Iniuriam sacrilegus deo quidem non potest facere, quem extra ictum sua diuinitas posuit, sed punitur, quia tamquam deo fecit: opinio illum

---

5 rettulit N¹ *corr.* N² 7 cironis N¹ *corr.* N² 9 adserit; ita recte *scripsi;* adserit ad (N² at) recte N¹ adserit: at (*uel* ac) recte *ug.* 10 titus libius N 17 deminutione *scripsi;* diminutione N 26 effringi N² fringi N¹ 27 dic& N¹ *corr.* N² sacrilegum N sacrilegium *ug.* 29 Hic N; *malim* his *aut* huic 33 et tamen *ug.* et *om.* N 34 discerni; non N¹ discerni & non N²

4 nostra ac sua obligat poenae. Quomodo ergo sacrilegus uidetur, qui aliquid aufert sacri, etiam si, quocumque transtulit, quod subripuerat, intra terminos mundi est, sic et sapienti furtum potest fieri; auferetur enim illi non ex iis, quae uniuersa habet, sed ex
5 iis, quibus dominus inscriptus est, quae uiritim ei seruiunt. Illam 5 alteram possessionem adgnoscet, hanc nolet habere, si poterit; emittetque illam uocem, quam Romanus imperator emisit, cum illi ob uirtutem et bene gestam rem publicam tantum agri decerneretur, quantum arando uno die circumire potuisset: „Non opus est" inquit „uobis eo ciue, cui plus opus sit quam uni ciui." 10 Quanto maioris uiri putas respuisse hoc munus quam meruisse! multi enim fines aliis abstulerunt, sibi nemo constituit.

VIII, 1 Ergo cum animum sapientis intuemur potentem omnium et per uniuersa dimissum, omnia illius esse dicimus, qui ad hoc ius cotidianum, si ita res tulerit, capite censebitur. Multum inter- 15 est, possessio eius animi hac magnitudine aestimetur an censu.
2 Haec uniuersa habere, de quibus loqueris, abominabitur. Non referam tibi Socraten, Chrysippum, Zenonem et ceteros magnos [quidem] uiros, maiores quidem, quia in laude uetustorum inuidia non obstat. Paulo ante Demetrium rettuli, quem mihi uide- 20 tur rerum natura nostris tulisse temporibus, ut ostenderet nec illum a nobis conrumpi nec nos ab ullo conrigi posse, uirum exactae, licet neget ipse, sapientiae firmaeque in iis, quae proposuit, constantiae, eloquentiae uero eius, quae res fortissimas deceat, non cincinnatae nec in uerba sollicitae sed ingenti animo, 25
3 prout inpetus tulit, res suas prosequentis. Huic non dubito quin prouidentia et talem uitam et talem dicendi facultatem dederit, ne aut exemplum saeculo nostro aut conuicium deesset. Demetrio si res nostras aliquis deorum possidendas uelit tradere sub lege certa, ne liceat donare, adfirmauerim repudiaturum dictu- 30
IX, 1 rumque: „Ego uero me ad istud inextricabile pondus non adligo nec in altam faecem rerum hunc expeditum hominem demitto. Quid ad me defers populorum omnium mala? quae ne daturus

---

5 est *corr. ex* et **N**[1] *ut uid.* 7 emittetque *Mt.* emittitque **N** 8 gesta remp. **N** *corr. ug.* decernetur **N**[1] *corr.* **N**[2] 9 diae **N**[1] *corr.* **N**[2] 10 inquit **N**[2] inquibus **N**[1] 14 qui ad hoc *scripsi;* cum ad hoc **N**[1]; cum autem (au̅) hoc *He.* 16 animi hac magnitudine *scripsi;* animo ac magnitudine **N** animi magnitudine *Mt.* 19 quidem *incl. Mg.* laude *Mg.* laudem **N** 20 retulit **N**[1] *corr.* **N**[2] 22 ab ullo corrigi *Rubenius* (corrigi *iam Opsopoeus et Gt.;* ullo *est in uno* **D**); ab illo corripi **N** 25 cincinnatae *Mg.* concinnatae **N** 26 persequentis *malit Wsbg.* 30 dicturumque *ug.* dicturumue **N** 32 altam faecem *Gt.* aliam facem **N**[1] aliam fecem **N**[2] illam faecem *Er.*

quidem acciperem, quoniam multa uideo, quae me donare non deceat. Uolo sub conspectu meo ponere, quae gentium oculos regumque praestringunt, uolo intueri pretia sanguinis animarumque uestrarum. Prima mihi luxuriae spolia propone, siue illa uis 2
5 per ordinem expandere siue, ut est melius, in unum aceruum dare. Uideo elaboratam scrupulosa distinctione testudinem et foedissimorum pigerrimorumque animalium testas ingentibus pretiis emptas, in quibus illa ipsa, quae placet, uarietas subditis medicamentis in similitudinem ueri coloratur. Uideo istic mensas
10 et aestimatum lignum senatorio censu, eo pretiosius, quo illud in plures nodos arboris infelicitas torsit. Uideo istic crystallina, 3 quorum accendit fragilitas pretium; omnium enim rerum uoluptas apud inperitos ipso, quo fugari debet, periculo crescit. Uideo murrea pocula; parum scilicet luxuria magno fuerit, nisi, quod
15 uomant, capacibus gemmis inter se propinauerint. Uideo uniones 4 non singulos singulis auribus conparatos; iam enim exercitatae aures oneri ferundo sunt; iunguntur inter se et insuper alii binis superponuntur; non satis muliebris insania uiros superiecerat, nisi bina ac terna patrimonia auribus singulis pependissent. Uideo 5
20 sericas uestes, si uestes uocandae sunt, in quibus nihil est, quo defendi aut corpus aut denique pudor possit, quibus sumptis parum liquido nudam se non esse iurabit; hae ingenti summa ab ignotis etiam ad commercium gentibus accersuntur, ut matronae nostrae ne adulteris quidem plus sui in cubiculo quam in publico
25 ostendant. Quid agis, auaritia? quot rerum caritate aurum tuum X, 1 uictum est! omnia ista, quae rettuli, in maiore honore pretioque sunt. Nunc uolo tuas opes recognoscere, lamnas utriusque materiae, ad quam cupiditas nostra caligat. At mehercules terra, 2 quae, quidquid utile futurum nobis erat, protulit, ista defodit et
30 mersit et ut noxiosis rebus ac malo gentium in medium proditurus toto pondere incubuit. Uideo ferrum ex isdem tenebris esse prolatum, quibus aurum et argentum, ne aut instrumentum in caedes mutuas deesset aut pretium. Et tamen adhuc ista aliquam 3 materiam habent; est, in quo errorem † oculorum animus sub-
35 sequi possit. Uideo istic diplomata et syngraphas et cautiones,

---

1 acceperē **N**[1] *corr.* **N**[2] acceperim *Gt.* 3 uolo uolo intueri praetias **N**[1] *corr.* **N**[2] 8 subditis **N** sublitis *Er.* 10 senatori **N**[1] *corr.* **N**[2]; senatoris *ug.* 13 debet **N**; *malim* debebat 14 fuerint **N** *corr. ug.;* furit *Er.* 15 propinauerint *He.* (propinarent *Er.*) pronuntiaue **N**; *fort.* furit.. propinant 21 sumptis **N** sumptis mulier *ug. ex nonn.* **D** 25 quot *ug.* quod **N** 28 ad quam **N**[1] ad quas **N**[2] *ut ug.* 34 oculorum animus **N**[1] *corrupte;* animorum oculus *He.* (*praef. uol. III*); *fort.* oculi cum manibus s. possint. 35 singraphas (*fuit.* simgr.) **N**

uacua habendi simulacra, umbracula auaritiae quaedam laborantis, per quae decipiat animum inanium opinione gaudentem; quid enim ista sunt, quid fenus et calendarium et usura, nisi humanae
4 cupiditatis extra naturam quaesita nomina? Possum de rerum natura queri, quod aurum argentumque non interius absconderit, quod non illis maius, quam quod detrahi posset, pondus iniecerit: quid sunt istae tabellae, quid conputationes et uenale tempus et sanguinolentae centesimae? uoluntaria mala ex constitutione nostra pendentia, in quibus nihil est, quod subici oculis, quod
5 teneri manu possit, inanis auaritiae somnia. O miserum, si quem delectat patrimonii sui liber magnus et uasta spatia terrarum colenda per uinctos et immensi greges pecorum per prouincias ac regna pascendi et familia bellicosis nationibus maior et aedi-
6 ficia priuata laxitatem urbium magnarum uincentia! Cum bene ista, per quae diuitias suas disposuit ac fudit, circumspexerit superbumque se fecerit, quidquid habet, ei, quod cupit, conparet: pauper est. Dimitte me et illis diuitiis meis redde; ego regnum sapientiae noui, magnum, securum; ego sic omnia habeo, ut omnium sint."

XI, 1 Itaque cum *C.* Caesar illi ducenta donaret, ridens reiecit ne dignam quidem summam iudicans, qua non accepta gloriaretur. Di deaeque, quam pusillo animo illum aut honorare uoluit aut
2 conrumpere! Reddendum egregio uiro testimonium est; ingentem rem ab illo dici audiui, cum miraretur Gaii dementiam, quod se putasset tanti posse mutari: „Si temptare" inquit „me constituerat, toto illi fui experiendus imperio."

XII, 1 Sapienti ergo donari aliquid potest, etiam si sapientis omnia sunt. Aeque nihil prohibet, cum omnia amicis dicamus esse communia, aliquid amico donari; non enim mihi sic cum amico communia omnia sunt, quomodo cum socio, ut pars mea sit, pars illius, sed quomodo patri matrique communes liberi sunt, quibus cum duo sunt, non singuli singulos habent, sed singuli binos.
2 Primum omnium iam efficiam, ut, quisquis est iste, qui me in societatem uocat, sciat se nihil mecum habere commune: quare? quia hoc inter sapientes solum consortium est, inter quos *solos*
3 amicitia est; ceteri non magis amici sunt quam socii. Deinde pluribus modis communia sunt. Equestria omnium equitum

---

1 umbracula *He.* umbra **N** 2 per que (ę *in ras. m. pr.*) decipiant **N** *corr. He. ex uno* **D**; *ug. ex Mt. coni.:* umbras quasdam auar. labor. per quas decipiant 7 quid sunt ista ista&tabellae **N**; ista *del. ug.* 17 Demitte **N**[1] *corr.* **N**[2] 20 C. *add. Pinc.* 24 C̄. (*pro* Gaii) **N** 25 meo **N**[1] *corr.* **N**[2] 35 solos *addidi* 37 *fort.* communia communia sunt.

Romanorum sunt; in illis tamen meus fit proprius locus, quem occupavi; hoc si cui cessi, quamuis illi communi re cesserim, tamen aliquid dedisse uideor. Quaedam quorundam sub certa 4 condicione sunt. Habeo in equestribus locum, non ut uendam, 5 non ut locem, non ut habitem, in hoc tantum, ut spectem; propterea non mentior, si dico me habere in equestribus locum. Sed cum in theatrum veni, si plena sunt equestria, et iure habeo locum illic, quia sedere mihi *illic* licet, et non habeo, quia ab iis, cum quibus mihi ius loci commune est, occupatus est. Idem 5 10 inter amicos puta fieri: quidquid habet amicus, commune est nobis, sed illius proprium est, qui tenet; uti nisi illo uolente non possum. „Derides me" inquis; „si, quod amici est, meum est, liceat mihi uendere." Non licet; nam nec equestria, et tamen communia tibi cum ceteris equitibus sunt. Non est argumentum 6 15 ideo aliquid tuum non esse, quia uendere non potes, quia consumere, quia mutare in deterius aut melius; tuum enim est etiam, quod sub lege certa tuum est.

* accepi, sed certe non minus. Ne *te* traham lon- XIII, 1 gius, beneficium maius esse non potest; ea, per quae beneficium 20 datur, possunt esse maiora et plura, in quae se denique beneuolentia effundat et sic sibi indulgeat, quemadmodum amantes solent, quorum plura oscula et conplexus artiores non augent amorem sed exercent.

Haec quoque, quae uenit, quaestio profligata est in prio- XIV, 1 25 ribus; itaque breuiter perstringetur; possunt enim in hanc, quae aliis data sunt, argumenta transferri. Quaeritur, an, qui omnia fecit, ut beneficium redderet, reddiderit. „Ut scias" inquit „illum 2 non reddidisse, omnia fecit, ut redderet; adparet ergo non esse id factum, cuius faciendi occasionem non habuit. Et creditori 30 suo pecuniam non soluit is, qui, ut solueret, ubique quaesiuit nec inuenit." Quidam eius condicionis sunt, ut effectum praestare 3 debeant; quibusdam pro effectu est omnia temptasse, ut efficerent. Si omnia fecit, ut sanaret, peregit partes suas medicus; etiam damnato reo oratori constat eloquentiae officium, si omni ui usus

---

1 meus **N**[1] metus **N** 6 propterea *Mt.* praeter ea **N** 8 illic *add. Koch* iis *scripsi;* his **N** 11 qui *Er.* quia **N** uti nisi illo uolente *Gr.* uti iis illo uolente **N**[1], *sed ante* iis *rasura est in spatio unius litterae;* uti iis illo nolente **N**[2] *ut ug.* 17 tuum est **N**[2] tum est **N**[1] 18 *Ante* accepi *lacunae signum posuit He.; defectum sen serat Mt.* te *add. ug.* 20 in quae se denique *scripsi;* in quę sed qui **N** 29 cuius faciendi occasionem *ug.* cuius faciendi non esse occassionem **N** 31 Quidam *scripsi;* Quaedam (*an* quedam? *non enotaui*) **N** 32 efficer& **N** *corr. ug.* 34 si omni ui usus est (*uel* nisus est) *scripsi praeeunte He.*; si | omni si omni iussus est **N**[1]; si omni *alt. loco del.* **N**[2]

est; laus imperatoria etiam uicto duci redditur, si et prudentia
4 et industria et fortitudo muneribus suis functa est. Omnia fecit,
ut beneficium redderet, obstitit illi felicitas tua; nihil incidit du-
rius, quod ueram amicitiam experiretur; locupleti donare non
potuit, sano adsidere, felici succurrere: gratiam rettulit, etiam 5
si tu beneficium non recepisti. Praeterea hic intentus semper
et huius rei tempus opperiens, qui in hoc multum curae, multum
sedulitatis inpendit, plus laborauit, quam cui cito referre gratiam
5 contigit. Debitoris exemplum dissimile est, cui parum est pe-
cuniam quaesisse, nisi soluit; illic enim stat acerbus super caput 10
creditor, qui nullum diem gratis occidere patiatur; hic benig-
nissimus, qui, te cum uiderit concursantem et sollicitum atque
anxium, dicat:

„Mitte hanc de pectore curam;

desine tibi molestus instare. Omnia a te habeo; iniuriam mihi 15
facis, si me quidquam desiderare amplius iudicas; plenissime ad
me peruenit animus tuus."

6 „Dic" inquit „mihi: si reddidisset beneficium, diceres illum
gratiam rettulisse; eodem ergo loco est, qui reddidit et qui non
reddidit?" Contra nunc illud pone: si oblitus esset accepti bene- 20
ficii, si ne temptasset quidem gratus esse, negares illum gratiam
rettulisse; at hic se diebus noctibusque lassauit et omnibus aliis
renuntiauit officiis huic uni inminens et operatus, ne qua se fu-
geret occasio; eodem ergo loco erunt ille, qui curam referendae
gratiae abiecit, et hic, qui numquam ab illa recessit? Iniquus es, 25
si rem a me exigis, cum uideas animum non defuisse.

XV, 1 Ad summam puta, cum captus esses, me pecuniam mutua-
tum rebus meis in securitatem creditoris oppositis nauigasse hieme
iam saeua per infesta latrociniis litora, emensum, quidquid peri-
culorum adferre potest etiam pacatum mare; peragratis omnibus 30
solitudinibus, cum, quos nemo non fugiebat, ego quaererem, tan-
dem ad piratas perueni; iam te alius redemerat: negabis me
gratiam rettulisse? etiamne, si in illa nauigatione pecuniam, quam
saluti tuae contraxeram, naufragus perdidi, etiamne, si *in* uincula,

---

1 imperatoria *L.* imperatori N 6 hic intentus N¹ huic intentus N² 8 sedutilitatis N¹ *corr.* N² 10 quęsissent sisoluit N¹ *corr.* N² 17 me *add. ug.* 18 mihi: si reddidisset b., diceres i. g. rettulisse; eodem *Hpt.* reddidisse N *habet*, *reliqua eadem sunt* 21 ne tempt. *Er.* nec tempt. N negare N¹ *corr.* N² 22 lassabit .. renuntiabit N *corr. ug.* 25 es N² est N¹ 27 summam *ug.* summa N 29 iam *Gt.* tam N litora, emensum N² litore mensum N¹ 30 adferre N¹ adferri N² 33 etiam|ne si N¹ etiam nisi N² illam nauigationem N¹ *corr.* N² 34 etiamne, si in uincula *Gt.* etiam nisi uincula N

quae detrahere tibi uolui, ipse incidi, negabis me rettulisse gratiam? At mehercules Athenienses Harmodium et Aristogitonem 2
tyrannicidas uocant, et Mucio manus in hostili ara relicta instar occisi Porsennae fuit, et semper contra fortunam luctata uirtus
5 etiam citra effectum propositi operis enituit. Plus praestitit, qui fugientes occasiones secutus est et alia atque alia captauit, per quae referre gratiam posset, quam quem sine ullo sudore gratum prima fecit occasio.

„Duas" inquit „res ille tibi praestitit, uoluntatem et rem; 3
10 tu quoque illi duas debes." Merito istud diceres ei, qui tibi reddidit uoluntatem otiosam; hic uero debet; sed qui uult et conatur et nihil intemptatum relinquit, ei non potes dicere; utrumque enim praestat, quantum in se est. Deinde non semper numero 4
numerus aequandus est, aliquando una res pro duabus ualet;
15 itaque in locum rei succedit tam propensa uoluntas et cupida reddendi. Quod si animus sine re ad referendam gratiam non ualet, nemo aduersus deos gratus est, ut in quos uoluntas sola conferatur. „Dis" inquit „nihil aliud praestare possumus." Sed 5
si huic quoque, cui referre gratiam debeo, nihil aliud praestare
20 possum, quid est, quare non eo aduersus hominem gratus sim, quo nihil amplius in deos confero?

Si tamen quaeris, quid sentiam, et uis signare responsum, XVI, 1
hic beneficium recepisse se iudicet, ille se sciat non reddidisse; hic illum dimittat, ille se teneat; hic dicat: „Habeo", ille respon-
25 deat: „Debeo". In omni quaestione propositum sit nobis bonum 2
publicum; praecludendae sunt excusationes ingratis, ad quas refugere possint et sub quibus infitiationem suam tegere. „Omnia 3
feci." Fac etiamnunc. Quid? tu tam inprudentes iudicas maiores nostros fuisse, ut non intellegerent iniquissimum esse eodem
30 loco haberi eum, qui pecuniam, quam a creditore acceperat, libidini aut aleae insumpsit, et eum, qui incendio aut latrocinio aut aliquo casu tristiore aliena cum suis perdidit? Nullam excusationem receperunt, ut homines scirent fidem utique praestandam; satius enim erat a paucis etiam iustam excusationem non

---

4 porsennae N^2 porcinae N porsinae N^1 5 operi sentuit N^1 *corr.* N^2 7 possit N^1 *corr.* N^2 11 hic uero debet; sed qui uult *scripsi;* huic uero debes & qui uul N^1 (uult N^2) 12 ei *scripsi;* et N^1 sed N^2 potes N^2 potest N^1 17 ut in quos.. conferatur *scripsi;* & in quos.. confertur N; & *del. ug.* 20 quare N^2 clara N^1 23 rededisset N^1; t *del.* N^2 24 dimittat N^1 demittat N^2
25 Debeo *Pinc. ex nonn.* D; habeo N 27 possint *Er.* non possint N 29 esse *add.* N^1 31 libidini aut aleae insumpsit *scripsi;* libidini aut aleae adsumpsit N libidine aut alea absumpsit *ug.* 33 fides N fidem *corr.* N^1 *et* N^2

4 accipi quam ab omnibus aliquam temptari. Omnia fecisti, ut
redderes; hoc illi satis sit, tibi parum. Nam quemadmodum ille,
si enixam et sedulam operam transire pro inrita patitur, cui
gratia referatur, indignus est, ita tu ingratus es, nisi ei, qui uo-
luntatem bonam in solutum accipit, eo libentius debes, quia 5
dimitteris. Ne rapias hoc nec testeris; occasiones reddendi nihilo
minus quaeras. Redde illi, quia repetit, huic, quia remittit; illi,
quia *bonus est*, huic, quia malus.

5 Ideoque hanc quaestionem non est quod ad te iudices perti-
nere, an, quod beneficium quis a sapiente accepit, reddere debeat, 10
si ille desiit esse sapiens et in malum uersus est. Redderes enim
ei depositum, quod a sapiente accepisses, etiam malo, redderes
creditum; quid est, cur non et beneficium? quia mutatus est ille,
6 te mutet? Quid? si quid a sano accepisses, aegro non redderes,
cum plus semper inbecillo amico debeamus? Et hic aeger est 15
animo; adiuuetur, feratur; stultitia morbus est animi.

XVII,1 Distinguendum hoc, quo magis intellegatur, existimo. Duo
sunt beneficia: unum, quod dare nisi sapiens sapienti non potest;
hoc est absolutum et uerum beneficium; alterum uulgare, ple-
2 beium, cuius inter nos inperitos commercium est. De hoc non 20
est dubium, quin illi, qualiscumque est, debeam reddere, siue
homicida siue fur siue adulter euasit. Habent scelera leges suas;
melius istos iudex quam ingratus emendat; nemo te malum, quia
est, faciat. Malo beneficium proiciam, bono reddam, huic, quia
debeo, illi, ne debeam. 25

XVIII,1 De altero beneficii genere dubitatur, quod si accipere non
potui nisi sapiens, ne reddere quidem nisi sapienti possum. Puta
enim me reddere illi: non potest recipere, non est iam huius rei
capax, scientiam utendi perdidit. Quid, si me remittere manco
pilam iubeas? stultum est dare alicui, quod accipere non possit. 30
2 Ut respondere ab ultimo incipiam, non dabo illi, quod accipere
non poterit; reddam, etiam si recipere non poterit. Obligare enim
non possum nisi accipientem; liberari tamen, si reddidi, possum.

---

1 omnibus *ug.* hominibus **N** 2 namq; | admodum **N**[1] *corr.* **N**[2] 4 nisi **N**[1] *in ras.* 5 accipit **N** accepit *ug.* 6 dimitteris *ug.* demitteris **N** Ne *scripsi;* non **N** 7 illi, quia bonus est *scripsi;* illi quia repetit **N**; *ug.:* illi quia malus, h. q. non malus 10 accepit *unus* **D** accipit **N** acceperit *ug.* 12 ei *scripsi;* et **N** accepisses, etiam malo, redderes *interpunxi;* accepisses; etiam (*uel* et etiam) malo redderes *ug.* 14 mut& **N**[1] mutat **N**[2] 16 morb; **N** 21 quin illi **N**[2] quin | in illi **N**[1] 27 ne *Mt.* nec **N** 28 reddere illi: non **N**[1] reddere: ille non **N**[2] *ut ug.* 29 perdidit *ug.* reddidit **N** 30 iubeas **N** iubes *ug.* 31 illi *ug.* ulli **N** acceperi **N**[1] *corr.* **N**[2] 33 tamen *unus* **D** tantum **N**

Ille uti illo non poterit? Uiderit; penes illum erit culpa, non penes me.

„Reddere est" inquit „accepturo tradidisse. Quid enim? XIX,1
si cui uinum debeas et hoc ille te infundere reticulo iubeat aut
5 cribro, reddidisse te dices? aut reddere uoles, quod, dum reddi-
tur, inter duos pereat?" Reddere est id, quod debeas, ei, cuius 2
est, uolenti dare. Hoc unum mihi praestandum est; ut quidem
habeat, quod a me accepit, iam ulterioris est curae; non tutelam
illi sed fidem debeo, multoque satius est illum non habere quam
10 me non reddere. Et creditori statim in macellum laturo, quod 3
acceperit, reddam; etiam, si mihi adulteram, cui numerem, dele-
gauerit, soluam; et, si numos, quos accipiet, in sinum suum
discinctus infundet, dabo. Reddendum enim mihi est, non ser-
uandum, cum reddidero, ac tuendum; beneficii accepti, non red-
15 diti, custodiam debeo. Dum apud me est, saluum sit; ceterum,
licet accipientis manibus effluat, dandum est reposcenti. Reddam
bono, cum expediet, malo, cum petet.

„Tale" inquit „illi beneficium, quale accepisti, non potes 4
reddere; accepisti enim a sapiente, stulto reddis." Non reddo
20 illi, quale nunc potest recipere? nec per me fit, quod deterius
id, quod accepi, reddam, sed per illum, cui, nisi ad sapientiam
redierit, reddam, quale, dum in malis est, ab illo potest accipi.
„Quid? si" inquit „non tantum malus factus est, sed ferus, sed 5
immanis, qualis Apollodorus aut Phalaris, et huic beneficium,
25 quod acceperas, reddes?" Mutationem sapientis tantam natura
non patitur. Non in pessima ab optimis lapsus *est*; necesse est,
etiam in malo uestigia boni teneat; numquam *in* tantum uirtus
extinguitur, ut non certiores animo notas inprimat, quam ut illas
eradat ulla mutatio. Ferae inter nos educatae si in siluas erupe- 6

---

1 uti illo **N**² ut illo **N**¹ 4 ille **N**² illi **N**¹ 7 uolendi **N**¹ *corr.* **N**² ut quidem habeat *Er.* ut quidã debeat **N** ut quidem id habeat *Gt.* 11 acceperit *multi* **D** acceperet **N** delegauerit, soluam *ug.* deligauerit solum **N** 12 accipiet *ug.* accipies **N** 13 discinctus infundet **N**¹ discinctos infundet **N**² 14 tuendũ **N**² tuendõ **N**¹ 16 Reddam *Er.* redda **N**¹ reddo **N**² 19 Non reddo.. recipere? nec *distinxi;* Non . reddo .. recipere nec **N**, *sed punctum add.* **N**² Imo reddo .. accipere, nec *Mt.* 20 quod deterius **N**¹ quid deterius **N**² 21 illum, cui, nisi *scripsi;* illum cui si **N** 22 reddam, quale, dum in malis est, ab illo potest accipi *scripsi;* reddam quale dum in malis est reddam quale ab illo potest accepi **N**¹ (accipi *corr.* **N**²) 23 „Quid? si" inquit „non **N** (*cfr. IV, 33, 1*); „Quid" inquit, „si non *ug.* 25 naturam **N**¹ *corr.* **N**² 26 Non in pessima .. lapsus est *unus* **D**; non inpessima .. lapsus **N** 27 in *add. ug.* 29 Ferae inter nos educatae si in *Mg.* fere inter nos se ducata est in **N**¹ ferę inter nos educata st (*i. e.* sunt) .in **N**²

runt, aliquid mansuetudinis pristinae retinent tantumque a placidissimis absunt, quantum a ueris feris et numquam humanam manum passis. Nemo in summam nequitiam incidit, qui umquam haesit sapientiae; altius infectus est, quam ut ex toto elui et
7 transire in colorem malum possit. Deinde interrogo, utrum iste 5
ferus sit animo tantum an et in perniciem publicam excurrat? Proposuisti enim mihi Phalarim tyrannum, quoius si naturam habet intra se malus, quidni ego isti beneficium suum reddam,
8 ne quid mihi cum illo iuris sit amplius? Si uero sanguine humano
non tantum gaudet, sed pascitur, et suppliciis omnium aetatium 10
crudelitatem insatiabilem exercet nec ira sed auiditate quadam saeuiendi furit, si in ore parentium liberos iugulat, si non contentus simplici morte distorquet nec urit solum perituros sed excoquit, si arx eius cruore semper recenti madet, parum est huic beneficium non reddere. Quidquid erat, quo mihi cohaereret, 15
9 intercisa iuris humani societas abscidit. Si praestitisset quidem aliquid mihi sed arma patriae meae inferret, quidquid meruerat, perdidisset, et referre illi gratiam scelus haberetur; si non patriam meam inpugnat sed suae grauis est et sepositus a mea gente suam exagitat ac scindit, nihilo minus illum tanta prauitas animi, etiam 20
si non inimicum, inuisum mihi efficit, priorque mihi ac potior eius officii ratio est, quod humano generi, quam quod uni homini debeo.

XX, 1 Sed quamuis hoc ita sit et ex eo tempore omnia mihi in illum libera sint, ex quo conrumpendo fas omne, ut nihil in eum 25
nefas esset, effecerit, illum mihi seruandum modum credam, ut, si beneficium illi meum neque uires maiores daturum est in exitium commune nec confirmaturum, quas habet, id autem erit,
2 quod illi reddi sine pernicie publica possit, reddam. Seruabo
filium eius infantem; quid hoc beneficium obest cuiquam eorum, 30
quos crudelitas eius lacerat? pecuniam, quae satellitem stipendio teneat, non subministrabo. Si marmora et uestes desiderauerit, nihil oberit cuiquam id, quo luxuria eius instruetur; militem et
3 arma non suggeram. Si pro magno petet munere artifices scenae

---

3 qui umquam *ug.* qui numquam **N** 4 infictus **N**[1] *corr.* **N**[2] 7 mihi Phalarim tyrannum quoius *scripsi;* mihi phalarim (*corr. ex* phalarit **N**[1] *et* **N**[2]) tyrrannum quorum **N**; mihi Apollodorum et Phalarim tyrannum, quorum *Er.* 10 pascitur, et supp. *scripsi;* pascitur, sed et supp. **N** aetatium **N** aetatum *ug.* 12 furit *ug.* fuerit **N** parentium **N**[1] parentum **N**[2] 13 perituros **N**[2] periturus **N**[1] 14 cru|ocre **N** *corr. ug.* 19 et sepositus *ug.* etpositus **N** 20 exagitat ac scindit, nihilo *scripsi;* exagitat adscindit nihilo **N**[1] exagitat, abscindit nihilo **N**[1] *ut ug.* 28 id autem *ug.* ita|autem **N** 31 quae **N** qua *unus* **D** 33 quo **N**[2] quod **N**[1] instruetur *Wsbg.* instruitur **N**

et scorta et quae feritatem eius emolliant, libens offeram. Cui triremes et aeratas non mitterem, lusorias et cubiculatas et alia ludibria regum in mari lasciuientium mittam. Et si ex toto desperata eius sanitas fuerit, eadem manu beneficium omni-
5 bus dabo, illi reddam; quoniam ingeniis talibus exitus remedium est, optimumque est abire ei, qui ad se numquam rediturus est. Sed haec rara est nequitia et semper portenti loco habita, sicut 4
hiatus terrae et e cauernis maris ignium eruptio; itaque ab illa recedamus, de iis loquamur uitiis, quae detestamur sine horrore.
10 Huic homini malo, quem inuenire in quolibet foro possum, quem 5
singuli timent, reddam beneficium, quod accepi. Non oportet mihi nequitiam eius prodesse; quod meum non est, redeat ad dominum. Bonus sit an malus, quid *differt*? diligenter istud excuterem, si non redderem sed darem.

15 Hic locus fabulam poscit. Pythagoricus quidam emerat a XXI,1
sutore phaecasia, rem magnam, non praesentibus numis. Post aliquot dies uenit ad tabernam redditurus et, cum clausam diu pulsaret, fuit, qui diceret: „Quid perdis operam? sutor ille, quem quaeris, elatus, conbustus est; quod nobis fortasse molestum est,
20 qui in aeternum nostros amittimus, tibi minime, qui scis futurum, ut renascatur", iocatus in Pythagoricum. At philosophus noster 2
tres aut quattuor denarios non inuita manu domum rettulit subinde concutiens; deinde, cum reprehendisset hanc suam non reddendi tacitam uoluptatem, intellegens adrisisse illud lucellum sibi rediit
25 ad eandem tabernam et ait: „Ille tibi uiuit; redde, quod debes." Deinde per clastrum, qua se conmissura laxauerat, quattuor denarios in tabernam inseruit ac misit poenas a se exigens inprobae cupiditatis, ne alieno adsuesceret.

Quod debes quaere cui reddas et, si nemo poscet, ipse te XXII,1
30 adpella; malus an bonus *sit*, ad te non pertinet; redde et accusa. Oblitus es, quemadmodum inter nos officia diuisa sint: illi obliuio

---

2 et aeratas *Er.* etceratas N 3 regum N^2 regnum N^1 4 fuerit N^2 fuerat N^1 6 abire N obire *multi* D *et add.* qui *ug.* quia N 7 rara est nequitia et semper *scripsi;* rare nequitia est semper N; rara n. est et semper *ug.* 8 e cauernis N^2 ea cauernis N^1; *fort.* ex cauernis 12 prodesse N^1 prodisse N^2 13 dominum. Bonus s. a. malus, quid *dist. Mg.* dominum, b. s. a. malus. Quid *ug.* quid differt? *scripsi;* differt *om.* N; quid ad me? *Mg.* 15 hic N^2 huic N^1 17 aliquod N^1 *corr.* N^2 clusam N^1 clausam N^2 18 quaem queris eletus N *corr. ug.* 20 quis scis N^1 *corr.* N^2 21 locatus N^1 *corr.* N^2 At N^2 a N^1 23 repraehindissit N^1 *corr.* N^2; *fort.* deprehendisset 24 reddi ita deandem N^1 *corr.* N^2 29 quaerei N^1 *corr.* N^2 30 sit *add. ug.*

imperata est, tibi meminisse mandauimus. Errat tamen, si quis existimat, cum dicimus eum, qui beneficium dedit, obliuisci oportere, excutere nos illi memoriam rei praesertim honestissimae; quaedam praecipimus ultra modum, ut ad uerum et suum redeant.
2 Cum dicimus: ‚meminisse non debet', hoc uolumus intellegi: ‚praedicare non debet nec iactare nec grauis esse'. Quidam enim beneficium, quod dederunt, omnibus circulis narrant; hoc sobrii loquuntur, hoc ebrii non continent, hoc ignotis ingerunt, hoc amicis conmittunt; ut haec nimia et exprobratrix memoria subsideret, obliuisci eum, qui dedit, iussimus et plus imperando, quam praestari poterat, silentium suasimus.

XXIII,1 Quotiens parum fiduciae est in iis, quibus imperes, amplius exigendum est, quam sat est, ut praestetur, quantum sat est. In hoc omnis hyperbole extenditur, ut ad uerum mendacio ueniat. Itaque ille, qui dixit:

„Qui candore niues anteirent, cursibus auras",

quod non poterat fieri, dixit, ut crederetur, quantum plurimum posset. Et qui dixit:

„His inmobilior scopulis, uiolentior amne",

ne hoc quidem se persuasurum putauit, aliquem tam inmobilem
2 esse quam scopulum. Numquam tantum sperat hyperbole, quantum audet, sed incredibilia adfirmat, ut ad credibilia perueniat. Cum dicimus: ‚Qui beneficium dedit, obliuiscatur', hoc dicimus:
3 ‚similis sit oblito; memoria eius non adpareat nec incurrat'. Cum dicimus beneficium repeti non oportere, non ex toto repetitionem tollimus; saepe enim opus est malis exactore, etiam bonis admonitione. Quid ergo? occasionem ignoranti non ostendam? necessitates illi meas non detegam? quare nescisse se aut mentiatur aut doleat? Interueniat aliquando admonitio, sed uerecunda, quae non poscat nec in ius uocet.

XXIV,1 Socrates amicis audientibus: „Emissem" inquit „pallium, si numos haberem." Neminem poposcit, omnes admonuit. A quo acciperet, ambitus fuit; quidni esset? quantulum enim erat, quod Socrates accipiebat? at multum erat eum fuisse, a quo Socrates
2 acciperet. Num illos castigare mollius potuit? „Emissem" inquit

---

1 imperata *ug.* interperata **N**[1] intemperata **N**[2] 2 dedit *multi* **D** *et ug.* reddi **N**[1] reddit **N**[2] 4 quaedam *ug.* quae **N** 14 hyperbola & extenditur **N**[1] hyperbolae extenditur **N**[2] mendatio **N**[1] *corr.* **N**[2] 15 ille, qui dixit *nonn.* **D**; ille cum dixet **N**[1] (dixit **N**[2]) 19—20 uiolentior amne", ne hoc quidem *Mg.* (*sed is:* hic); uiolentioram nem | ne hoc quidem **N**[1] uiolentior amne | hoc quidem **N**[2] 25 repetionem **N** *corr. ug.* 26 &iam nobis **N**[1] *corr.* **N**[2] admonitione **N** admonitore *duo* **D** *et edd. antq., fort. recte* 27 occansionem **N** (*sic etiam alibi*) 30 pascat **N** *corr. ug.*

„pallium, si numos haberem.“ Post hoc quisquis properauerit, sero dabit; iam Socrati defuit. Propter acerbos exactores repetere prohibemus, non, ut numquam fiat, sed ut parce.

Aristippus aliquando delectatus unguento: „Male“ inquit XXV,1
5 „istis effeminatis eueniat, qui rem tam bellam infamauerunt.“ Item dicendum est: „Male istis inprobis et inportunis beneficiorum suorum quadriplatoribus eueniat, qui tam bellam rem, admonitionem inter amicos, sustulerunt.“ Ego tamen utar hoc iure amicitiae et beneficium ab eo repetam, a quo petissem, qui
10 alterius beneficii loco accepturus est potuisse reddere. Numquam 2
ne querens quidem dicam:

„Eiectum litore, egentem
excepi et regni demens in parte locaui.“

Non est ista admonitio, conuicium est; hoc est in odium beneficia
15 perducere, hoc est efficere, ut ingratum esse aut liceat aut iuuet. Satis abundeque est submissis et familiaribus uerbis memoriam reuocare:

„Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quidquam
dulce meum.“

20 Ille in uicem dicat: „Quidni merueris? eiectum litore egentem excepisti.“

„Sed nihil“ inquit „proficimus; dissimulat, oblitus est: quid XXVI,1
facere debeo?“ Iam quaeris rem maxime necessariam et in qua hanc materiam consummari decet, quemadmodum ingrati ferendi
25 sint. Placido animo, mansueto, magno. Numquam te tam inhu- 2
manus et inmemor et ingratus offendat, ut non tamen dedisse delectet; numquam in has uoces iniuria inpellat: „Uellem, non fecissem.“ Beneficii tui tibi etiam infelicitas placeat; semper illum paenitebit, si te ne nunc quidem paenitet. Non est, quod
30 indigneris, tamquam aliquid noui acciderit; magis mirari deberes, si non accidisset. Alium labor, alium inpensa deterret, alium 3
periculum; alium turpis uerecundia, ne, dum reddit, fateatur accepisse, alium ignorantia officii; alium pigritia, alium occupatio. Adspice, quemadmodum inmensae hominum cupiditates hient
35 semper et poscant; non miraberis ibi neminem reddere, ubi nemo satis accepit. Quis est istorum tam firmae mentis ac solidae, ut 4

---

2 dabit *Wsbg.* dat **N** 4 dilectatus **N**[1] *corr.* **N**[2] ungento **N** 6 Item *scripsi;* idem **N** 7 qui tam bellam rem *Gt.* quam bellarem **N** 8 ego **N**[2] ergo **N**[1] 9 qui alterius **N**; *fort.* quia alterius 15 liceat *ug.* libeat **N** 23 debeo?“ Iam quaeris *scripsi;* debeam? Quaeris **N** 27 iniuriam **N**[1] *corr.* **N**[2] 28 fecissem **N**[1] fecisse **N**[2] infelicas **N**[1] *corr.* **N**[2] 31 accedisset **N** *corr. ug.* 36 accepit **N** accipit *ug.*

tuto apud eum beneficia deponas? Alius libidine insanit, alius abdomini seruit; alius lucri totus est, cuius summam, non uias, spectat; alius inuidia laborat, alius caeca ambitione et in gladios inruente. Adice torporem mentis ac senium et contraria huic inquieti pectoris agitationem tumultusque perpetuos; adice aestimationem sui nimiam et tumorem, ob quae contemnendus est, insolentem. Quid contumaciam *dicam* in peruersa nitentium, quid
5 leuitatem semper alio transsilientem? Huc accedat temeritas praeceps et numquam fidele consilium daturus timor et mille errores, quibus uoluimur: audacia timidissimorum, discordia familiarissimorum et publicum malum incertissimis fidere, fastidire possessa, quae consequi posse spes non fuit. Inter adfectus inquietissimos rem quietissimam, fidem, quaeris?

XXVII,1 Si tibi uitae nostrae uera imago succurret, *uidere* uideberis tibi captae cum maxime ciuitatis faciem, in qua omisso pudoris rectique respectu uires in concilio sunt uelut signo ad permiscenda omnia dato. Non igni, non ferro abstinetur; soluta legibus scelera sunt; ne religio quidem, quae inter arma hostilia supplices texit, ullum inpedimentum est ruentium in praedam.
2 Hic ex priuato, hic ex publico, hic ex profano, hic ex sacro rapit; hic effringit, hic transsilit; hic non contentus angusto itinere ipsa, quibus arcetur, euertit et in lucrum ruina uenit; hic sine caede populatur, hic spolia cruenta manu gestat; nemo non fert aliquid ex altero. In hac auiditate generis humani o ne tu nimis fortunae communis oblitus es, qui quaeris inter rapientes refe-
3 rentem! Si indignaris ingratos esse, indignare luxuriosos, indignare auaros, indignare inpudicos, indignare aegros deformes, senes pallidos. Est istuc graue uitium, est intolerabile et quod dissociet homines, quod concordiam, qua inbecillitas nostra fulcitur, scindat ac dissupet, sed usque eo uulgare est, ut illud ne qui queritur quidem effugerit.

XXVIII,1 Cogita tecum, an, quibuscumque debuisti, gratiam rettuleris,

---

1 tuto N² toto N¹ 2 lucri totus *nonn.* D *et edd. inde a Mt.*; lucri tosus N 7 dicam *addidi;* loquar *post* transsilientem *add. ug. cum multis* D quid leuitatem N² qui leuitatem N¹ 8 alio *Pinc.* aliquo N transsilentem? hoc N¹ *corr.* N² 11 faliarissimorum N¹ *corr.* N² 14 uidebiris N¹ *corr.* N² uidere *hic addidi; ante* captae *add. ug. ex nonn.* D 15 in qua N² iniqua N¹ 16 uires N uictores *Koch; locus conruptus esse uidetur, sed malim:* uires irae 21 exfringit N¹ *corr.* N² itenere N 22 arcetur N artatur *unus* D 25 inter referentem rapientis N¹ *additis transpositionis signis;* rapientes *corr.* N² *ut solet* 30 dissupet N² disupet N¹ ne qui N¹ nec qui N² 31 effugerit N *corr. ug.* 32 retulleris N¹ *corr.* N²

an nullum umquam apud te perierit officium, an omnium te beneficiorum memoria comitetur. Uidebis, quae puero data sunt, ante adulescentiam elapsa, quae in iuuenem conlata sunt, non perdurasse in senectutem. Quaedam perdidimus, quaedam proie-
5 cimus, quaedam e conspectu nostro paulatim exierunt, a quibusdam oculos auertimus. Ut excusem tibi inbecillitatem, inprimis 2
uas fragile est memoria et rerum turbae non sufficit; necesse est, quantum recipit, emittat et antiquissima recentissimis obruat. Sic factum est, ut minima apud te nutricis esset auctoritas, quia
10 beneficium eius longius aetas sequens posuit; sic factum est, ut praeceptoris tibi non esset ulla ueneratio; sic euenit, ut circa consularia occupato comitia aut sacerdotiorum candidato quaesturae suffragator excideret. Fortasse uitium, de quo quereris, si 3
te diligenter excusseris, in sinu inuenies. Inique publico crimini
15 irasceris, stulte *et* tuo; ut absoluaris, ignosce. Meliorem illum facies ferendo, utique peiorem exprobrando. Non est, quod frontem eius indures; sine, si quid est pudoris residui, seruet. Saepe dubiam uerecundiam uox conuiciantis clarior rupit. Nemo id esse, quod iam uidetur, timet; deprenso pudor demitur.

20 „Perdidi beneficium." Numquid, quae consecrauimus, XXIX,1
perdidisse nos dicimus? inter consecrata beneficium est, etiam si male respondit, bene conlatum. Non est ille, qualem sperauimus; simus nos, quales fuimus, ei dissimiles. Damnum non tunc factum *est*, *cum* adparuit; ingratus non sine nostro pudore protra-
25 hitur, quoniam quidem querella amissi beneficii *non* bene dati signum est. Quantum possumus, causam eius apud nos agamus: 2
„Fortasse non potuit, fortasse ignorauit, fortasse facturus est." Quaedam nomina bona lentus et sapiens creditor fecit, qui sustinuit ac mora fouit. Idem nobis faciendum est; nutriamus fidem
30 languidam.

„Perdidi beneficium." Stulte non nosti detrimenti tui XXX,1
tempora; perdidisti, sed cum dares; nunc palam factum est. Etiam in iis, quae uidentur in perdito, moderatio plurimum

---

2 Uidebis q; N¹ *corr.* N² 3 iuenem N¹ *corr.* N² 5 nos propaulatim N¹ *corr.* N² 6 inbecillitatem, inprimis uas fragile *Mg.* (uas *est in uno* D); inuecillitatem (*corr.* N²) inprimis tuam fragile N 11 essit ullam N¹ *corr.* N² 15 stulte et tuo *scripsi;* stulte tuo N; *uid. Adn.* 16 facies N; fortasse facies *malit Müller* (*N. J. 93 p. 494*) fronte N *corr. ug.* 18 conuin|ciantis N¹ *corr.* N² 19 depraenso N¹ *corr.* N² pudor demitur *Hpt.* pudor emittitur N 23 quales N² quale N¹ ei dissimiles N² et dissimules N¹ 24 est cum *add. Mg.* 25 quaerilla N¹ *corr.* N² non *add. ug.* 28 sapiens N; patiens *Bentley ad Hor. Epp. II, 1, 105* 33 iis *scripsi;* his N

profuerit; ut corporum ita animorum molliter uitia tractanda
sunt. Saepe, quod explicari pertinacia *potuit, uiolentia* trahentis
abruptum est. Quid opus est maledictis? quid querellis? quid
insectatione? quare illum liberas? quare dimittis? si ingratus
2 est, iam nihil debet. Quae ratio est exacerbare eum, in quem 5
magna contuleris, ut ex amico dubio fiat non dubius inimicus et
patrocinium sibi nostra infamia quaerat, nec dicere: „Nescio quid
est, quod eum, cui tantum debuit, ferre non potuerit; subest
aliquid"? Nemo non superioris dignitatem querendo, etiam si
non inquinauit, adspersit; nec quisquam fingere contentus est 10
leuia, cum magnitudine mendacii fidem quaerat.

XXXI, 1 Quanto illa melior uia, qua seruatur illi species amicitiae
et, si reuerti ad sanitatem uelit, etiam amicitia! Uincit malos
pertinax bonitas, nec quisquam tam duri infestique aduersus
diligenda animi est, ut etiam *in* iniuria bonos non amet, 15
2 quibus hoc quoque coepit debere, quod inpune non soluit. Ad
illa itaque cogitationes tuas flecte: „Non est relata mihi gratia;
quid faciam? quod di, omnium rerum optimi auctores, qui bene-
3 ficia ignorantibus dare incipiunt, ingratis perseuerant. Alius illis
obicit neglegentiam nostri, alius iniquitatem; alius illos extra 20
mundum suum proicit et ignauos hebetesque sine luce, sine ullo
opere destituit; alius solem, cui debemus, quod inter laborem
quietemque tempus diuisimus, quod non tenebris mersi con-
fusionem aeternae noctis effugimus, qui annum cursu suo tem-
perat et corpora alit, sata euocat, percoquit fructus, saxum ali- 25
quod aut fortuitorum ignium globum et quiduis potius quam deum
4 adpellat. Nihilo minus tamen more optimorum parentium, qui
maledictis suorum infantium adrident, non cessant di beneficia
congerere de beneficiorum auctore dubitantibus, sed aequali
tenore bona sua per gentes populosque distribuunt; unam poten- 30
tiam, prodesse, sortiti spargunt opportunis imbribus terras,
maria flatu mouent, siderum cursu notant tempora, hiemes aesta-
tesque interuentu lenioris spiritus molliunt, errorem labentium
5 animarum placidi ac propitii ferunt. Imitemur illos; demus,

---

1 profuerit *scripsi;* profuit **N** 2 potuit, uiolentia *add. Hpt.* 7 dicere *Mg.* desit **N** 7 *sqq.* quaerat, nec dicere: „Nescio . . . aliquid"? *dist. Mg.* quaerat nec desit? Nescio . . . aliquid *ug.* 8 potuerit *Wsbg.* potuit **N** 12 qua **N**[2] quae **N**[1] 15 in iniuria *L.* iniuriam **N** 16 inpugne **N**[1] *corr.* **N**[2] Ad illa **N**[2] Atilla **N**[1] 19 ignorantibus *Agricola;* ignoranti **N** 21 proicit **N**[2] prodicit **N**[1] 24 qui annum *Koch ex uno* **D**; quod annum **N** 27 parentium **N**[1] parentum **N**[2] 31 prodesse sortitis parcunt **N**[1] *corr.* **N**[2] 33 interuentu lenioris spiritus *duo* **D** *et ug.* interuentu leniore spu̅ **N**; interueniente leniore spiritu *He.* 34 animarum **N** animorum *edd. post Mt.*

etiam si multa *in* inritum data sunt; demus nihilo minus aliis, demus ipsis, apud quos facta iactura est. Neminem ad excitandas domos ruina deterruit, et, cum penates ignis absumpsit, fundamenta tepente adhuc area ponimus et urbes haustas saepius eidem
5 solo credimus; adeo ad bonas spes pertinax animus est. Terra marique humana opera cessarent, nisi male temptata retemptare libuisset. Ingratus est: non mihi fecit iniuriam, sed sibi; ego XXXII,1
beneficio meo, cum darem, usus sum. Nec ideo pigrius dabo sed diligentius; quod in hoc perdidi, ab aliis recipiam. Sed huic ipsi
10 beneficium dabo iterum et tamquam bonus agricola cura cultuque sterilitatem soli uincam; *aut* perit mihi beneficium, iste hominibus. Non est magni animi beneficium dare et perdere; hoc est magni animi, perdere et dare."

---

1 in *add.* D *et ug.* 2 tactura N^1 *corr.* N^1 3 absumpsit N^2 adsumpsit N^1 4 eidem (N^2 eodem) solo ponimus credimus N *corr. Gt.* 6 male temptata retemptare *scripsi* (*itemque uoluit Mg.*); male temptare temptare N 7 fecit N; *malim* facit 10 tamquam N^2 tã N^1 11 aut *addidi, uid. Adn.* hominibus *scripsi*; homnibus N^1 omnibus N^2

Subscriptionem huius libri, si qua praeter litteras $\overline{\text{LB}}$ *in* N *est, non enotaui.*

L. ANNAEI SENECAE

AD

NERONEM CAESAREM

DE CLEMENTIA

LIBER I.

I, 1 Scribere de clementia, Nero Caesar, institui, ut quodam modo speculi uice fungerer et te tibi ostenderem peruenturum ad uoluptatem maximam omnium. Quamuis enim recte factorum uerus fructus sit fecisse, nec ullum uirtutum pretium dignum illis extra ipsas sit, iuuat inspicere et circumire bonam consci- 5 entiam, tum inmittere oculos in hanc inmensam multitudinem discordem, seditiosam, inpotentem, in perniciem alienam suamque pariter exsultaturam, si hoc iugum fregerit, *et* ita loqui secum:
2 „Egone ex omnibus mortalibus placui electusque sum, qui in terris deorum uice fungerer? Ego uitae necisque gentibus ar- 10 biter; qualem quisque sortem statumque habeat, in mea manu positum est; quid cuique mortalium fortuna datum uelit, meo ore pronuntiat; ex nostro responso laetitiae causas populi urbesque concipiunt; nulla pars usquam nisi uolente propitioque me floret; haec tot milia gladiorum, quae pax mea conprimit, ad 15 nutum meum stringentur; quas nationes funditus excidi, quas transportari, quibus libertatem dari, quibus eripi, quos reges mancipia fieri quorumque capiti regium circumdari decus oporteat, quae ruant urbes, quae oriantur, mea iuris dictio
3 est. In hac tanta facultate rerum non ira me ad iniqua 20 supplicia conpulit, non iuuenilis inpetus, non temeritas ho-

---

5 circircum ire **N**[1] *corr.* **N**[2] 6 hac **N** *corr. ug.* 8 et *add. nonn.* **D** *et ug.* 9 Egone **N** ego *ug.* 15 gladiorũq; **N** *corr. ug.*

minum et contumacia, quae saepe tranquillissimis quoque pectoribus patientiam extorsit, non ipsa ostentandae per terrores potentiae dira sed frequens magnis imperiis gloria. Conditum, immo constrictum apud me ferrum est, summa parsimonia etiam uilissimi sanguinis; nemo non, cui alia desunt, hominis nomine apud me gratiosus est. Seueritatem abditam, at clementiam in 4 procinctu habeo; sic me custodio, tamquam legibus, quas ex situ ac tenebris in lucem euocaui, rationem redditurus sim. Alterius aetate prima motus sum, alterius ultima; alium dignitati donaui, alium humilitati; quotiens nullam inueneram misericordiae causam, mihi peperci. Hodie dis inmortalibus, si a me rationem repetant, adnumerare genus humanum paratus sum." Potes hoc, 5 Caesar, audacter praedicare, omnia, quae in fidem tutelam*que tuam uenerunt, tuta ha*beri, nihil per te neque ui neque clam *dari damni* rei publicae. Rarissimam laudem et nulli adhuc principum concessam concupisti, innocentiam. Non perdit operam nec bonitas ista tua singularis ingratos aut malignos aestimatores nancta est. Refertur tibi gratia; nemo unus homo uni homini tam carus umquam fuit quam tu populo Romano, magnum longumque eius bonum. Sed ingens tibi onus inposuisti; nemo 6 iam diuum Augustum nec Ti. Caesaris prima tempora loquitur nec, quod te imitari uelit, exemplar extra te quaerit; principatus tuus ad gustum exigitur. Difficile hoc fuisset, si non naturalis tibi ista bonitas esset sed ad tempus sumpta. Nemo enim potest personam diu ferre, ficta cito in naturam suam reccidunt; quibus ueritas subest, quaeque, ut ita dicam, ex solido enascuntur, tempore ipso in maius meliusque procedunt. Magnam adibat aleam 7 populus Romanus, cum incertum esset, quo se ista tua mobilis indoles daret; iam uota publica in tuto sunt; nec enim periculum est, ne te subita tui capiat obliuio. Facit quidem auidos nimia felicitas, nec tam temperatae cupiditates sunt umquam, ut in eo,

---

1 tranquillissimi **N**[1] *corr.* **N**[2] 5 desunt **N** desint *ug.* (*ex* **D**?) 7 ex situ *L. et nonn.* **D** exitu **N** 8 sim **N**[2] sum **N**[1] 11 peperci **N** peperi *coni. Bährens* (*Lect. Lat. Bonn 1870*) 13—15 tutelamque tuam uenerunt tuta haberi, nihil per te neque ui neque clam dari damni rei publicae *scripsi;* tute. lãberi nihil p̄ te | neq; uineq; clamati Rei p̄. **N**; *alii aliter eodem sensu corr.* 15 principium **N**[1] *corr.* **N**[2] 16 innocentiam **N** innocentiae *malit Wsbg.* perdit **N**[1] perdis **N**[2] 17 singulari **N**[1] *corr.* **N**[2] 18 tibi **N**[2] ti **N**[1] 19 PRo **N** 20 indigens **N** *corr. ug.* 23 ad gustum **N**; *fort.* ad gustum sui 26 exolido **N**[1] *corr.* **N**[2] 27 meliusq; **N**[2] melius **N**[1] 28 PRs **N** quo se ista tua *He.* quos estatus **N**[1] quo se status **N**[2] mobilis *scripsi;* nobilis **N** nobis *nonn.* **D** 30 nimi **N**[1] *corr.* **N**[2]

quod contigit, desinant; gradus a magnis ad maiora fit, et spes
inprobissimas conplectuntur insperata adsecuti; omnibus tamen
nunc ciuibus tuis et haec confessio exprimitur, esse *se* felices, et
8 illa, nihil iam his accedere bonis posse, *nisi* ut perpetua sint. Multa
illos cogunt ad hanc confessionem, qua nulla in homine tardior est: 5
securitas alta, adfluens, ius supra omnem iniuriam positum obuer-
satur oculis, laetissima forma rei publicae, cui ad summam liberta-
9 tem nihil deest nisi pereundi licentia. Praecipue tamen aequalis
ad maximos imosque peruenit clementiae tuae admiratio; cetera
enim bona pro portione fortunae suae quisque sentit aut expectat 10
maiora minoraque, ex clementia omnes idem sperant; nec est
quisquam, cui tam ualde innocentia sua placeat, ut non stare in
conspectu clementiam paratam humanis erroribus gaudeat.

II, 1 Esse autem aliquos scio, qui clementiam pessimum quem-
que putent sustinere, quoniam nisi post crimen superuacua 15
est et sola haec uirtus inter innocentes cessat. Sed primum
omnium, sicut medicinae apud aegros usus, etiam apud sanos
honor est, ita clementiam, quamuis poena digni inuocent, etiam
innocentes colunt. Deinde habet haec in persona quoque inno-
centium locum, quia interim fortuna pro culpa est; nec inno- 20
centiae tantum clementia succurrit, sed saepe uirtuti, quoniam
quidem condicione temporum incidunt quaedam, quae possint
laudata puniri. Adice, quod magna pars hominum est, quae
2 reuerti ad innocentiam possit, si *. Non tamen uulgo igno-
scere decet; nam ubi discrimen inter malos bonosque sublatum 25
est, confusio sequitur et uitiorum eruptio; itaque adhibenda
moderatio est, quae sanabilia ingenia distinguere a deploratis
sciat. Nec promiscuam habere ac uulgarem clementiam oportet
nec abscisam; nam tam omnibus ignoscere crudelitas *est* quam
nulli. Modum tenere debemus; sed quia difficile est tempera- 30
mentum, quidquid aequo plus futurum est, in partem humaniorem
praeponderet.

---

1 contigit *Er.* contingit **N** 2 onibus **N**[1] *corr.* **N**[2] 3 se *add. Er.* 4 nisi *add. ug.* 6 positum obuersatur oculis, laet. *distinxi:* positum. Obuersatur oculis laet. *ug.* obuersatur *ug.* obuersasatur **N**[1] obuersabatur **N**[2] 7 formaret p̄. **N**[1] *corr.* **N**[2] 8 pereundi licentia *ug.* per eum diligentia **N** aequales **N**[1] *corr.* **N**[2] 11 clentia **N**[1] *corr.* **N**[2] 12 placea **N**[1] *corr.* **N**[2] 14—15 clementiam .. sustinere *scripsi;* clementia .. sustinere **N**[1] clementia .. sustineri **N**[2] *ut ug.* 20 innocentiae tantum *ug.* innocentia aetatum **N**[1] innocenti aetatim **N**[2] 23 laudata **N**; *malim* laudanda 24 possit si non **N**; possit. Sed non *ug.*; *aliqua hic desiderari L. et Gl. uiderunt; ego haec supple-uerim:* non sustuleris spem ueniae 25 bonos quae **N**[1] *corr.* **N**[2] 26 adibenda **N**[1] *corr.* **N**[2] 29 est *add. ug.* 30 modō **N**[1] *corr.* **N**[2]

Sed haec suo melius loco dicentur. Nunc in tres partes III,1
omnem hanc materiam diuidam. Prima erit † manumissionis;
secunda ea, quae naturam clementiae habitumque demonstret:
nam cum sint uitia quaedam uirtutes imitantia, non possunt
5 secerni, nisi *iis* signa, quibus dinoscantur, inpresseris; tertio
loco quaeremus, quomodo ad hanc uirtutem perducatur animus,
quomodo confirmet eam et usu suam faciat.

Nullam ex omnibus uirtutibus homini *magis* conuenire, cum 2
sit nulla humanior, constet necesse est non solum inter nos, qui
10 hominem sociale animal, communi bono genitum, uideri uolumus,
sed etiam inter illos, qui hominem uoluptati donant, quorum
omnia dicta factaque ad utilitates suas spectant; nam si quietem
petit et otium, hanc uirtutem naturae suae nanctus est, quae
pacem amat et manus retinet. Nullum tamen clementia ex omni- 3
15 bus magis quam regem aut principem decet. Ita enim magnae
uires decori gloriaeque sunt, si illis salutaris potentia est; nam
pestifera uis est ualere ad nocendum. Illius demum magnitudo
stabilis fundataque est, quem omnes tam supra se esse quam pro
se sciunt, cuius curam excubare pro salute singulorum atque
20 uniuersorum cotidie experiuntur, quo procedente non, tamquam
malum aliquod aut noxium animal e cubili prosilierit, diffugiunt,
sed tamquam ad clarum ac beneficum sidus certatim aduolant.
Obicere se pro illo mucronibus insidiantium paratissimi et sub-
sternere corpora sua, si per stragem illi humanam iter ad salutem
25 struendum sit, somnum eius nocturnis excubiis muniunt, latera
obiecti circumfusique defendunt, incurrentibus periculis se oppo-
nunt. Non est hic sine ratione populis urbibusque consensus 4
sic protegendi amandique regis et se suaque iactandi, quandocum-
que desiderauit imperantis salus; nec haec uilitas sui est aut
30 dementia, pro uno capite tot milia excipere ferrum ac multis
mortibus unam animam redimere, non numquam senis et inualidi.
Quemadmodum totum corpus animo deseruit et, cum hoc tanto 5

---

2 diuidam **N**² deuitã **N**¹ manumissionis **N** *corrupte;* manus iniectionis *Mg.; fort.* mansuefactionis 3 secunda ea, quae *scripsi;* secunde atq; **N**¹ secunda q; **N**² secunda, quae *ug.* demonstrent **N** *corr. ug.* 5 iis *addidi* 6 quaeremus *ug.* querimus **N** 8 magis *add. ug. ex nonn.* **D** (*sed ante* homini); sic *add. alii* **D** 10 commune ibono genitõ **N**¹ *corr.* **N**² 12 utilitates suas **N** utilitatem suam *ug.* spetant **N**¹ *corr.* **N**² 13 & totium **N**¹ *corr.* **N**² 16 gloriae quae **N**¹ *corr.* **N**² 21 malo **N**¹ *corr.* **N**² 22 beneficium **N**¹ *corr.* **N**² 22 *sqq.* aduolant. Obicere . . sit, somnum *interpunxi;* aduolant, obicere . . sit. Somnum *ug.* 28 regis *scripsi;* reges **N** quandocumque *scripsi;* quo (*pro* quõ) cumque **N** 31 inualidis **N**¹ *corr.* **N**²

maius tantoque speciosius sit, ille in occulto maneat tenuis et in qua sede latitet incertus, tamen manus, pedes, oculi negotium illi gerunt, illum haec cutis munit, illius iussu iacemus aut inquieti discurrimus, cum ille imperauit, siue auarus dominus est, mare lucri causa scrutamur, siue ambitiosus, iam dudum dex- 5 teram flammis obicimus † aut uoluntariam subsiluimus, sic haec inmensa multitudo unius animae circumdata illius spiritu regitur, illius ratione flectitur pressura se ac fractura uiribus suis, nisi consilio sustineretur.

IV,1 Suam itaque incolumitatem amant, cum pro uno homine 10 densas legiones in aciem deducunt, cum in primam frontem procurrunt et aduersa uulneribus pectora ferunt, ne imperatoris sui signa uertantur. Ille est enim uinculum, quo res publica cohaeret, ille spiritus uitalis, quem haec tot milia trahunt, nihil ipsa per se futura nisi onus et praeda, si mens illa imperii sub- 15 trahatur.

Rege incolumi mens omnibus una;
amisso rupere fidem.

2 Hic casus Romanae pacis exitium erit, hic tanti fortunam populi in ruinas aget; tam diu ab isto periculo aberit hic populus, quam 20 diu sciet ferre frenos, quos si quando abruperit uel aliquo casu discussos reponi sibi passus non erit, haec unitas et hic maximi imperii contextus in partes multas dissiliet, idemque huic urbi 3 finis dominandi erit, qui parendi fuerit. Ideo principes regesque et quocumque alio nomine sunt tutores status publici non est 25 mirum amari ultra priuatas etiam necessitudines; nam si sanis hominibus publica priuatis potiora sunt, sequitur, ut is quoque carior sit, in quem se res publica conuertit. Olim enim ita se induit rei publicae Caesar, ut seduci alterum non posset sine utriusque pernicie; nam et illi uiribus opus est et huic capite. 30

V,1 Longius uidetur recessisse a proposito oratio mea, at mehercules rem ipsam premit. Nam si, quod adhuc conligit, tu ani-

---

2 se delatit & **N**[1] *corr.* **N**[2] 3 inquieti **N**[2] inquietis **N**[1]; *an* inquietes? 6 flamis **N** obicimus *unus* **D**; obiecimus **N** uoluntariam subsiluimus **N** *corruptè;* uoluntarie (*potius* uoluntarii) sub solum iuimus *L.*, *quod fort. uerum est, modo* imus *scribatur* 7 animae circumdata *ug.* anima circadata **N** 8 praessura **N**[1] *corr.* **N**[2] 11 densas *scripsi;* denas **N** 13 quo res p. *scripsi;* peioresp̄ **N**[1] per quod resp̄. **N**[2] 17 una **N** una est *codd. Uerg.* (*Georg. IV, 212*) 22 discussus **N**[1] *corr.* **N**[2] 24 principis **N**[1] *corr.* **N**[2] 26 mirū ari **N**[1] *corr.* **N**[2] 27 his quoq; **N**[1] *corr.* **N**[2] 29 ut seduci **N**[2] uis educi **N**[1] posset **N** possit *ug.* 30 et illi *unus* **D** ut illi **N**; *ug.* ut illi.. est, ita (*om.* **N**) et huic **N**[2] hic **N**[1] 32 colligit, tu **N** colligitur, tu *Fickert ex duob.* **D**; colligitur, a. r. tu es *ug.*

mus rei publicae tuae es, illa corpus tuum, uides, ut puto, quam necessaria sit clementia; tibi enim parcis, cum uideris alteri parcere. Parcendum itaque est etiam inprobandis ciuibus non aliter quam membris languentibus, et, si quando misso sanguine opus
5 est, sustinenda est *manus,* ne ultra, quam necesse sit, incidat. Est 2
ergo, ut dicebam, clementia omnibus quidem hominibus secundum naturam, maxime tamen decora imperatoribus, quanto plus habet apud illos, quod seruet, quantoque in maiore materia adparet. Quantulum enim nocet priuata crudelitas! *at* principum
10 saeuitia bellum est. Cum autem uirtutibus inter *se sit* concordia 3
nec ulla altera melior aut honestior sit, quaedam tamen quibusdam personis aptior est. Decet magnanimitas quemlibet mortalem, etiam illum, infra quem nihil est; quid enim maius aut fortius quam malam fortunam retundere? haec tamen magna-
15 nimitas in bona fortuna laxiorem locum habet meliusque in tribunali quam in plano conspicitur. Clementia, in quamcumque 4
domum peruenerit, eam felicem tranquillamque praestabit, sed in regia, quo rarior, eo mirabilior. Quid enim est memorabilius quam eum, cuius irae nihil obstat, cuius grauiori sententiae ipsi,
20 qui pereunt, adsentiuntur, quem nemo interpellaturus est, immo, si uehementius excanduit, ne deprecaturus [est] quidem, ipsum sibi manum inicere et potestate sua in melius placidiusque uti hoc ipsum cogitantem: „Occidere contra legem nemo non potest, seruare nemo praeter me.“ Magnam fortunam magnus ani- 5
25 mus decet, qui, nisi se ad illam extulit et altior stetit, illam quoque infra † terram deducit; magni autem animi proprium est placidum esse tranquillumque et iniurias atque offensiones superne despicere. Muliebre est furere in ira, ferarum uero et *ne* generosarum quidem praemordere et urguere proiectos. Elephanti
30 leonesque transeunt, quae inpulerunt; ignobilis bestiae pertinacia est. Non decet regem saeua nec inexorabilis ira, non multum 6
enim supra eum eminet, cui se irascendo exaequat; at si dat uitam, si dat dignitatem periclitantibus et meritis amittere, facit, quod nulli nisi rerum potenti licet; uita enim etiam superiori

---

5 sustinenda est manus, ne.. incidat *He.* sustinenda est, ne.. insidat **N** sustinendum est (*ug.*), ne.. incidas *Pinc.* 8 quod **N**² qud **N**¹ 9 at *addidi* 10 inter se sit *ug.* inter **N**; *fort.* intercedat 12 magna animitas **N**¹ *corr.* **N**² 18 rarior, eo **N**² ratior o **N**¹ memorabilius **N** mirabilius *nonn.* **D** *et edd.; potius paulo ante scripserim* memorabilior *pro* mirabilior; *cfr. de Ira II, 23, 3.* 21 est *del. ug.* 25 se **N**² sed **N**¹ 26 infra terram **N** *corrupte;* in terram *uel* infra, ad terram *L.; fort.* infra seruam 27 supnae dispicere **N**¹ *corr.* **N**² 28 ne *add. He.* 31 nec **N** et *ug.* (*ex* **D**?) 32 dat uitam, si dat *ug.* dat uitati dat **N** 33 admittere **N**¹ *corr.* **N**²

7 eripitur, numquam nisi inferiori datur. Seruare proprium est excellentis fortunae, quae numquam magis suspici debet, quam cum illi contigit idem posse quod dis, quorum beneficio in lucem edimur tam boni quam mali. Deorum itaque sibi animum adserens princeps alios ex ciuibus suis, quia utiles bonique sunt, libens uideat, alios in numerum relinquat; quosdam esse gaudeat, quosdam patiatur.

VI, 1 Cogitato, in hac ciuitate, in qua turba per latissima itinera sine intermissione defluens eliditur, quotiens aliquid obstitit, quod cursum eius uelut torrentis rapidi moraretur, in qua tribus eodem tempore theatris uiae po*pulo* stipantur, in qua consumitur, quidquid terris omnibus aratur, quanta solitudo ac uastitas futura sit, si nihil relinquetur, nisi quod iudex seuerus absoluerit.
2 Quotus quisque ex quaesitoribus est, qui non et ipse ea lege teneatur, qua quaerit? quotus quisque accusator uacat culpa? Et nescio, an nemo ad dandam ueniam difficilior sit, quam qui
3 illam petere saepius meruit. Peccauimus omnes, alii grauia, alii leuiora, alii ex destinato, alii forte inpulsi aut aliena nequitia ablati; alii in bonis consiliis parum fortiter stetimus et innocentiam inuiti ac retinentes perdidimus; nec deliquimus tantum sed
4 usque ad extremum aeui delinquemus. Etiam si quis tam bene iam purgauit animum, ut nihil obturbare eum amplius possit ac fallere, ad innocentiam tamen peccando peruenit.

VII, 1 Quoniam deorum feci mentionem, optime hoc exemplum principi constituam, ad quod formetur, ut se talem esse ciuibus quales sibi deos uelit. Expedit ergo habere inexorabilia peccatis atque erroribus numina, expedit usque *ad* ultimam infesta perniciem? Ecquis regum erit tutus? cuius non membra haruspices
2 conligent? Quod si di placabiles et aequi delicta potentium non statim fulminibus persequuntur, quanto aequius est hominem hominibus praepositum miti animo exercere imperium et cogitare, uter mundi status gratior oculis pulchriorque sit, sereno et puro die, an cum fragoribus crebris omnia quatiuntur et ignes

---

2 suscepici N¹ *corr.* N² 8 Cogitato *Hpt.* Cogitate N 9 eliditur *ug.* eligitur N 11 uiae populo stipantur *scripsi incerta coniectura;* ui|ae postolantur N; *uid. Adn.* 13 relinquetur *Wsbg.* relinquitur N 14 quod tu quisquae N¹ *corr.* N² quaesitoribus *Mg.* quaestoribus N et ipse ea *scripsi;* ex ipsa ea N (ea *del.* N²) 20 retinentes N renitentes *ug.* deliquimus *He. ex uno* D; derelinquimus N 21 delinquemus N¹ delinquimus N² 25 constuam N *corr. ug.* 27 nomina N¹ *corr.* N² ad *add.* N² 28 Ecquis *Pinc.* et quis N regnum N¹ *corr.* N² totus N¹ *corr.* N² tutus? cuius.. colligent? *Mg.* totus, cuius.. colligant? N harruspicis N¹ *corr.* N² 29 aequi *ug.* aeq; N 31 mitti N¹ *corr.* N² 32 uter N utrum *ug.* 33 diae ancomfragoribus N¹ *corr.* N²

hinc atque illinc micant! atqui non alia facies est quieti moderatique imperii quam sereni caeli et nitentis. Crudele regnum tur- 3
bidum tenebrisque obscurum est, inter trementes et ad repentinum sonitum expauescentes ne eo quidem, qui omnia pertur-
5 bat, inconcusso. Facilius priuatis ignoscitur pertinaciter se uindicantibus; possunt enim laedi, dolorque eorum ab iniuria uenit, timent praeterea contemptum, et non rettulisse laedentibus gratiam infirmitas uidetur, non clementia; at cui ultio in facili est, is omissa ea certam laudem mansuetudinis consequitur. Hu- 4
10 mili loco positis exercere manum, litigare, in rixam procurrere ac morem irae suae gerere liberius est; leues inter paria ictus sunt; regi uociferatio quoque uerborumque intemperantia non ex maiestate est.

Graue putas eripi loquendi arbitrium regibus, quod humil- VIII, 1
15 limi habent. „Ista" inquis „seruitus est, non imperium." Quid? tu non experiris † istud nobis esse tibi seruitutem? Alia condicio est eorum, qui in turba, quam non excedunt, latent, quorum et uirtutes, ut adpareant, diu luctantur et uitia tenebras habent; uestra facta dictaque rumor excipit, et ideo nullis magis curan-
20 dum est, qualem famam habeant, quam qui, qualemcumque meruerint, magnam habituri sunt. Quam multa tibi non licent, quae 2
nobis beneficio tuo licent! Possum in qualibet parte urbis solus incedere sine timore, quamuis nullus sequatur comes, nullus custos sit domi, nullus ad latus gladius; tibi in tua arce armato
25 uiuendum est. Aberrare a fortuna tua non potes; obsidet te et, quocumque descendis, magno adparatu sequitur. Est haec sum- 3
mae magnitudinis seruitus non posse fieri minorem; sed cum dis tibi communis ista necessitas est. Nam illos quoque caelum adligatos tenet, nec magis illis descendere datum est quam tibi;
30 tu item fastigio tuo adfixus es. Nostros motus pauci sentiunt, 4
prodire nobis ac recedere et mutare habitum sine sensu publico licet; tibi non magis quam soli latere contingit. Multa circa te

---

1 moderati *ug. et unus* D morati N 2 nitentis N² nititentes N¹ 4 expauiscentes N perturbat N² praeturbat N¹ 6 laedi *ug.* lædi N 7 lętentibus N¹ *corr.* N² 10 ligare N¹ *corr.* N² 11 morem N *sed* em *in ras.* N² 15 inquis *edd. ant. et nonn.* D inquit N 16 istud nobis esse tibi seruitutem N *corrupte; fort.* sicut nobis esse tibi seruitutem; *uid. Adn.* 18 appereant N *corr. ug.* 19 dictaque N² dicquae N¹ 23 sine N² inae N¹ 24 custos *add. Wsbg.* arce *Baehrens;* pace N 26 decendis N *corr. ug.* 28 ista *Er.* ipsa N 29 tibi; tu item fastigio *scripsi;* tibi tutum. fastigio N; tutum *del. Mt.*; tibi. Tu fast. *Baehrens* 30 es N² est N¹ 32 contingit N contigit *malit Wsbg.* circa *He.* (*praef. vol. III*) *et iam L.;* contra N

lux est, omnium in istam conuersi oculi sunt; prodire te putas?
5 oriris. Loqui non potes, nisi ut uocem tuam, quae ubique sunt
gentes, excipiant; irasci non potes, nisi ut omnia tremant, quia
neminem adfliges, nisi ut, quidquid circa fuerit, quatiatur. Ut
fulmina paucorum periculo cadunt, omnium metu, sic animad- 5
uersiones magnarum potestatum terrent latius quam nocent, non
sine causa; non enim, quantum fecerit, sed quantum facturus sit,
6 cogitatur in eo, qui omnia potest. Adice nunc, quod priuatos
homines ad accipiendas iniurias opportuniores acceptarum pa-
tientia facit; regibus certior est ex mansuetudine securitas, quia 10
frequens uindicta paucorum odium opprimit, omnium inritat.
7 Voluntas oportet ante saeuiendi quam causa deficiat; alioqui, quem-
admodum praecisae arbores plurimis ramis repullulant, et multa
satorum genera, ut densiora surgant, reciduntur, ita regia cru-
delitas auget inimicorum numerum tollendo; parentes enim libe- 15
rique eorum, qui interfecti sunt, et propinqui et amici in locum
singulorum succedunt.

IX, 1 Hoc quam uerum sit, admonere te exemplo domestico uolo.
Diuus Augustus fuit mitis princeps, si quis illum a principatu
suo aestimare incipiat; in communi quidem re publica gladium 20
mouit. Cum hoc aetatis esset, quod tu nunc es, duodeuicesimum
egressus annum, iam pugiones in sinum amicorum absconderat,
iam insidiis M. Antonii consulis latus petierat, iam fuerat collega
2 proscriptionis. Sed cum annum sexagesimum transisset *et* in
Gallia moraretur, delatum est ad eum indicium L. Cinnam, sto- 25
lidi ingenii uirum, insidias ei struere; dictum est, et ubi *et quando*
et quemadmodum adgredi uellet; unus ex consciis deferebat.
3 Constituit se ab eo uindicare et consilium amicorum aduocari
iussit. Nox illi inquieta erat, cum cogitaret adulescentem nobilem,
hoc detracto integrum, Cn. Pompeii nepotem, damnandum; iam 30
unum hominem occidere non poterat, cui M. Antonius proscrip-
4 tionis edictum inter cenam dictarat. Gemens subinde uoces uarias
emittebat et inter se contrarias. „Quid ergo? ego percussorem
meum securum ambulare patiar me sollicito? Ergo non dabit

---

1 putas *multi edd.* putes **N** 3 tremant, quia neminem adfliges (*aut* adfligere) *He. praef. uol. III* (tremant *inuenerat Mt.*); praemant quia neminem | adflige **N**[1] praemantur. sic neminem adfligere **N**[2]
20 re publica *ug.* reip **N** reipublicae clade *Mg.* 22 sinum **N** sinu *edd. antq.* 24 proscribitionis **N** sexagesimum (LX) *Wesseling;* quadragensimum **N** et *add. ug.* 26 et quando *add. ug.* (*ex* D?)
28 constituisse ab eo **N** *corr. ug.* 31—32 cui M. Antonius.. dictarat *Mg.* cum M. antonius.. dictaret **N**; cum (qui *L.*) M. Antonio.. dictarat *Pinc.*

poenas, qui tot ciuilibus bellis frustra petitum caput, tot nauali-
bus, tot pedestribus proeliis incolume, postquam terra marique
pax parata est, non occidere constituat sed inmolare?" (nam
sacrificantem placuerat adoriri). Rursus silentio interposito maiore 5
5 multo uoce sibi quam Cinnae irascebatur: „Quid uiuis, si perire
te tam multorum interest? quis finis erit suppliciorum? quis
sanguinis? Ego sum nobilibus adulescentulis expositum caput,
in quod mucrones acuant; non est tanti uita, si, ut ego non
peream, tam multa perdenda sunt." Interpellauit tandem illum 6
10 Liuia uxor et: „Admittis" inquit „muliebre consilium? Fac,
quod medici solent, qui, ubi usitata remedia non procedunt, temp-
tant contraria. Seueritate nihil adhuc profecisti; Saluidienum
Lepidus secutus est, Lepidum Murena, Murenam Caepio, Caepio-
nem Egnatius, ut alios taceam, quos tantum ausos pudet. Nunc
15 tempta, quomodo tibi cedat clementia; ignosce L. Cinnae. De-
prensus est; iam nocere tibi non potest, prodesse famae tuae
potest." Gauisus, sibi quod aduocatum inuenerat, uxori quidem 7
gratias egit, renuntiari autem extemplo amicis, quos in consilium
rogauerat, imperauit et Cinnam unum ad se accersit dimissisque
20 omnibus e cubiculo, cum alteram Cinnae poni cathedram iussis-
set: „Hoc" inquit „primum a te peto, ne me loquentem inter-
pelles, ne medio sermone meo proclames; dabitur tibi loquendi
liberum tempus. Ego te, Cinna, cum in hostium castris inuenis- 8
sem, non factum tantum mihi inimicum sed natum, seruaui, pa-
25 trimonium tibi omne concessi. Hodie tam felix et tam diues es,
ut uicto uictores inuideant. Sacerdotium tibi petenti praeteritis
conpluribus, quorum parentes mecum militauerant, dedi; cum
sic de te meruerim, occidere me constituisti." Cum ad hanc 9
uocem exclamasset procul hanc ab se abesse dementiam: „Non
30 praestas" inquit „fidem, Cinna; conuenerat, ne interloquereris.
Occidere, inquam, me paras"; adiecit locum, socios, diem, or-
dinem insidiarum, cui conmissum esset ferrum. Et cum defixum 10
uideret nec ex conuentione iam sed ex conscientia tacentem:
„Quo" inquit „hoc animo facis? ut ipse sis princeps? male me-
35 hercules cum populo Romano agitur, si tibi ad imperandum nihil
praeter me obstat. Domum tueri tuam non potes, nuper liber-

---

3 parata N^1 parta N^2 *ut ug.* constituat N constituit *L.* 10 muebrae N *corr. ug.* 11 usitare media N^1 *corr.* N^2 12 saluidenum N 14 pudet N^2 putet N^1 15 cedat *ug.* caedat N 17 Gauisus, sibi quod *dist. Mg.* Gauisus sibi, quod *ug.* Gauisus ibi, quod *conieceram* 19 arcersit N accersiuit *Wsbg.* demissisque N^1 *corr.* N^2 22 sermones N^1 *corr.* N^2 32 esset N^2 estset N^1 33 uiderit N^1 *corr.* N^2 34 sis N^2 sit N^1 35 p.R N

tini hominis gratia in priuato iudicio superatus es; adeo nihil facilius potes quam contra Caesarem aduocare. Cedo, sis, spes tuas solus impedio? Paulusne te et Fabius Maximus et Cossi et Seruilii ferent tantumque agmen nobilium non inania nomina praeferentium sed eorum, qui imaginibus suis decori sunt?" 5
11 Ne totam eius orationem repetendo magnam partem uoluminis occupem (diutius enim quam duabus horis locutum esse constat, cum hanc poenam, qua sola erat contentus futurus, extenderet): „Uitam" inquit „tibi, Cinna, iterum do, prius hosti, nunc insidiatori ac parricidae. Ex hodierno die inter *nos* amicitia incipiat; 10 contendamus, utrum ego meliore fide tibi uitam dederim an tu
12 debeas." Post hoc detulit ultro consulatum questus, quod non auderet petere. Amicissimum fidelissimumque habuit, heres solus illi fuit. Nullis amplius insidiis ab ullo petitus est.

X, 1 Ignouit abauus tuus uictis; nam si non ignouisset, quibus 15 imperasset? Sallustium et Cocceios et Deillios et totam cohortem primae admissionis ex aduersariorum castris conscripsit; iam Domitios, Messallas, Asinios, Cicerones, quidquid floris erat in ciuitate, clementiae suae debebat. Ipsum Lepidum quam diu mori passus est! per multos annos tulit ornamenta principis re- 20 tinentem et pontificatum maximum non nisi mortuo illo transferri in se passus est; maluit enim illum honorem uocari quam
2 spolium. Haec eum clementia ad salutem securitatemque perduxit; haec gratum ac fauorabilem reddidit, quamuis nondum subactis populi Romani ceruicibus manum inposuisset; haec ho- 25 dieque praestat illi famam, quae uix uiuis principibus seruit.
3 Deum esse non tamquam iussi credimus. Bonum principem Augustum, bene illi parentis nomen conuenisse fatemur ob nullam aliam causam, quam quod contumelias quoque suas, quae acerbiores principibus solent esse quam iniuriae, nulla crudeli- 30 tate exsequebatur, quod probrosis in se dictis adrisit, quod dare illum poenas adparebat, cum exigeret, quod, quoscumque ob

---

2 aduocare. Cedo *distinxi;* aduocare? Cedo *ug.* Cedo, sis, spes.. impedio? Paulusne *scripsi et distinxi*; cedo si spes.. impendio (impedio **N**²) Paulusne **N**¹; *uid. Adn.* 4 seruilia **N** *corr. ug.* 7 occupem *ug.* occupit **N**¹ occupet **N**² quam *abesse malit Wsbg.* 10 nos *add.* **N**²; *excid. fort.* nos uera 12 hoc **N** haec *ug., fort. rectius* consulatum questus *ug.* consulatus quae stus **N** 13 solu **N**¹ *corr.* **N**² 15 abauos (**N**² abauus) tuos **N**¹ *corr. ug.* 16 *malim* Sallustios Deillios *L.* du ollios **N** chortem primã **N**; primae *Modius ex uno* **D** 20 retinentes **N** *corr.* **N**¹ 22 honerem **N** 25 p.R **N** 26 praesta **N** *corr. ug.* uix uiuis *ug.* uix ei ibis **N** 27 credimus bonum esse principem **N**; esse *del. ug.; uid. Adn.*

adulterium filiae suae damnauerat, adeo non occidit, ut dimissis iis, quo tutiores essent, diplomata daret. Hoc est ignoscere, cum 4 scias multos futuros, qui pro te irascantur et tibi sanguine alieno gratificentur, non dare tantum salutem sed praestare.

5 Haec Augustus senex aut iam in senectutem annis uergen- XI, 1 tibus; in adulescentia caluit, arsit ira, multa fecit, ad quae inuitus oculos retorquebat. Conparare nemo mansuetudini tuae audebit diuum Augustum, etiam si in certamen iuuenilium annorum deduxerit eius senectutem plus quam maturam; fuerit moderatus 10 et clemens, nempe post mare Actiacum Romano cruore infectum, nempe post fractas in Sicilia classes et suas et alienas, nempe post Perusinas aras et proscriptiones. Ego uero clementiam non 2 uoco lassam crudelitatem; haec est, Caesar, clementia uera, quam tu praestas, quae non saeuitiae paenitentia coepit, nullam ha- 15 bere maculam, numquam ciuilem sanguinem fudisse; haec est in maxima potestate uerissima animi temperantia et humani generis conprendens ut sui amor, non cupiditate aliqua, non temeritate ingenii, non priorum principum exemplis conruptum, quantum sibi in ciues suos liceat, experiendo temptare, sed hebetare aciem 20 imperii sui. Praestitisti, Caesar, ciuitatem incruentam, et hoc, 3 quod magno animo gloriatus es, nullam te toto orbe stillam cruoris humani misisse, eo maius est mirabiliusque, quod nulli umquam citius gladius conmissus est.

Clementia ergo non tantum honestiores sed tutiores prae- 4 25 stat, ornamentumque imperiorum est simul et certissima salus. Quid enim est, cur reges consenuerint liberisque ac nepotibus tradiderint regna, tyrannorum exsecrabilis ac breuis potestas sit? Quid interest inter tyrannum ac regem (species enim ipsa fortunae ac licentia par est), nisi quod tyranni in uoluptatem sae- 30 uiunt, reges non nisi ex causa ac necessitate?

---

1 occidi N[1] *corr.* N[2] dimissis iis *scripsi;* demisisis N[1] dimisisis N[2] 4 gratificentur *ug.* gratificentē (*ortum ex* gratificentr) N salute N *corr. ug.* 5 senix N 6 atq; inuitus oculus retrorquebat N *corr. ug.* (*an fuit* retro torquebat?) 7 mansuetudinę N *corr. ug.* 9 eius senectutem *scripsi;* &|senectutem N; & *del. ug.* 12 Perusinas *ug.* Perusionas N; *an fuit* Perusianas? 14 caepit N 15 fudisse *ug.* fuisse N 17 conprendens ut sui amor *scripsi dubitanter;* conpraendittesibi mor N *corrupte;* conprehensibilis (*actiue*) amor *Er. et alii* 18 ingenii *Baehrens;* incendii N incendi *ug.* 21 toto orbe *ug.* totorbem N 22 eo maius *ug.* comaius N 24 totiores N *corr. ug.* 26—27 cur.. potestas sit? *Mg.* cū.. potetas sit N; cur *inuenerat Gr., sed ed.* potestas est? 28—30 regem (species.. est), nisi.. necessitate? *interpunxi;* regem? species.. est, nisi.. necessitate. *ug.* 29 nisi *ug.* ni N in uoluptate N *corr. Fickert ex nonn.* D

XII, 1 „Quid ergo? non reges quoque occidere solent?“ Sed quotiens id fieri publica utilitas persuadet; tyrannis saeuitia cordi est. Tyrannus autem a rege factis distat, non nomine; nam et Dionysius maior iure meritoque praeferri multis regibus potest, et L. Sullam tyrannum adpellari quid prohibet, cui occidendi 5
2 finem fecit inopia hostium? Descenderit licet e dictatura sua et se togae reddiderit, quis tamen umquam tyrannus tam auide humanum sanguinem bibit quam ille, qui septem milia ciuium Romanorum contrucidari iussit et, cum in uicino ad aedem Bellonae sedens exaudisset conclamationem tot milium sub gladio 10 gementium, exterrito senatu: „Hoc agamus“ inquit, „P. C.; seditiosi pauculi meo iussu occiduntur“? Hoc non est mentitus;
3 pauci Sullae uidebantur. Sed mox de Sulla, cum quaeremus, quomodo hostibus irascendum sit, utique si in hostile nomen ciues et ex eodem corpore abrupti transierint; interim, hoc quod 15 dicebam, clementia efficit, ut magnum inter regem tyrannumque discrimen sit. Uterque licet non minus *altero* armis ualletur; sed alter arma habet, quibus in munimentum pacis utitur, alter, ut magno timore magna odia conpescat; nec illas ipsas manus,
4 quibus se conmisit, securus adspicit. Contrariis in contraria agi- 20 tur; nam cum inuisus sit, quia timetur, timeri uult, quia inuisus est, et illo exsecrabili uersu, qui multos praecipites dedit, utitur:

„Oderint, dum metuant“,

ignarus, quanta rabies oriatur, ubi supra modum odia creuerunt. Temperatus enim timor cohibet animos, adsiduus uero et acer et 25 extrema admouens in audaciam iacentes excitat et omnia experiri
5 suadet. Sic feras linea et pinnae clusas contineant, easdem a tergo eques telis incessat: temptabunt fugam per ipsa, quae fugerant, proculcabuntque formidinem. Acerrima uirtus est, quam ultima necessitas extundit. Relinquat oportet securi aliquid metus 30 multoque plus spei quam periculorum ostentet; alioqui, ubi quiescenti paria metuuntur, incurrere in pericula iuuat et *ut* aliena anima abuti.

---

3 factis dis|non nomine **N** *corr. ug.* 5 Sillã **N** *ut fere semper* 8 bibit *ug.* uiuit **N** 12 iusso **N** *corr. ug.* 13 paucis|ille **N** *corr. ug.* cum quaeremus *Mg.* consequeremur **N** 15 ex eodem *ug.* exodem **N** 17 sit. Uterque . . ualletur; sed *interpunxi;* sit, uterque . . ualletur. sed *ug.* altero *add. Wsbg.* dominus *pro* non minus *coni. Mg.* armis ualletur *ug.* ar ualletur **N** 18 utitur **N** utatur *Wsbg., fort. recte* 21 nam cum *Fickert ex duob.* **D** nan c **N** 22 uerso **N** *corr. ug.* 24 rapies **N** *corr. ug.* 26 excita **N** *corr. ug.* 27 lineas **N** *sed* s *exp.* **N**[1] contineant, easdem a tergo *scripsi;* contineas demat ergo **N** 32 ut *add. He.*

Placido tranquilloque regi fida sunt auxilia sua, ut quibus XIII,1
ad communem salutem utatur, gloriosusque miles (publicae enim
securitati se dare operam uidet) omnem laborem libens patitur ut
parentis custos; at illum acerbum et sanguinarium necesse est
5 grauentur stipatores sui. Non potest habere quisquam bonae ac 2
fidae uoluntatis ministros, quibus in tormentis ut eculeo et ferra-
mentis ad mortem paratis utitur, quibus non aliter quam bestiis
homines obiectat, omnibus reis aerumnosior ac sollicitior, ut
qui homines deosque testes facinorum ac uindices timeat, eo per-
10 ductus, ut non liceat illi mutare mores. Hoc enim inter cetera
uel pessimum habet crudelitas: perseuerandum est nec ad me-
liora patet regressus; scelera enim sceleribus tuenda sunt. Quid
autem eo infelicius, cui iam esse malo necesse est? O misera- 3
bilem illum, sibi certe! nam ceteris misereri eius nefas est, qui
15 caedibus ac rapinis potentiam exercuit, qui suspecta sibi cuncta
reddidit tam externa quam domestica, cum arma metuat, ad arma
confugiens, non amicorum fidei credens, non pietati liberorum;
qui, ubi circumspexit, quaeque fecit, quaeque facturus est, et con-
scientiam suam plenam sceleribus ac tormentis adaperuit, saepe
20 mortem timet, saepius optat, inuisior sibi quam seruientibus. E 4
contrario is, cui curae sunt uniuersa, qui alia magis, alia minus
tuetur, nullam non rei publicae partem tamquam sui nutrit, in-
clinatus ad mitiora, etiam, si ex usu est animaduertere, osten-
dens, quam inuitus aspero remedio manus admoueat, in cuius
25 animo nihil hostile, nihil efferum est, qui potentiam suam placide
ac salutariter exercet, adprobare et imperia sua ciuibus cupiens,
felix abunde sibi uisus, si fortunam suam publicarit, sermone
adfabilis, aditu accessuque facilis, uultu, qui maxime populos
demeretur, amabilis, aequis desideriis propensus, etiam iniquis
30 *non* acerbus, a tota ciuitate amatur, defenditur, colitur. Eadem 5
de illo homines secreto loquuntur quae palam; tollere filios cu-
piunt et publicis malis sterilitas indicta recluditur; bene se meri-
turum de liberis suis quisque non dubitat, quibus tale saeculum

---

2 publice N *corr. ug.* 3 dare N² dari N¹ uidet *He.* uidem N; secur. dare o. uidetur *ug.* 6 ut eculeo *scripsi;* et eculeo N 8 obiectant N *corr. ug.* reis aerumnosior *Koch* (*N. J. 1874, p. 560*); reis *inuenerat Agricola;* rerum noxior N 9 homine N *corr. ug.* uindic& N *corr. ug.* 13 autem eo *ug.* aū (*i. e.* autem) meo N 14 nam &c. ceteris N *corr.* N¹ est *scripsi;* sit N 21 aliā inus N 22 inclinatos N *corr. ug.* 24 inuidus N *corr. ug.* 26 adprobare et *scripsi;* adprobar& N; adprobare *ug.* 28 aditu accessuque *scripsi;* aduti accessuq; N; aditu *om. ug., etiam Fickert, qui uerum uiderat* 30 non *add. He.;* uix *addi uult Hermes* 31 de *add.* N¹ locuntur N pala N *corr. ug.* 33 suis quisque *ug.* suisq; N

ostenderit. Hic princeps suo beneficio tutus nihil praesidiis eget, arma ornamenti causa habet.

XIV, 1 Quod ergo officium eius est? quod bonorum parentium, qui obiurgare liberos non numquam blande, non numquam minaciter solent, aliquando admonere etiam uerberibus. Numquid aliquis sanus filium a prima offensa exheredat? nisi magnae et multae iniuriae patientiam euicerunt, nisi plus est, quod timet, quam quod damnat, non accedit ad decretorium stilum; multa ante temptat, quibus dubiam indolem et peiore iam loco positam reuocet; simul deploratum est, ultima experitur. Nemo ad sup-
2 plicia exigenda peruenit, nisi qui remedia consumpsit. Hoc, quod parenti, etiam principi faciendum est, quem adpellauimus Patrem Patriae non adulatione uana adducti. Cetera enim cognomina honori data sunt; Magnos et Felices et Augustos diximus et ambitiosae maiestati quidquid potuimus titulorum congessimus illis hoc tribuentes; Patrem quidem Patriae adpellauimus, ut sciret datam sibi potestatem patriam, quae est temperatissima, liberis
3 consulens suaque post illos reponens. Tarde sibi pater membra sua abscidat, etiam, cum absciderit, reponere cupiat et in abscidendo gemat cunctatus multum diuque; prope est enim, ut libenter damnet, qui cito; prope est, ut inique puniat, qui nimis.

XV, 1 Trichonem equitem Romanum memoria nostra, quia filium suum flagellis occiderat, populus graphiis in foro confodit; uix illum Augusti Caesaris auctoritas infestis tam patrum quam filio-
2 rum manibus eripuit. Tarium, qui filium deprehensum in parricidii consilio damnauit causa cognita, nemo non suspexit, quod contentus exilio et exilio delicato Massiliae parricidam continuit et annua illi praestitit, quanta praestare integro solebat; haec liberalitas effecit, ut, in qua ciuitate numquam deest patronus peioribus, nemo dubitaret, quin reus merito damnatus esset,
3 quem is pater damnare potuisset, qui odisse non poterat. Hoc ipso exemplo dabo, quem conpares bono patri, bonum principem. Cogniturus de filio Tarius aduocauit in consilium Caesarem Augustum; uenit in priuatos penates, adsedit, pars alieni consilii fuit, non dixit: „Immo in meam domum ueniat"; quod si
4 factum esset, Caesaris futura erat cognitio, non patris. Audita

---

1 totus N *corr. ug.* 6 aliquid N *corr. ug.* 8 stillū N 9 posita N *corr. ug.* 18 Tarde sibi *Agricola;* tradis ibi N 19 reponere cupiat *ug.* repune cupiat N; *fort.* reponi cupiat 20 multus N *corr.* N[1] 21 es, ut inique N *corr. ug.* 22 TRIXOnem N R̃. N 25 deprehensum N parricidii consilio *Mg.* parcidio consilio N 27 Mansiliae N 29 efficit *et* 30 dubitarit N *corr. ug.* numquā nūquā N *corr. ug.* 31 quem ipsa ter N *corr. ug.*

causa excussisque omnibus, et iis, quae adulescens pro se dixerat, et iis, quibus arguebatur, petiit, ut sententiam suam quisque scriberet, ne ea omnium fieret, quae Caesaris fuisset; deinde, priusquam aperirentur codicilli, iurauit se Tarii, hominis locu-
5 pletis, hereditatem non aditurum. Dicet aliquis: „Pusillo animo 5
timuit, ne uideretur locum spei suae aperire uelle filii damna-
tione.“ Ego contra sentio; quilibet nostrum debuisset aduersus opiniones malignas satis fiduciae habere in bona conscientia, principes multa debent etiam famae dare. Iurauit se non adi- 6
10 turum hereditatem. Tarius quidem eodem die et alterum here-
dem perdidit, sed Caesar libertatem sententiae suae redemit; et postquam adprobauit gratuitam esse seueritatem suam, quod principi semper curandum est, dixit relegandum, quo patri uideretur. Non culleum, non serpentes, non carcerem decreuit memor, non 7
15 de quo censeret, sed cui in consilio esset; mollissimo genere
poenae contentum esse debere patrem dixit in filio adulescentulo, inpulso in id scelus, in quo se, quod proximum erat ab innocentia, timide gessisset; debere illum ab urbe et a parentis oculis submoueri.

20 O dignum, quem in consilium patres aduocarent! o dignum, XVI, 1
quem coheredem innocentibus liberis scriberent! Haec clementia principem decet; quocumque uenerit, mansuetiora omnia faciat. Nemo regi tam uilis sit, ut illum perire non sentiat; qualiscumque *est*, pars imperii est. In magna imperia ex minoribus 2
25 petamus exemplum. Non unum est imperandi genus; imperat
princeps ciuibus suis, pater liberis, praeceptor discentibus, tribunus uel centurio militibus. Nonne pessimus pater uidebitur, 3
qui adsiduis plagis liberos etiam ex leuissimis causis conpescet? Uter autem praeceptor liberalibus studiis dignior, qui excarnifi-
30 cabit discipulos, si memoria illis non constiterit, aut si parum agilis in legendo oculus haeserit, an qui monitionibus et uerecundia emendare ac docere malet? Tribunum centurionemque da saeuum: desertores faciet, quibus tamen ignoscetur. Num- 4
quidnam aequum est grauius homini et durius imperari, quam

1—2 iis .. iis *Wsbg.* his .. his **N** petiit *scripsi;* petit **N** 4 aparirentur codic illi iurauit sedari homini locu pletis **N** *corr. ug.* 6 uelle filii *ug.* uelli fili **N** 9 princepes **N**; *fort.* princeps .. debet 12 adprobabit **N** *corr. ug.* principis **N** *corr. ug.* 21 innotentibus liberis scribere **N** *corr. ug.* clementiã **N** *corr. ug.* 22 decet; quocumque **N** decet, ut quoc. *ug.* 23 sentiat; qualiscumque est, pars *scripsi*; est (ē) *om.* **N** 24 imperia *abesse malit L.* 31 recundia **N** *corr. ug.* 32 malet *Mg.* malit **N** 33 ignoscetur *Wsbg.* ignoscitur **N** Num quid nam **N**, *quod nusquam alibi apud S. reperitur; malim:* Numquid enim

imperatur animalibus mutis? atqui equum non crebris uerberibus exterret domandi peritus magister; fiet enim formidolosus
5 et contumax, nisi eum blandiente tactu permulseris. Idem facit ille uenator, quique instituit catulos uestigia sequi, quique iam exercitatis utitur ad excitandas uel persequendas feras: nec cre- 5
bro illis minatur (contundet enim animos et, quidquid est indolis, conminuetur trepidatione degeneri), nec licentiam uagandi errandique passim concedit. Adicias his licet tardiora agentes iumenta, quae, cum ad contumeliam et miserias nata sint, nimia saeuitia coguntur iugum detractare. 10

XVII, 1 Nullum animal morosius est, nullum maiore arte tractandum quam homo, nulli magis parcendum. Quid enim est stultius quam in iumentis quidem et canibus erubescere iras exercere, pessima autem condicione sub *homine uelle* hominem esse? Morbis medemur nec irascimur; atqui et hic morbus est animi; mol- 15
lem medicinam desiderat ipsumque medentem minime infestum
2 aegro. Mali medici est desperare, ne curet: idem in iis, quorum animus adfectus est, facere debebit is, cui tradita salus omnium est, non cito spem proicere nec mortifera signa pronuntiare; luctetur cum uitiis, resistat, aliis morbum suum exprobret, quos- 20
dam molli curatione decipiat citius meliusque sanaturus remediis fallentibus; agat princeps curam non tantum salutis sed etiam
3 honestae cicatricis. Nulla regi gloria est ex saeua animaduersione (quis enim dubitat posse?); at contra maxima, si uim suam continet, si multos irae alienae eripuit, neminem suae inpendit. 25

XVIII, 1 Seruis imperare moderate laus est. Et in mancipio cogitandum est, non quantum illud inpune possit pati, sed quantum tibi permittat aequi bonique natura, quae parcere etiam captiuis et pretio paratis iubet (quanto iustius hominibus liberis, ingenuis, honestis!), non ut mancipiis abuti sed *ut* iis, quos gradu 30
antecedas, quorumque tibi non seruitus tradita sit sed tutela.
2 Seruis ad statuam licet confugere; cum in seruum omnia liceant, est aliquid, quod in hominem licere commune ius animantium uetet. Quis non Vedium Pollionem peius oderat quam serui sui,

---

2 formidulosus **N** 4 ille uenator **N**; ille *om. ug.* 5 excitadas **N** *corr. ug.* 6 contundet enim animos **N** contundetur enim animus *nonn.* **D** *malim* indolis bonae 9 contumeliã **N** contumelias *ug.* 10 coguntur *duo* **D** *et ug.* cogantur **N** 13 iras **N** iram *ug.* 14 homine uelle *addidi;* homine *solum add. L.* morbis **N**; *malim* morbidis 16 medecinam desiterat **N** *corr. ug.* 17 ne curet *nonn.* **D** *et edd. antq.* nec ures **N** iis *scripsi;* is **N** his *ug.* 29 *Uerba* iubet quanto iustius *bis deinceps scripta habet* **N** iubet (quanto.. honestis!), non *interpunxi;* iubet. Quanto.. honestis non *ug.; uid. Adn.* 30 ut *add. unus* **D** iis *scripsi;* his **N** gratu (**N**² gradu) ante cedat **N** *corr. ug.* 33 homine **N** *corr. ug.*

quod muraenas sanguine humano saginabat et eos, qui se aliquid offenderant, in uiuarium, quid aliud quam serpentium, abici iubebat? O hominem mille mortibus dignum, siue deuorandos seruos obiciebat muraenis, quas esurus erat, siue in hoc tantum illas alebat, ut sic aleret. Quemadmodum domini crudeles tota 3
ciuitate conmonstrantur inuisique et detestabiles sunt, ita regum et iniuria latius patet et infamia atque odium saeculis traditur; quanto autem non nasci *melius* fuit quam numerari inter publico malo natos!

Excogitare nemo quidquam poterit, quod magis decorum XIX,1
regenti sit quam clementia, quocumque modo is et quocumque iure praepositus ceteris erit. Eo scilicet formosius id esse magnificentiusque fatebimur, quo in maiore praestabitur potestate, quam non oportet noxiam esse, si ad naturae legem conponitur. Natura enim conmenta est regem, quod et ex aliis animalibus 2
licet cognoscere et ex apibus; quarum regi amplissimum cubile est medioque ac tutissimo loco; praeterea opere uacat exactor alienorum operum, et amisso rege totum dilabitur *examen*, nec umquam plus unum patiuntur melioremque pugna quaerunt; praeterea insignis regi forma est dissimilisque ceteris cum mag- 3
nitudine tum nitore. Hoc tamen maxime distinguitur: iracundissimae ac pro corporis captu pugnacissimae sunt apes et aculeos in uulnere relinquunt, rex ipse sine aculeo est; noluit illum natura nec saeuum esse nec ultionem magno constaturam petere, telumque detraxit et iram eius inermem reliquit. Exemplar hoc magnis regibus ingessit; est enim illi mos exercere se in paruis et ingentium rerum documenta minima spargere. Pudeat ab 4
exiguis animalibus non trahere mores, cum tanto hominum moderatior esse animus debeat, quanto uehementius nocet. Utinam quidem eadem homini lex esset, et ira cum telo suo frangeretur, nec saepius liceret nocere quam semel nec alienis uiribus exercere odia! facile enim lassaretur furor, si per se sibi satis faceret, et si mortis periculo uim suam effunderet. Sed ne nunc 5
quidem illi cursus tutus est; tantum enim necesse est timeat, quantum timeri uoluit, et manus omnium obseruet et eo quoque

---

6 detestabilesunt **N** *corr. ug.* 8 melius *add. multi* **D** *et edd.* 10 exgitare **N**[1] *corr.* **N**[2] 11 regendi **N**[1] *corr.* **N**[2] 16 regia plissimũ **N**[1] *corr.* **N**[2] 17 opere *Mg. et Wsbg.* honore **N**[1] onere **N**[2] *ut ug.* 18 regem **N**[1] *corr.* **N**[2] examen *add. duo* **D** *et ug.* agmen *add. alii* **D** 20 cum **N** tum *ug.* 24 ultione **N**[1] *corr.* **N**[2] 25 relinquit **N**[1] *corr.* **N**[2] 26 ingessit; est *Koch* (*N. J. 1874 p. 560*); ingens est **N** 27 documenta minima spargere *Mg.* docimentã minima argere **N** 30 esset & ira **N** esset, ut ira *He.* 35 eo **N**[1] ea **N**

tempore, quo non captatur, peti se iudicet nullumque momentum
immune a metu habeat. Hanc aliquis agere uitam sustinet, cum
liceat innoxium aliis, ob hoc securum, salutare potentiae ius
laetis omnibus tractare? Errat enim, si quis existimat tutum
esse ibi regem, ubi nihil a rege tutum sit; securitas securitate 5
6 mutua paciscenda est. Non opus est instruere in altum editas
arces nec in adscensum arduos colles emunire nec latera mon-
tium abscidere, multiplicibus se muris turribusque saepire: sal-
uum regem clementia in aperto praestabit. Unum est inexpug-
7 nabile munimentum, amor ciuium. Quid pulchrius est quam 10
uiuere optantibus cunctis et uota non sub custode nuncupanti-
bus? si paulum ualetudo titubauit, non spem hominum excitari
sed metum? nihil esse cuiquam tam pretiosum, quod non pro
8 salute praesidis sui conmutatum uelit? † O ne illo cui contingit
sibi quoque uiuere debeat; in hoc adsiduis bonitatis argumentis 15
probauit non rem publicam suam esse sed se rei publicae. Quis
huic audeat struere aliquod periculum? quis ab hoc non, si pos-
sit, fortunam quoque auertere uelit, sub quo iustitia, pax, pudi-
citia, securitas, dignitas florent, sub quo opulenta ciuitas copia
bonorum omnium abundat nec alio animo rectorem suum intuetur, 20
quam, si di inmortales talem potestatem uisendi sui faciant, in-
9 tueamur, uenerantes colentesque? Quid autem? non proxumum
illis locum tenet is, qui se ex deorum natura gerit, beneficus ac
largus et in melius potens? Hoc adfectare, hoc aemulari decet,
maximum ita haberi, ut optimus simul habeare. 25

XX,1 A duabus causis punire princeps solet; [si] aut se uindicat
aut alium. Prius de ea parte disseram, quae ipsum contingit;
difficilius est enim moderari, ubi dolori debetur ultio, quam ubi
2 exemplo. Supernacuum est hoc loco admonere, ne facile credat,
ut uerum excutiat, ut innocentiae faueat et, ut adpareat, non 30
minorem agi rem periclitantis quam iudicis sciat; hoc enim ad
iustitiam, non ad clementiam pertinet; nunc illum hortamur, ut

---

2 immuneã et habeat ha|beat hanc **N** *corr. Er.* 5 tutum sit; securitas *scripsi;* tutum sed securitas **N**; tutum est. Securitas *Mt.* 8 saepere **N** 13 se metum **N** *corr. ug.* praeciosũ **N** prosalutis **N** *corr. ug.* 14 uelitoneillo cui contingit sibi quoque uiuere debeat **N** *corrupte; uidetur fuisse:* uelit? „O! ne illi quid contingat! sibi quoque uiuere debet! .. rei publ.“ 18 uellit **N** 20 *sqq.* abundat nec.. colentesque *Siesbye interp.;* abundat? Nec .. colentesque *ug.* 21 inmortales talẽ potestatem **N**; talem *del. ug.* 22 *pxũ* (*i. e.* proxum) **N** proximum *ug.* 24 aemulari *scripsi;* imitari **N** 26 solent **N** *corr. ug.* si *uncis incl. He.* 30 et ut appareat non minore magis rem **N** (minorem agi rem *corr. ug.*); *uerba recte dist. Mg.*, *uid. Adn.*

manifeste laesus animum in potestate habeat et poenam, si tuto poterit, donet, si minus, temperet longeque sit in suis quam in alienis iniuriis exorabilior. Nam quemadmodum non est magni 3 animi, qui de alieno liberalis est, sed ille, qui, quod alteri donat, sibi detrahit, ita clementem uocabo non in alieno dolore facilem sed eum, qui, cum suis stimulis exagitetur, non prosilit, qui intellegit magni animi esse iniurias in summa potentia pati nec quidquam esse gloriosius principe inpune laeso.

Ultio duas praestare res solet: aut solatium adfert ei, qui XXI, 1 accepit iniuriam, aut in reliquum securitatem. Principis maior est fortuna, quam ut solatio egeat, manifestiorque uis, quam ut alieno malo opinionem sibi uirium quaerat. Hoc dico, cum ab inferioribus petitus uiolatusque est; nam si, quos pares aliquando habuit, infra se uidet, satis uindicatus est. Regem et seruus occidit et serpens et sagitta; seruauit quidem nemo nisi maior eo, quem seruabat. Uti itaque animose debet tanto munere deorum 2 dandi auferendique uitam potens. In iis praesertim, quos scit aliquando sibi *par* fastigium optinuisse, hoc arbitrium adeptus ultionem inpleuit perfecitque, quantum uerae poenae satis erat; perdidit enim uitam, qui debet, et, quisquis ex alto ad inimici pedes abiectus alienam de capite regnoque sententiam expectauit, in seruatoris sui gloriam uiuit plusque eius nomini confert incolumis, quam si ex oculis ablatus esset. Adsiduum enim spectaculum alienae uirtutis est; in triumpho cito transisset. Si uero reg- 3 num quoque suum tuto relinqui apud eum potuit reponique eo, unde deciderat, ingenti incremento surgit laus eius, qui contentus fuit ex rege uicto nihil praeter gloriam sumere. Hoc est etiam ex uictoria sua triumphare testarique nihil se, quod dignum esset uictore, apud uictos inuenisse. Cum ciuibus et ignotis 4 atque humilibus eo moderatius agendum est, quo minor res est adflixisse eos. Quibusdam libenter parcas, a quibusdam te uindicare fastidias et non aliter quam *ab* animalibus paruis et opterentem inquinantibus reducenda manus est; at in iis, qui in ore

---

3 exortabilior N *corr. ug.* 9 solacium N 10 relicũ N 11 solacio ageat N *corr. ug.* 14 seruos N 15 seruauit *ug.* seruabit N 16 seruabat ut|itaq; N seruauit. Uti itaque *ug.* 17 potens. In iis.. optinuisse, hoc *interpunxi;* potens, in his.. obtinuisse. Hoc *ug.* potens N¹ ponens N 18 fatigio N; „*ex uett. codd.*" *corr. et* par *add. Pinc.* 19 inpleuit *ug.* inplebit N 21 regioque N *corr. L.* (*et duo* D) 22 plusq; eius in nomini confert colomis N *corr. ug.* 24 aliaene N *corr. ug.* transisset *ug.* transisse N 30 minor res est *scripsi;* minores est N minoris est *ug.* 32 ab *add. ug.* paruis et *ug.* paruis sed N; *malim* spurcis et 33 ad in is N *corr. ug.*

ciuitatis seruati punitique erunt, occasione notae clementiae utendum est.

XXII,1 Transeamus ad alienas iniurias, in quibus uindicandis haec tria lex secuta est, quae princeps quoque sequi debet: aut ut eum, quem punit, emendet, aut *ut* poena eius ceteros meliores reddat, aut ut sublatis malis securiores ceteri uiuant. Ipsos facilius emendabis minore poena; diligentius enim uiuit, cui aliquid integri superest. Nemo dignitati perditae parcit; inpunitatis ge-
2 nus est iam non habere poenae locum. Ciuitatis autem mores magis conrigit parcitas animaduersionum; facit enim consuetudinem peccandi multitudo peccantium, et minus grauis nota est, quam turba damnationum leuat, et seueritas, quod maximum remedium
3 habet, adsiduitate amittit, auctoritatem. Constituit bonos mores ciuitati princeps et uitia eluit, si patiens eorum est, non tamquam probet, sed tamquam inuitus et cum magno tormento ad castigandum ueniat. Uerecundiam peccandi facit ipsa clementia regentis; grauior multo poena uidetur, quae a miti uiro constituitur.

XXIII,1 Praeterea uidebis ea saepe conmitti, quae saepe uindicantur. Pater tuus plures intra quinquennium culleo insuit, quam omnibus saeculis insutos accepimus. Multo minus audebant liberi nefas ultimum admittere, quam diu sine lege crimen fuit. Summa enim prudentia altissimi uiri et rerum naturae peritissimi maluerant uelut incredibile scelus et ultra audaciam positum praeterire quam, dum uindicant, ostendere posse fieri; itaque parricidae cum lege coeperunt, et illis facinus poena monstrauit; pessimo uero loco pietas fuit, postquam saepius culleos uidimus quam
2 cruces. In qua ciuitate raro homines puniuntur, in ea consensus fit innocentiae et indulgetur uelut publico bono. Putet se innocentem esse ciuitas, erit; magis irascetur a communi frugalitate desciscentibus, si paucos esse eos uiderit. Periculosum est, mihi crede, ostendere ciuitati, quanto plures mali sint.

XXIV,1 Dicta est aliquando *in* senatu sententia, ut seruos a liberis cultus distingueret; deinde adparuit, quantum periculum inmineret, si serui nostri numerare nos coepissent. Idem scito me-

---

5 emendit **N** *corr. ug.* ut *add. ug.* poenae **N** *corr. ug.* 6 uibant. Ipsos failius **N** *corr. ug.* 7 pona **N** *corr. ug.* 8 pas cit **N** *corr. ug.* 10 paritas **N** *corr. ug.* 11 multitud **N** *corr. ug.* 12 damnationum **N** damnatorum *ug.* 14 uitia eluit *scripsi;* uitia eius **N** 20 infra **N** *corr. ug.* 24 audacia positum praeterir& **N** *corr. ug.* 26 cum lege *ug.* cũ a lege **N** monstra **N** *corr.* **N**[1] 32 credere **N** *corr. ug.* 32—33 mali sint. — Dicta est a. in senatu sententia, ut *Gr.* malis indicta est aliquando senatu sententia ut **N**

tuendum esse, si nulli ignoscitur; cito adparebit, pars ciuitatis deterior quanto praegrauet. Non minus principi turpia sunt multa supplicia quam medico multa funera; remissius imperanti melius paretur. Natura contumax est humanus animus et in con- 2
5 trarium atque arduum nitens sequiturque facilius quam ducitur; et, ut generosi ac nobiles equi melius facili freno reguntur, ita clementiam uoluntaria innocentia inpetu suo sequitur, et dignam putat ciuitas, quam seruet sibi. Plus itaque hac uia proficitur.

Crudelitas minime humanum malum est indignumque tam XXV,1
10 *miti* animo; ferina ista rabies est, sanguine gaudere ac uulneribus, et abiecto homine in siluestre animal transire. Quid enim interest, oro te, Alexander, leoni Lysimachum obicias an ipse laceres dentibus tuis? tuum illud os est, tua illa feritas. O quam cuperes tibi potius ungues esse, tibi rictum illum edendorum hominum
15 capacem! Non exigimus a te, ut manus ista, exitium familiarium certissimum, ulli salutaris sit, ut iste animus ferox, insatiabile gentium malum, citra sanguinem caedemque satietur; † clementiam uocatur ad occidendum amicum carnifex inter homines eligitur. Hoc est, quare uel maxime abominanda sit saeuitia, quod 2
20 excedit fines primum solitos, deinde humanos, noua supplicia conquirit, ingenium aduocat, *ut* instrumenta excogitet, per quae uarietur atque extendatur dolor, delectatur malis hominum; tunc ille dirus animi morbus ad insaniam peruenit ultimam, cum crudelitas uersa est in uoluptatem et iam occidere hominem iuuat.
25 Matura talem uirum a tergo sequitur euersio, † odiae, uenena, 3
gladii; tam multis periculis petitur, quam multorum ipse periculum est, priuatisque non numquam consiliis, alias uero consternatione publica circumuenitur. Leuis enim et priuata pernicies non totas urbes mouet; quod late furere coepit et omnes
30 adpetit, undique configitur. Serpentes paruulae fallunt nec pu- 4
blice conquiruntur; ubi aliqua solitam mensuram transiit et in monstrum excreuit, ubi fontes sputu inficit et, si adflauit, deurit

---

2 minu **N** *corr. ug.* 5 sequitur qvuae **N** dicitur etutgnerosi ac no|aequi **N** *corr. ug.* 7 elementia **N** *corr. ug.* 10 animo **N**; *malim* animali 11 homini **N** *corr. ug.* 16 certissimum *ug.* certissima **N** 17 cedemque saci&ur **N** 18 clementiã uocatur ad.. eligitur **N** *corrupte;* clementiam uoca, ubi ad.. eligitur *He.* 21 aduocat, ut i. excogitet, per *scripsi;* aduocat instrumenta excogit & per **N** 22 extentatur **N** delectatur *scripsi* (*ug.* et delectatur); delectetur **N** 25 Matura talem uirum a t. s. euersio *scripsi;* Naturalem uirum a t. s aeuersio **N** odiae **N** *corrupte; uid. Adn.* 26 quã multor quã multorũ ipse **N** *corr. ug.* 30 pauolę **N** *corr. ug.* 31 consequiruntur **N** *corr. Gt.* mensura **N** *corr. ug.* transiit *ug.* transit **N** 32 fontes sputu inficit *scripsi;* fontes putu inficit **N** fontes potu infecit *ug.*

ciuitatis seruati punitique erunt, occasione notae cl[illegible]
dum est.

XXII,1 Transeamus ad alienas iniurias, in quibu[illegible]
tria lex secuta est, quae princeps quoque [illegible]
eum, quem punit, emendet, aut *ut* poen[illegible]
reddat, aut ut sublatis malis securiores c[illegible]
lius emendabis minore poena; diligenti[illegible]
integri superest. Nemo dignitati per[illegible]
2 nus est iam non habere poenae l[illegible]
magis conrigit parcitas animaduer[illegible]
nem peccandi multitudo peccanti[illegible]
turba damnationum leuat, et s[illegible]
3 habet, adsiduitate amittit, au[illegible]
ciuitati princeps et uitia [illegible]
quam probet, sed tamq[illegible]
castigandum ueniat. [illegible]
tia regentis; grauior [illegible]
stituitur. [illegible], in quibus

XXIII,1 Praeterea ui[illegible] [illegible]on spectacula, ex
tur. Pater tuus [illegible] [illegible]eritur. Adparentur licet
omnibus saecu[illegible] [illegible] artificum exquisitis nominibus,
nefas ultimur[illegible] [illegible]e iuuent? Quod istud, di boni, malum
enim prud[illegible] [illegible], delectari sono catenarum et ciuium capita
rant uelu[illegible] [illegible]nique uentum est, multum sanguinis fundere, ad-
quam, [illegible]errere ac fugare? Quae alia uita esset, si leones ur-
cum [illegible]garent, si serpentibus in nos ac noxiosissimo cuique
uere[illegible] [illegible]aretur potestas? Illa rationis expertia et a nobis imma-
2 cr[illegible] [illegible] crimine damnata abstinent suis, et tuta est etiam inter feras
[illegible]ndo; horum ne a necessariis quidem sibi rabies temperat,
[illegible] externa suaque in aequo habet, quo plus se exercitat, *eo inci-*
tatior. A singulorum deinde caedibus in exitia gentium serpit
et iuuere tectis ignem, aratrum uetustis urbibus inducere poten-
tiam putat; et unum occidi iubere aut alterum parum impera-

---

2 et *add. ug.* 3 aecer nae domus N (domūs N¹) 5 manus *ug.* manibus N 6 uastā N *corr. ug.* 11 ipsis N *corr. ug.* perfidiaque N *corr. ug.* 12 quidquid ob illis dicerant in ipsos exeuerant N *corr. ug.* 14 nequitia ap|parer& N; adparet nequitia *ug.* paret n. *Mt.* quantum iubetur *Mt.*; quā tur uidetur N 15 esse tu tā crudelitam N *corr. ug.* quale eius *ug.* qua|re ius N 16 terribilis *W'sbg.* (*et edd. antq.*): terribiles N 19 sollicitae N *corr. ug.* 20 periculis N *sed* s *exp.* N¹ 22 iubent N *corr. ug.* 24 quodcumque N *corr. ug.* aspecto N *corr. ug.* 30 quo plus se exercitat, eo incitatior. A singulorum *scripsi*; quo plus sexercitatiora singulorum N 31 exitia *ug.* aesicia N

[illegible]t; nisi eodem tempore grex miserorum sub ictu ste-
[illegible]m suam in ordinem coactam putat. Felicitas illa, 5
[illegible]dare et ad uitam ab ipsa morte reuocare et mereri
Nullum ornamentum principis fastigio dignius
[illegible]am illa corona ob ciues seruatos, non hostilia
non currus barbarorum sanguine cruenti,
Haec diuina potentia est, gregatim ac
[illegible]uidem occidere et indiscretos incendii

[illegible] ictu *Gt.* sub iectu **N** 4 ormen-
[illegible]N *corr. ug.* 8 incendi **N**
[illegible]ENTIA | LIBER. I. EXPLICIT | JNC.

opteritque, quacumque incessit, ballistis petitur. Possunt uerba
5 dare *et* euadere pusilla mala, ingentibus obuiam itur. Sic unus
aeger ne domum quidem perturbat; at ubi crebris mortibus pe-
stilentiam esse adparuit, conclamatio ciuitatis ac fuga est et dis
ipsis manus intentantur. Sub uno aliquo tecto flamma adparuit: 5
familia uicinique aquam ingerunt; at incendium uastum et mul-
tas iam domos depastum parte urbis obruitur.

XXVI, 1 Crudelitatem priuatorum quoque seruiles manus sub certo
crucis periculo ultae sunt; tyrannorum gentes populique, et,
quorum erat malum, et ei, quibus inminebat, excindere adgressi 10
sunt. Aliquando sua praesidia in ipsos consurrexerunt perfi-
diamque et inpietatem et feritatem et quidquid ab illis didicerant
in ipsos exercuerunt. Quid enim potest quisquam ab eo sperare,
quem malum esse docuit? non diu nequitia adparet nec, quan-
2 tum iubetur, peccat. Sed puta esse tutam crudelitatem, quale eius 15
regnum est? non aliud quam captarum urbium forma et terri-
bilis facies publici metus. Omnia maesta, trepida, confusa; uo-
luptates ipsae timentur; non conuiuia securi ineunt, in quibus
lingua sollicite etiam ebriis custodienda est, non spectacula, ex
quibus materia criminis ac periculi quaeritur. Adparentur licet 20
magna inpensa et regiis opibus et artificum exquisitis nominibus,
3 quem tamen ludi in carcere inuent? Quod istud, di boni, malum
est, occidere, saeuire, delectari sono catenarum et ciuium capita
decidere, quocumque uentum est, multum sanguinis fundere, ad-
spectu suo terrere ac fugare? Quae alia uita esset, si leones ur- 25
sique regnarent, si serpentibus in nos ac noxiosissimo cuique
4 animali daretur potestas? Illa rationis expertia et a nobis imma-
nitatis crimine damnata abstinent suis, et tuta est etiam inter feras
similitudo; horum ne a necessariis quidem sibi rabies temperat,
sed externa suaque in aequo habet, quo plus se exercitat, *eo inci-* 30
*tatio*r. A singulorum deinde caedibus in exitia gentium serpit
et inicere tectis ignem, aratrum uetustis urbibus inducere poten-
tiam putat; et unum occidi iubere aut alterum parum impera-

---

2 et *add. ug.* 3 aecer nae domus N (domūs N[1]) 5 manus *ug.* manibus N 6 uastã N *corr. ug.* 11 ipsis N *corr. ug.* perfidiaque N *corr. ug.* 12 quidquid ob illis dicerant in ipsos excuerunt N *corr. ug.* 14 nequitia ap|parer& N; adparet nequitia *ug.* paret n. *Mt.* quantum iubetur *Mt.*; quã tur uidetur N 15 esse tu tã crudelitam N *corr. ug.* quale eius *ug.* qua|re ius N 16 terribilis *Wsbg.* (*et edd. antq.*); terribiles N 19 sollicitae N *corr. ug.* 20 periculis N *sed* s *exp.* N[1] 22 iubent N *corr. ug.* 24 quodcumque N *corr. ug.* aspecto N *corr. ug.* 30 quo plus se exercitat, eo incitatior. A singulorum *scripsi;* quo plus sexercitatiora singulorum N 31 exitia *ug.* aesicia N

torium credit; nisi eodem tempore grex miserorum sub ictu stetit, crudelitatem suam in ordinem coactam putat. Felicitas illa, multis salutem dare et ad uitam ab ipsa morte reuocare et mereri clementia ciuicam. Nullum ornamentum principis fastigio dignius pulchriusque est quam illa corona ob ciues seruatos, non hostilia arma detracta uictis, non currus barbarorum sanguine cruenti, non parta bello spolia. Haec diuina potentia est, gregatim ac publice seruare; multos quidem occidere et indiscretos incendii ac ruinae potentia est.

---

1 credit *ug.* credat **N** sub ictu *Gt.* sub iectu **N** 4 ormentum **N** *corr. ug.* 6 barbarum **N** *corr. ug.* 8 incendi **N**

LIB. ANNEI: SENECE: DECLEMENTIA | LIBER. I. EXPLICIT | JNC. LIBER. II. FELICITER. |

opteritque, quacumque incessit, ballistis petitur. D
5 dare *et* euadere pusilla mala, ingentibus obuiar
aeger ne domum quidem perturbat; at ubi cr
stilentiam esse adparuit, conclamatio ciuit
ipsis manus intentantur. Sub uno aliquo
familia uicinique aquam ingerunt; at i
tas iam domos depastum parte urbis o
XXVI, 1 Crudelitatem priuatorum quo
crucis periculo ultae sunt; tyran
quorum erat malum, et ei, quib
sunt. Aliquando sua praesid
diamque et inpietatem et fer
in ipsos exercuerunt. Qui
quem malum esse docu
2 tum iubetur, peccat. S
regnum est? non al
bilis facies publici
luptates ipsae tir
lingua sollicite
quibus mater
magna inpe
3 quem tam
est, oc
decid
spe
si
4 exigebat a te, scriberes, in quos et ex qua causa animaduerti uel-
les; hoc saepe dilatum ut aliquando fieret, instabat. Inuitus in-
uito cum chartam protulisset traderetque, exclamasti: „Uellem 10
litteras nescirem!" O dignam uocem, quam audirent omnes gen-
tes, quaeque Romanum imperium incolunt, quaeque iuxta iacent
dubiae libertatis, quaeque se contra uiribus aut animis adtollunt!
O uocem in contionem omnium mortalium mittendam, in cuius
uerba principes regesque iurarent! O uocem publica generis 15
humani innocentia dignam, *dignam*, cui redderetur antiquum illud
4 saeculum! Nunc profecto consentire decebat ad aequum bonum-
que *et* expulsa alieni cupidine, ex qua omne animi malum oritur,

NTIA

II.

a scriberem, Nero Caesar, una me uox tua
quam ego non sine admiratione et, cum dice-
memini et deinde aliis narrasse, uocem genero-
animi, magnae lenitatis, quae non conposita nec
auribus data subito erupit et bonitatem tuam cum fortuna 5
ligantem in medium adduxit. Animaduersurus in latrones
Burrus praefectus tuus, uir egregius et tibi principi natus,

---

1 VIDE CLEMENTIA SCRIBEM (*rubr.*) N *corr. ug.* 3 me *add. nonn.* D 7 principi natus *Mt.* principintus N 10 cartham N 11 gentes, quaeque *scripsi;* gentesq; N gentes, quae *ug.* 12 iacecent N *corr. ug.* 15 princeps regesq; iuramento N (iurarent N¹); *corr. ug.* publica *multi* D *et edd.;* publicam N 16 dignam *add. Gl.* 18 et *addidi* omnem N *corr. ug.*

ntegritatemque cum fide ac modestia resurgere et uitia
sa regno dare tandem felici ac puro saeculo locum.
hoc, Caesar, ex magna parte sperare et confidere II,1
sta animi tui mansuetudo diffundeturque paula-
perii corpus, et cuncta in similitudinem tuam
nite bona ualetudo in omnes *corporis partes*
t atque erecta aut languore demissa, prout
t marcet. Erunt ciues, erunt socii digni
orbem recti mores reuertentur; parce-
Diutius me inmorari huic patere *uoci*, 2
(nec enim hic mihi mos est; ma-
lacere adulando); quid ergo est?
dictisque tuis quam familiarissimum
unc natura et inpetus est, fiat iudicium,
o, multas uoces magnas, sed detestabiles, in
peruenisse celebresque uulgo ferri, ut illam:
metuant", quoi Graecus uersus similis est *eius*, qui
terram misceri ignibus iubet, et alia huius notae. Ac 3
o quomodo ingenia *in* immani et inuisa materia secundiore
ore expresserunt sensus uehementes et concitatos; nullam adhuc
uocem audiui ex bono lenique animosam. Quid ergo est? ut
raro, inuitus et cum magna cunctatione, ita aliquando scribas
necesse est istud, quod tibi in odium litteras adduxit, sed, sicut
facis, cum magna cunctatione, cum multis dilationibus.

25 Sed ne forte decipiat nos speciosum clementiae nomen ali- III,1
quando et in contrarium abducat, uideamus, quid sit clementia
qualisque sit et quos fines habeat.

Clementia est temperantia animi in potestate ulciscendi uel
lenitas superioris aduersus inferiorem in constituendis poenis.
30 Plura proponere tutius est, ne una finitio parum rem conprehen-
dat et, ut ita dicam, formula excidat; itaque dici potest et incli-

---

2 diurno **N** *corr. ug.* 3 confidere *L.* confitere **N** confiteri *ug.* 4 licet *Wsbg.* libet **N** 5 per omne imne imperii **N** *corr. ug.* tuã **N** tui *ug.* 6 in oms uegeta **N**; *omissa suppleui* (*He.* exit: omnia *add.*) 8 uiuit **N** uiget *Er.* 9 parcentur ubquae **N** *corr. ug.* 10 me inmorari huic patere uoci, non *Mg.* (*nisi quod is:* huic uoci patere *scribit*); me morari huic patere non **N** 11 blandum *multi* **D** *et edd.* bladũ **N** blandiar *alii edd.* 13 praeter id *multi* **D** *et edd.* prae id **N** 15 se detestabiles **N** *corr. ug.* 17 quoi (cui) *ug.* quod **N** eius *ex uno* **D** *add. He.* 19 ingenia in immani . . . secundiore ore expresserunt *Mg.* (*et item fere L.*); ingenia immania . . . secundi ora expresserunt **N** 21 audii **N** *corr. ug.* 25 Sed ne *scripsi;* Et ne **N** At ne *He.* (*praef. uol. III*) 30 nec una finicio **N** *corr. Fickert ex nonn.* **D** conpraehindat **N**

2 natio animi ad lenitatem in poena exigenda. Illa finitio contradictiones inueniet, quamuis maxime ad uerum accedat, si dixerimus clementiam esse moderationem aliquid ex merita ac debita poena remittentem: reclamabitur nullam uirtutem cuiquam minus debito facere. Atqui hoc omnes intellegunt clementiam esse, quae 5 se flectit citra id, quod merito constitui posset.

IV, 1 Huic contrariam inperiti putant seueritatem; sed nulla uirtus uirtuti contraria est. Quid ergo opponitur clementiae? Crudelitas, quae nihil aliud est quam atrocitas animi in exigendis poenis. „Sed quidam non exigunt poenas, crudeles tamen sunt, 10 tamquam qui ignotos homines et obuios non in conpendium sed occidendi causa occidunt nec interficere contenti saeuiunt, ut Busiris ille et Procrustes et piratae, qui captos uerberant et in 2 ignem uiuos inponunt.“ Haec crudelitas quidem *uidetur;* sed quia nec ultionem sequitur (non enim laesa est) nec peccato alicui irascitur (nullum enim antecessit crimen), extra finitionem 15 nostram cadit; finitio enim continebat in poenis exigendis intemperantiam animi. Possumus dicere non esse hanc crudelitatem sed feritatem, cui uoluptati saeuitia est; possumus insaniam uocare: nam uaria sunt genera eius et nullum certius, quam quod 20 3 in caedes hominum et lancinationes peruenit. Illos ergo crudeles uocabo, qui puniendi causam habent, modum non habent, sicuti Phalarim, quem aiunt non quidem in homines innocentes sed super humanum ac probabilem modum saeuisse. Possumus effugere cauillationem et ita finire, ut sit crudelitas inclinatio 25 animi ad asperiora. Hanc clementia repellit, longe iubet stare a se; cum seueritate illi conuenit.

4 Ad rem pertinet quaerere hoc loco, quid sit misericordia; plerique enim ut uirtutem eam laudant et bonum hominem uocant misericordem. Et haec uitium animi est. Utraque circa 30 seueritatem circaque clementiam posita sunt, quae uitare debe-

---

2 inuen& quauis N *corr. ug.* maxime N; proxime *CFWMüller* (*N. J. 93 p. 487*) dixeremus N *corr. ug.* 4 minus *ug.* minui N 12 ut Busiris *edd. antq.* utusuris N 13 pilate qui captus N *corr. ug.* et ininem uiuus N *corr. ug.* 14 uidetur *add. Mg.* 15 peccato *ug.* peccator N peccatori *edd. antq.* 17 finitio enim *Mg.* finicionē N exigentis intemperantia animi N *corr. ug.* 19 uoluptatis seu uitia est N *corr. ug.* 21 lancinationis N laniationes *ug.* 22 sicuti Phalarim *Siesbye;* sicut in Phalari N 23 aiunt *ug.* agunt N 25 ut sit *ug.* ut sed N 26 repellit, longe iubet stare a se *scripsi;* repellit longius stare a sę N; repellit longe iussam ire a se *Mg.* 27 cum seueritate illi conuenit *Er.* Nam se ueritatē ille conuenit N 29 bono hominem uocant misericordiam N *corr. ug.*

mus; *per speciem enim seueritatis in crudelitatem incidimus*, per speciem clementiae in misericordiam. In hoc leuiore periculo erratur, sed par error est a uero recedentium. Ergo quemad- V,1
modum religio deos colit, superstitio uiolat, ita clementiam man-
5 suetudinemque omnes boni uiri praestabunt, misericordiam autem uitabunt; est enim uitium pusilli animi ad speciem alienorum *malorum* succidentis. Itaque pessimo cuique familiarissima est; anus et mulierculae sunt, quae lacrimis nocentissimorum mouentur, quae, si liceret, carcerem effringerent. Misericordia non
10 causam sed fortunam spectat; clementia rationi accedit. Scio 2
male audire apud inperitos sectam Stoicorum tamquam duram nimis et minime principibus regibusque bonum daturam consilium; obicitur illi, quod sapientem negat misereri, negat ignoscere. Haec, si per se ponuntur, inuisa sunt; uidentur enim nul-
15 lam relinquere spem humanis erroribus sed omnia delicta ad poenam deducere. Quod si est, quidni haec *sit* sapientia, quae 3
dediscere humanitatem iubet portumque aduersus fortunam certissimum mutui auxilii occludit? Sed nulla secta benignior leniorque est, nulla amantior hominum et communis boni adten-
20 tior, ut *cui* propositum sit usui esse et auxilio nec sibi tantum sed uniuersis singulisque consulere. Misericordia est aegritudo 4
animi ob alienarum miseriarum speciem aut tristitia ex alienis malis contracta, quae accidere inmerentibus credit; aegritudo autem in sapientem uirum non cadit; serena eius mens est, nec
25 quidquam incidere potest, quod illam obducat. Nihilque aeque hominem quam magnus animus decet; non potest autem magnus esse idem ac maestus. Maeror contundit mentes, abicit, contra- 5
hit; hoc sapienti ne in suis quidem accidet calamitatibus, sed

---

1 per speciem enim seueritatis in crudelitatem incidimus *addidi; alii aliter eodem sensu lacunam explent* 2 Inholeuiore N *corr. ug.* 3 Ergo *ug.* ego N 4 mansuetudinem quem omnes N *corr. ug.* 7 malorum *add. ug.* (*et duo* D) succedentis N *corr. ug.* 8 mouentur *ug.* mouentir N 9 carcerem *ug.* carcere N 10 accedit *ug.* accidit N 12 datur aconsilium N *corr. ug.* 14 ponuntur *scripsi;* ponantur N 16 haec sit sapientia *scripsi;* haec scientia N haec sit sententia *Mg.* 17 dedicere N *corr. ug.* 18 mutui auxilii occludit *scripsi;* mutuo auxilio cludit N mutui auxilii (*uel* mutuum auxilium) cludit *L.* 19 communis bonis N (s *exp.* N¹) communibus bonis *ug.* atentior N *corr. ug.* 20 ut cui *He.* (*ex uno* D *et edit. Iugis*); ut N et auxilio *scripsi;* ut auxilio N aut auxilio *ug.* tatum N *corr. ug.* 22 tristitiã N *corr. ug.* 23 contracta *Gt.* contra N credit *ug.* cred& N 26 autem magus N *corr. ug.* 27 ac maestus *Hpt.* ac m&us N abicit *unus* D *et Gr.* obicit N contrait N *corr. ug.* 28 sapientis N (s *exp.* N¹)

omnem fortunae iram reuerberabit et ante se franget; eandem semper faciem seruabit, placidam, inconcussam, quod facere non posset, si tristitiam reciperet.

VI, 1 Adice, quod sapiens prouidet et in expedito consilium habet; numquam autem liquidum sincerumque ex turbido uenit. Tristi- 5 tia inhabilis est ad dispiciendas res, utilia excogitanda, periculosa uitanda, aequa aestimanda; ergo non miseretur, quia id sine mi- 2 seria animi non fit. Cetera omnia, quae, qui miserentur, solent facere, libens et altus animo faciet; succurret alienis lacrimis, non accedet; dabit manum naufrago, exuli hospitium, egenti stipem, 10 non hanc contumeliosam, quam pars maior horum, qui misericordes uideri uolunt, abicit et fastidit, quos adiuuat, contingique ab iis timet, sed ut homo homini ex communi dabit; donabit lacrimis maternis filium et catenas solui iubebit et ludo eximet et cadauer etiam noxium sepeliet, sed faciet ista tranquilla mente, 15 3 uultu suo. Ergo non miserebitur sapiens, sed succurret, sed prodderit, in commune auxilium natus ac bonum publicum, ex quo dabit cuique partem. Etiam ad calamitosos pro portione inprobandosque et emendandos bonitatem suam permittet; adflictis uero et † fortis laborantibus multo libentius subueniet. Quotiens 20 poterit, fortunae intercedet; ubi enim opibus potius utetur aut uiribus quam ad restituenda, quae casus inpulit? Uultum quidem non deiciet nec animum ob crus alicuius aridum aut pannosam maciem et innixam baculo senectutem; ceterum omnibus dignis 4 proderit et deorum more calamitosos propitius respiciet. Miseri- 25 cordia uicina est miseriae; habet enim aliquid trahitque ex ea. Inbecillos oculos esse scias, qui ad alienam lippitudinem et ipsi subfunduntur, tam mehercules quam morbum esse, non hilaritatem, semper adridere ridentibus et ad omnium oscitationem ipsum quoque os diducere; misericordia uitium est animorum 30 nimis miseria pauentium, quam si quis a sapiente exigit,

---

1 reuerberauit *et* 2 seruauit **N** *corr. ug.* 2 facerẽ *et* 3 tristiam **N** *corr. ug.* 6 utilia *ug.* ut illa **N** periculosã **N** *corr. ug.* 7 aequa *Gt.* (*et Pinc. uet. lect.*) aeq; **N** quia id *duo* **D** *et Gt.* quia & **N** 8 quae, qui miserentur, solent *Gr.* (miseretur solet *L.*); quaeq; miserentur uolo **N** 9 altus *L.* alius **N** 10 naufragio **N** *corr. ug.* hopitium **N** *corr. ug.* 11 quã **N** qua *ug.* 12 fastid& **N** *corr. ug.* 16 uulto **N** *corr. ug.* 20 fortis **N** *corrupte;* sortis culpa *He.* 21 aut *ug.* an **N** 23 deiciet *ug.* deiecit **N** ob crus alicuius aridum *He.* obcrusati cuius aredũ **N** pannosam *Gr. et nonn.* **D** pannõiam **N** panno iam **N**[1] 24 innixam *Gr.* innoxam **N** 27 seias **N** *corr. ug.* 28 illaritatẽ **N** *corr. ug.* 29 oscitationem *ug.* estitationem **N** 30 mia (*pro* misericordia *hoc uno loco*) **N** 31 exsigit (*post* si *ras.*) **N** *corr. ug.*

prope est, ut lamentationem exigat et *in* alienis funeribus gemitus.

„At quare non ignoscet?“ Uagam *rem* constituamus nunc VII, 1
quoque, quid sit uenia, et sciemus dari illam a sapiente non de-
5 bere. Uenia est poenae meritae remissio. Hanc sapiens quare
non debeat dare, reddunt rationem diutius, quibus hoc proposi-
tum est; ego breuiter tamquam in alieno iudicio dicam: 'Ei igno-
scitur, qui puniri debuit; sapiens autem nihil facit, quod non
debet, nihil praetermittit, quod debet; itaque poenam, quam exi-
10 gere debet, non donat. Sed illud, quod ex uenia consequi uis, 2
honestiore tibi uia tribuet; parcet enim sapiens, consulet et con-
riget; idem faciet, quod, si ignosceret, nec ignoscet, quoniam, qui
ignoscit, fatetur aliquid se, quod fieri debuit, omisisse. Aliquem
uerbis tantum admonebit, poena non adficiet aetatem eius emen-
15 dabilem intuens; aliquem inuidia criminis manifeste laborantem
iubebit incolumem esse, quia deceptus est, quia per uinum lapsus;
hostes dimittet saluos, aliquando etiam laudatos, si honestis causis
pro fide, pro foedere, pro libertate in bellum acciti sunt. Haec omnia 3
non ueniae sed clementiae opera sunt. Clementia liberum arbitrium
20 habet; non sub formula sed ex aequo et bono iudicat; et absol-
uere illi licet et, quanti uult, taxare litem. Nihil ex his facit, tam-
quam iusto minus fecerit, sed tamquam id, quod constituit, iustis-
simum sit. Ignoscere autem est, quem iudices puniendum, non
punire; uenia debitae poenae remissio est. Clementia hoc pri-
5 mum praestat, ut, quos dimittit, nihil aliud illos pati debuisse
pronuntiet; plenior est quam uenia, honestior est.' De uerbo, ut 4
mea fert opinio, controuersia est, de re quidem conuenit. Sapiens

---

1 in *add. ug.* gemitibus N *corr. ug.* 3 ignoscet?“ Uagam rem constituamus *dubitanter scripsi;* ignoscet uacuã constituamus N *corrupte;* ignoscat, dicam. Constituamus *Pinc.;* ignoscet? Uacuo animo constituamus *Mg.* 4 sit uenia *ug.* sid ueniã N dari illam a sapiente non debere *ug.* dare illam a sapientem (m *exp.* N¹) non deuere N 6 racione N *corr. ug.* 7 ego breuiter (*uel* ego autem breuiter) *Mg.* ego ut braeuiter N Ei ignoscitur *ug.* & ignoscitur N 9 debet *ug.* deuit N 9 *et* 10 debit N *corr. ug.* illud *ug.* illũ N 11 honestior &|tibi N *corr. ug.* tribuet *scripsi;* tribuit N parcet *scripsi;* parcit N *sed* i *in ras.* N¹ 12 idem *ug.* item N 13 ignoscit *ug.* ignosc& N se, quod *ug.* sed quod N omisisese N *corr.* N¹ 15 inuidia *ug.* inuidiae N 16 labsus N 17 demitt& N *corr. ug.* 18 sunt *bis habet* N 20 formola N ex aequo *ug.* exquo N 21 quanti uult taxare *ug.* quati uult taxari N 22 minus *ug.* minui N 23 ignoscere *ug.* cognoscere N iudices *scripsi;* iud̄ N (*i. e.* iudices *substant.*); iudicas *ug.* 25 dimittit *ug.* dimittet N 26 pronuntiet *ug.* pronunti|at N

multa remittet, multos parum sani sed sanabilis ingenii seruabit. Agricolas bonos imitabitur, qui non tantum rectas procerasque arbores colunt; illis quoque, quas aliqua deprauauit causa, adminicula, quibus derigantur, adplicant; alias circumcidunt, ne proceritatem rami premant, quasdam infirmas uitio loci nutriunt, quibusdam aliena umbra laborantibus caelum aperiunt. Uidebit, quod ingenium qua ratione tractandum sit, quo modo in rectum praua flectantur. * * *

1 sani *ug.* same N seruabit *ug.* seruauit N 3 illis *ug.* illi N deprauabit N *corr. ug.* 4 dergantur N *corr. ug.* (*sed scribitur* dirigantur) 6 caelu N *corr. ug.* 7 rectum *ug.* flectum N
EXPL LIBER. ANNEI ASENEC

ADNOTATIONES CRITICAE.

Quod initio fuerat consilium meum, ut libello separatim edito de iis locis disputarem, in quorum scriptura constituenda a superiorum editorum maximeque Haasii ratione discessissem, causasque harum mutationum adferrem, id permissu honestissimi bibliopolae, cuius sumptibus haec noua librorum Senecae de beneficiis et de clementia editio prodit, ita mutaui, ut hanc disputationem ipsi editioni subiungerem nec inutile nec ingratum lectoribus hoc fore ratus. Sunt autem non pauci loci, in quibus Haasii uestigia deserui, partim noua codicis optimi Nazariani conlatione nisus, partim aliorum uel meis coniecturis usus. Ac de iis quidem mutationibus, quae codicis auctoritate nituntur, qui saepe et in minoribus rebus, maxime in uerborum ordine, et in maioribus ab Haasii editione discrepat, plerumque non est cur disputem, cum aut parui momenti sint aut satis per se defendantur; in iis quoque, quae aliorum coniecturis debentur, cum superiorum editorum, quorum bona inuenta Fickertus et Haasius non raro incautius spreuisse mihi uidebantur, tum eorum, qui nuper deprauata Senecae uerba multis locis feliciter emendauerunt, quorum principes sunt Hauptius et Maduigius, plerumque auctorum nomina in „Discrepantia scripturae“ singulis paginis subiecta indicasse contentus ero, defensionesque coniecturarum apud ipsos inuenientur. Restat igitur, ut de iis solis, quae aut ipse meis auspiciis mutaui aut Maduigio, Wesenbergio, Siesbyeo debeo, quorum amico fidelique consilio non raro usus sum, quam breuissime fieri potuerit, disputem; quamquam in his quoque quaedam tam perspicua aut tam parua sunt, ut uix digna iudicem, quae conmemorem, quare haec aut silentio praeterire aut tantum notare melius erit.

§ 1. De beneficiis lib. I.

Cap. 1, 1 N haec uerba exhibet: „Inter multos ac uarios errores temere inconsulteque uiuentium nihil prope modum, uir optime Liberalis, dixerim, quod beneficia nec dare scimus nec accipere". Haec quin uerbis quibusdam omissis conrupta essent, nemo dubitauit, librariique codicum deteriorum editoresque alius alio modo locum sanare studuerunt, plerumque tamen eodem, quo Haasius quoque, ut conparatiuum aliquem (uelut *indignius*, *foedius*, *turpius*) post „prope modum", deinde *quam* ante „quod" de suo adderent. Sed primum parum ueri simile est duo uerba sic diuersis locis omissa esse, potiusque statuendum uerba, quae desiderantur, simul et uno loco excidisse. Deinde ea, quae deinceps scribuntur: „sequitur enim ... querimur", quibus Seneca significat inscitiam nostram dandorum beneficiorum accipiendorumque ipsam ingratorum hominum multitudinis querellarumque, quibus hoc omnes deploramus, causam esse, ostendere mihi uidentur Senecam iis uerbis, quae exciderunt, non morale huius erroris genus significare uoluisse, sicut ii putauerunt, qui ratione supra conmemorata locum conrigere uoluerunt, sed molestias turbasque uitae humanae, quas hic error efficeret. Quare conlatis talibus locis, quales in hoc ipso libro cap. 4, 2 („de beneficiis dicendum est et ordinanda res, quae maxime humanam societatem adligat") et 15, 2 inueniuntur, inter uerba „dixerim" et „quod" hanc sententiam excidere potuisse suspicatus sum: *quod magis societatem humanam turbet, quam;* sed quamquam haec, quod ad loci sententiam adtinet, satis apta esse mihi uidentur, tamen, si singula uerba quaerimus, adeo neminem praestare posse adparet, quid re uera ipse Seneca scripserit, ut meum inuentum eius uerbis inserere noluerim. — § 3 in N est: „reddit enim beneficium, qui debet"; ante „debet" uulgo *libenter* addunt editores, credo, quod postea § 7 sic scribitur. Uidendum tamen est, ne, etiam si hoc non addatur, locus intellegi possit; nam „debere beneficium", „debere aliquid" interdum ita dicitur, ut idem significet quod „obligatum esse, obligatum se iudicare pro beneficio", uelut infra cap. 15, 6; II, 30, 1; IV, 21, 2; epist. 81, 8; 98, 11. Quod si eodem modo hic quoque Senecae uerba intellegemus, plane ex eius mente erit. — § 8 N pr. m. habet: „cum omni & officio magni

aestimetur dantis uoluntas"; ante „omni" m. sec. praepositio „*in*" addita est, quae abesse illa quidem non potest sed in conrupto „&" latere uidetur; nam haec duo uerba „et" et „in" non raro inter se permutata esse ostendit Haasius Adnott. crit. ad Senecae dialogos II p. 10; cfr. mea „Studia crit. in S. dial." p. 154. Scribendum igitur iudicaui: „cum omni *in* off. cet.". — § 12 scripturam olim uulgatam: „Quid magnifici erat m. p., si nemo *deciperet*" reuocaui; nam et facilius ex N uestigiis („erat.. deceperit") elicitur quam ea, quam Fickertus et Haasius praetulerunt („erit.. deceperit"), et in hac forma potius „decipiet" scribendum erat, et coniunctiuum hypotheticum sequens particula „nunc" requirit. Ceterum hoc ideo maxime conmemoraui, ut indicatiui et coniunctiui in eiusmodi sententiis condicionalibus coniunctionem apud Senecam ualde frequentem sed ab antiquorum consuetudine abhorrentem notarem; similia exempla sunt II, 12, 2; IV, 9, 2; 23, 2; VII, 9, 4; cons. ad Marc. 1, 3 et 4; 20, 4; de ira I, 11, 5; epist. 55, 11; 121, 11, alia. Cfr. Weissenborn ad Liuii lib. III, 19, 8; Zumpt § 519; Maduig § 348.

Cap. 2, 1 in his: „nec in uulgum effundenda sunt" retinui accusatiui formam „*uulgum*", quam habet N, quamquam „uulgus" est in uersu antecedenti; eadem forma, si optimis codicibus fidem habemus, Seneca de uit. beat. 2, 2 et epist. 98, 13 usus est. — § 3 de scriptura loci „si reddit aliquis cet." cfr. Stud. crit. p. 166. — § 5 extrema uerba, quae in N misere conrupta sunt, pluribus modis conrigi possunt, sententiamque loci iam superiores recte uiderunt; ego, cum talis erroris, qualis est „tertium" pro „tertio" scriptum, multa exempla in N inueniantur, contra, si recte memini, nulla additae terminationis passiui, malui sic scribere: „*tertio* etiam in eorum, q. e., memoriam reducetur" quam: „tertium ... reducet".

Cap. 3, 4, ut omnes quaestiones, quae § 2 de Gratiis propositae sunt, explicarentur aut saltem adtingerentur, unum uocabulum „*sororũ*", quod post „chorus" facillime excidere potuisse adparet, adiciendum putaui, idque requiri etiam eo ostendi arbitror, quod paulo post scribitur: „In eo (scil. choro) est aliqua tamen maioris dignatio" (nam sic Maduigius recte N scripturam emendauit), ubi ad „maioris" necessario „sororis" audiendum est. — § 5 ex N uulgo editur: „uultus hilari sunt, quales solent

esse, qui dant uel accipiunt beneficia", in quibus „uultus hilari" necessario pro genetiuo qualitatis accipiendum est; alioqui in iis, quae sequuntur, demonstratiuum pronomen desideratur. Sed cum Seneca, si usum eius recte animaduerti, semper „hilaris", non „hilarus", dicat, locus ita conrigendus est, ut aut „*uultu* hilari" aut „uultus *hilaris*" fiat, posteriorque ratio facilior est. Ablatiuus quidem qualitatis, ubi de parte aliqua corporis agitur, legitimus est; genetiuus ibi ponitur, ubi aut totius corporis qualitas indicatur (cfr. Corn. Nep. Datam. 3, 1; Liuii lib. XXVIII, 20, 3; XLI, 9, 5; Curt. IX, 7, 16; Senec. epist. 30, 1; Horat. ep. I, 20, 24), aut animi ingeniique qualitates per corporis quasdam partes metaphorice significantur (cfr. Horat. sat. I, 4, 8; epod. 12, 3 (naris); sat. II, 8, 84 (frontis); Ouid. Metam. V, 451; Pont. IV, 16, 5; Senec. ad Hel. 13, 7 (oris); Senec. de const. sap. 11, 3; epist. 87, 16; Senec. Rhet. p. 511, 17 ed. Kiessl. (linguae); Quintil. XII, 9, 10 (sanguinis), Gell. XIII, 25, 22 (auris)), et huc fortasse etiam locus noster trahi potest, etsi non opus est; sunt enim non nulli loci, ubi genetiuo casu ea qualitas, quam pars corporis aut denique rei alicuius habet, describitur, uelut Senec. epist. 121, 8 (animalia quaedam tergi durioris); Liuii lib. XXVIII, 5, 17 (mons est... cacuminis editi); XLII, 55, 2 (Athamania asperi.. soli); Ouid. Metam. V, 9; VI, 78; VII, 131 (acutae cuspidis hasta). Hanc disputationem exemplaque adlata maximam partem Siesbyeo debeo; ipse initio ablatiuum positurus eram. — § 6 Ionicam formam „*Aglaien*", quae inuenitur etiam Uergil. Catal. 11, 60, ad N uestigia („Aglę") propius accedere quam „Aglaian" adparet; „Aeglen" uerum esse non potest. — § 7 reposui, quod in N est: „Pasithean adpellauit et in matrimonium *promisit*", pro quo editores nescio qua usi auctoritate „produxit" substituerunt. Scilicet non infrequenti loquendi genere Homerus ipse promisisse dicitur, quod Iunonem promittentem fecit (Iliad. XIV, 269). — § 8 et Maduigius et ego uideramus scribendum esse: „de ipso *officio* dandi"; in eiusmodi disputatione „beneficio" pro „officio" facile ab oscitanti librario scribi potuisse elucet; „ratione", quod uulgo substituunt, nimis longe a uero abest, quamuis sententiae satis faciat. — § 9, si homines, quo minores essent aetate, eo minus bona facie esse solerent, crederem uerum esse, quod editores scripserunt etiamque N habet: „aetate autem minores quam

Horas sed meliuscula facie"; nunc geminatione litterae *s* sublata sine dubio scribendum erat: „*et* meliuscula facie".

Cap. 4, 1 scribendum esse: „*ne* circa rem quidem" pro „nec" dixi Stud. crit. p. 80 ibidemque uberius de toto hoc genere apud Senecam disputaui. — § 2 ex duobus dett. uerba „*libenter dare*" adieci; nam etiam dandi officium nominandum esse clare ostendunt uerba, quae sequuntur: „hi docendi sunt nihil inputare", praeterquam quod per se necessarium est. Dixerit aliquis dandi officium iam praecedentibus uerbis: „danda lex uitae, ne ... temperat" contineri; sed ibi hoc tantum dictum est, quod Seneca per extrema huius libri capita tractat, beneficia cum iudicio danda esse, ut semper rectus modus obseruetur; alterum, quod non minoris momenti est, et quod initio libri secundi tractatur, libenter dandum esse, praeteriri uix potuit. — § 6, ubi in N pr. m. scriptum est: „memoriam officiorum incedere animis", ad codicis uestigia propius accedit „*incidere*", quod Madwigio debeo, quam „ingerere", quod posterior manus in N adscripsit; cuius translationis quamquam nullum simile exemplum noui, tamen et apta et minime incredibilis est, cum eadem in uerbis „inscribendi" et „insculpendi" non rara sit; cfr. Cic. de nat. deor. I, 45; II, 12; Acad. prior. II, 2; de orat. II, 355.

Cap. 5, 3 N exhibet: „Haec ... caduca sunt, auferre nobis et fortuna et iniuria potest"; sed uerbi „potest" tres litterae *tes* m. sec. in rasura scripta sunt, nec adparet, quid initio codex habuerit, nisi quod suspicari possis scriptum fuisse: „auferre .. possunt" (pro „auferri"), quod deinde m. sec. ut multa alia infeliciter conrexit. Sed si ueram esse scripturam m. sec. putamus, quaeritur, utrum pronomen „*ea*", sicut uulgo fit, in altera sententia adiciendum sit, an „haec", quod nominatiuo casu ad priorem pertinet, etiam accusatiuo casu in altera audiri possit. In pronomine relatiuo neutri generis haec constructio non offendit; cfr. de tranq. anim. 8, 9 et Madwig. ad Cic. de finn. V, 26; in demonstratiuo neutri generis nullum exemplum noui, nisi si uerum est, quod scribitur in codice Bernensi apud Quintil. I, 3, 14: „quamlibet id receptum sit et Chrysippus non inprobet"; sed uid. Madwig. Emend. Liuian. p. 62 (ad II, 48, 6). Siesbyeus duo similia exempla mecum communicauit ex Tac. annal. II, 83 extr. („quaedam") et ex Liuii lib. XL, 46, 2 („quid?").

Cap. 7, 1, quamquam intellegi potest, quod scribitur in N: „qui dedit tamquam recepturus", id est, ea persuasione, ut accipientem aliquando gratiam relaturum esse confideret, tamen magis ex Senecae mente esse puto, quod ex Uincentio aliisque reuocaui: „tamquam *non* recepturus", id est, ita ut, dum daret, de recipiendo non cogitaret sed donum suum apud recipientem semper residere sineret; nam hoc modo dandum esse Seneca censet; cfr. u. c. cap. 1, 9 extr.; lib. IV passim per totum librum.

Cap. 9, 1 mancam N scripturam: „non quanta quaeque sint sed a quali proficiendum" rectius, ut opinor, quam uulgo fit, expleui conlato loco, qui est epist. 81, 6: „nec, quantum sit, sed a quali profectum uoluntate, perpenditur".*) — De § 2, ubi incertissima emendatio est, quid sentirem, satis iam in discrepantia scripturae indicanda declaraui; hoc tantum addam, quod uulgo ex Pinciani coniectura editur: „at peior, opinor, si cet.", in iis uerbum „opinor", siue ironice siue serio dictum accipitur, mihi quidem a loci sententia plane abhorrere uideri. — § 3 recepi Hauptii coniecturam *„abominandus conuicio"*; cum Gronouio N scripturam pr. m. „abominanda condicio" retinuissem, si exemplum eiusmodi inuenire potuissem, in quo condicionis uerbum, quod de sponso non raro usurpatur (cfr. Liuii lib. III, 45, 11; Suet. Aug. 63; Plin. epist. I, 10, 8; 14, 9; Quintil. declam. 257 extr.; Martial. epigr. V, 17, 2), etiam de marito poneretur. Paulo post non a ueri similitudine abest, quod Cornelissen Batauus, cuius librum, qui inscribitur „Coniectanea Latina", sero accepi, scribendum esse suspicatus est: „in *cella* prostare uetuit". — § 4 conruptissima est N scriptura: „Inde decertissimum sponsariolum genus est adulterium et in consensu uiduicae libatus quem nemo uxorem dux& nisi qui abdux&". Postrema uerba uulgo sic conriguntur: „in consensu uidui caelibatus nemo uxorem duxit, n. q. a."; sed primum equidem id acumen nullo modo

*) Cap. 9, 1 nuper Kochius sine causa hanc scripturam tentauit: „inuenit, quemadmodum Socraten sibi daret" et „obligaret" scribi uoluit, cum acumen Senecae, quod in his uerbis est, non caperet. Socrates supra 8, 2 Aeschini dixerat: „habebo curae, ut te meliorem tibi reddam"; ea uerba respiciens Seneca paulo post dicit: „pretium se (scil. meliorem a Socrate factum) sui fecit" et hoc loco: „inuenit, quemadmodum Socraten (id est, se ipsum Socratis similem factum) sibi daret."

intellegere possum, quod editores sine dubio in uerbis „uidui caelibatus“ inesse putant; mihi uero haec conpositio aut tautologian aut intolerabilem contradictionem habere uidetur, et nugas simpliciter dixerim; deinde pronominis relatiui „quem“ nulla ratio redditur nec, quid in eo latere possit, quaeritur, sed simpliciter abicitur. Sententiae loci uestigia tam perspicua sunt, ut de ea dubitari non possit; notat enim Seneca sui temporis malum, matrimoniorum odium, eiusque causam e malis feminarum moribus repetendam esse demonstrat, qua re fiat, ut uiri aut caelibem uitam agere malint aut cum uxoribus diuortia faciant uiduique fiant, nec ulla matrimonia nisi per turpitudinem ineantur. Ut et haec sententia aptis uerbis enuntiaretur, et uiduorum non minus quam caelibum mentio fieret, et litterarum „quem“ ratio haberetur, scribendum putaui: „et in consensu (id est, uulgo recepta et probata) *uiduitas caelibatusque*; nemo uxorem cet.“. Pro „que“ simili errore „quem“ scriptum est in N p. 12, 1 nost. ed. Initio huius loci utrum „decentissimum“ an „certissimum“ uerum sit, nescio; nec multum refert. — § 5 rursus conrupta N scriptura est: „sparsa erat agri auaritia recollegere“, nec licet conruptum uerbum „erat“ simpliciter abicere; nam quod Fickertus hoc uerbum librario conrigenti deberi opinatur, eiusmodi interpolationis in nostro quidem codice nullum uestigium est. Suspicatus sum in his latere posse: „sparsa *aegra et* acri auaritia reconligere“, ut Seneca auaritiam et auaris ipsis aegritudinem et aliis molestiam adferre significet, sed coniecturam hanc incertam esse non nego. Paulo post „*magis*“ addidi, cum Haasius „plus“ addidisset, quod parum rectum uidebatur; sed aduerbium hoc abesse posse ne ego quidem credo, et exempla, quae ad hunc usum defendendum adferuntur, nimis incerta sunt.

Cap. 10, 2 ex nonnullis dett. recepi: „abrumpetque frenos *inpudicitia*“, cum in N sit „pudicitia“; nam pudicitia est, quae habenas regit et inpudicitiae obstat, quo minus excurrat, inpudicitia uero uincula grauatur et rumpere studet, ut libere euagetur. Eiusmodi praepositio in uerbis conpositis non raro a librariis omissa est; sic cons. ad Marc. 26, 2 „stantibus“ pro „instantibus“ et de uit. beat. 22, 4 „differentia“ pro „indifferentia“ in cod. A scribitur; in cod. N p. 21, 23 h. ed. est „simulanti“ pro „dissimulanti“, p. 97, 7 „ducit“ pro „inducit“, p. 104, 2 „fueris“ pro

„profueris“, p. 107, 29 „gnitione“ pro „cognitione“, p. 109, 2 „ferendam“ pro „referendam“, p. 141, 26 „fringi“ pro „effringi“. — § 4 equidem conrigere non ausim, quod in N est: „omnia ista ab ingrato sunt“, cum uulgo: „ingrato *animo*“ scribatur. Seneca, ni fallor, adiectiuum „ingratum“ neutri generis pro substantiuo posuit, eoque magis id fieri poterat, quod substantiua, quae sunt „ingratia“ et „ingratitudo“, tum non in usu erant sed ab ecclesiasticis demum scriptoribus ficta sunt. Etiam in eo loquendi genere, quod lib. III, 6, 1 et alibi occurrit, cum dicitur „ingrati actio“, hoc adiectiuum similiter positum est. Cfr. Nägelsbach, Lat. Stil. § 21, 1 (ed. 2). Paulo post in N scribitur: „Haec est enim iniuriae summa: beneficium perdedisti. Saluum est enim tibi ex illo, quod est optimum: dedisti“, quam scripturam prauam et mancam esse adparet. Nam quod dicitur: „beneficium perdidisti“, id non solum superiori disputationi prorsus contrarium est, ut conparatis locis, quales sunt supra 2, 2 („nullum beneficium perit“) et 5, 3 („beneficium etiam amisso eo, per quod datum est, durat“), facile adparet, sed etiam iis, quae statim sequuntur: „saluum est enim cet.“, ubi editores particulam „enim“, quae certissima mendi nota est, uulgo audacissime abiciunt eaque ratione loci uulnus abscondunt, non sanant. Manifestum est uerba quaedam excidisse, quae ex iis, quae supra 5, 2 dicuntur, sine dubio certissima conrectione suppleri possunt, ut scribatur: „... summa: *beneficii materiam, non ipsum* beneficium perdidisti“. — § 5 in his: „Tamquam filios alicui restituere potero magno periculo liberatos sine ullo meo: non dubitabo“ non necesse est cum N m. sec. post „tamquam“ particulam „si“ adici, quod uulgo fit; nam sententiarum forma ea est, quam Maduigius gr. Lat. § 442 a adn. 2 explicauit, et plane simile exemplum infra VI, 4, 2 inuenitur. Ceterum maxime contra Maduigium codicis scriptura defendenda est, qui eam in Aduersariis tentauit; nam nec opus est indigni et ingrati hominis significatione, quam ille h. l. desiderauit, cum per se statim adpareat de nullo alio quam de eiusmodi uiro hic agi posse, et manifestum est, cur Seneca se hoc nisi nullo suo periculo facere nolle dicat; nam pro indigno scilicet periclitari non uult, idemque infra in altero exemplo uerbis „clamore sublato“ significat.

Cap. 11, 4 N pr. m. habet: „ut ab illis quam uita diuelli

grauius existimet"; m. sec. ante „uita" praepositionem „a" adiecit, quam editores uulgo receperunt. Et facile sane h. l. omitti potuit; sed Seneca interdum insolentiore modo praepositionem in altero bimembris orationis membro omisit, si quidem optimis codicibus fidem habemus, ut similiter in conparatione quaest. nat. VII, 18, 2: „per cometen autem non aliter quam nubem (sic cod. E; edd. „per" addunt) ulteriora cernuntur"; ad Heluiam 16, 5: „tantum debes a feminarum lacrimis abesse quantum uitiis" (Haasius: „a uitiis"); Uell. Paterc. II, 1, 4: „Pompeium ad turpissima deduxit foedera . . . nec minus turpia ac detestabilia Mancinum"; cfr. Weissenborn ad Liuii lib. III, 19, 4. Sed de clem. I, 21, 4 „*ab*" omitti uix potest; poterat, si scriberetur: „a quibusdam n. al. q. animal. uindicare te fastidias". Alia sunt haec: epist. 108, 14: „puram mentem non tantum ab inlicitis uoluptatibus sed etiam superuacuis" (cuius generis multa exempla ex Caesare et aliis adtulit Nipperdeius in editione librorum Caesaris p. 57); de benef. I, 6, 3: „ne in uictimis quidem . . deorum est honor, sed recta ac pia uoluntate uenerantium", ubi fortasse parum caute cum Haasio praepositionem „in" adieci; durius etiam eadem omittitur ad Heluiam 14, 3: „ea in erepto filio desiderare, quae incolumi (Haasius: „in incolumi") numquam ad te pertinere duxisti", ubi fere probauerim Haasii rationem. — § 5 „*quae*" pro „quaeque" scribendum esse putaui, quamquam per se non parum apte haec sententia relatiua particula „que" adiectiuo „non uulgaria", cuius explicationi inseruit, adiungitur; nam retenta particula copulatiua altera sententia relatiua: „quae . . fiant" nimis dissolute superioribus adhaerere mihi uidebatur, cum remota illa particula melius procederet oratio.

Cap. 12, 3 in N est: „tempus, locum obseruet, personas, quia momentis quędã grata et ingrata sunt". In primis uerbis apud Senecam utcumque tolerandus est contortior uerborum ordo; certe et praue particula „et" cum m. sec. adderetur et multo etiam prauius uox „personas" cum Haasio abiceretur. Sed in iis, quae sequuntur, primum „momentis" parum finite dicitur dicendumque certe erat: „quia his momentis", scilicet loci, temporis, personarum; nam haec momenta Seneca intellegit; eadem sententia efficietur, si „*quib;*" (id est, *quibus*) pro „quia" substituerimus. Deinde etiam pronomen „quaedam" sine dubio de-

prauatum est; nam quo pertinet haec restrictio in tam uniuerso praecepto? nec certe quidquam est, quamuis sit alioqui pretiosum, quod non neglectis his momentis ingratum fieri possit. Pro „quaedam" dicendum erat „omnia", sed idem lenius efficietur, si „*quae damus*" scripserimus.

Cap. 13, 2 multo acrior fit uis sententiae recepto ex nonnullis dett. uerbo „*est*", quod eiusmodi locis saepe excidit; nam sic illa sententia: „cogitauit, non qui cet." causam indicat, cur Alexander post legatorum uerba repente mutato iudicio id munus libenter acceperit, quod initio cum risu spreuerat.

Cap. 15, 1 particulam „at" adieci, quae propter sequentes litteras omissa erat; nam alioqui asyndeton intolerabile est, quod superiores editores „tamen" addendo euitabant. — § 2 particula „ne" necessario adfirmantis est, non timentis nec prohibentis, quas significationes ab hoc loco plane alienas esse demonstrare uix opus est; idque etiam superiores recte intellexerunt, qui „ne ... exaudit" scribebant. Sed pronomen „*ille*" aut „*is*" abesse non potest, ubi hac ui particula „ne" ponitur, ideoque „*ille*" addidi. — § 3 de eo emendandi genere, quo et hic „*defert*" pro „differt" scripsi et multis locis similiter per sequentes libros scripturam conrexi, conferri uelim, quae dixi Stud. crit. p. 68—69; ceterum etiam alii eandem quaestionem tractauerunt. — § 4 sine dubio scribendum erat: „at illa quanto gratiora sunt ..., *quae* (N: cum) delectant cet."; alioqui enim pronomen demonstratiuum, quod demonstret, non habet.

§ 2. *De beneficiis lib. II.*

Cap. 1, 2 recipere debui Siesbyei coniecturam, qui sublata litterae *e* geminatione „*uitemus*" pro „euitemus" scribi uult, primum quod „uitare, ne quid fiat", id est „cauere", saepe dicitur, contra „euitare, ne quid fiat" reperiri non uidetur, deinde quod, ut ait Maduigius ad Cic. de finn. V, 20, „euitare" significationem habet effectus. Eadem de causa infra lib. VI, 39, 1 ex eiusdem coniectura „quod *deuitat*" reuocata *d* littera pro „quod euitat" scripsi. De eo, quod paulo post scripsi, „nullamque *inuit* gratiam", conferri uelim, quae dixi Stud. crit. p. 166. Quod ad postrema huius paragraphi uerba pertinet, ut uera sit ea enarra-

tio, quam Gruterus in Suspic. lib. 21 c. 5 (s. lib. extraord. c. 2) proposuit, tamen non intellego, quid h. l. agat eiusmodi sententia, ideoque dubito, an uera scriptura nondum reperta sit.

Cap. 2, 1 de Siesbyei coniectura conferatur Maduigius ad Cic. de finn. exc. 6 p. 834. — § 2 notari uelim interpunctionis mutationem, qua nunc demum uerba recte, ut opinor, discripta sunt; sed fortasse semicolon, non punctum, ante „statim" ponere debui. Paulo post in N scribitur: „quamuis leue et uulgare beneficium *est*", pro quo m. sec. „sit" scripsit; sed cum similiter infra lib. III, 32, 5 et VI, 15, 3 itemque de breuit. uitae 6, 4 „quamuis" cum indicatiuo ponatur, si quidem optimis codd. fides habetur, et haec structura etiam aliorum scriptorum usu defendatur, primae manus scripturam retinendam putaui, etsi coniunctiuus apud Senecam longe frequentior est.

Cap. 4, 2, ubi N m. pr. haec habet: „ille & consumet in unum munus cet.", conrectiones m. sec., quae aperte uerae sunt, cum ceteris edd. recepi, nisi quod ex „in" potius „*ita*" quam „sic" faciendum uidebatur. Ceteroquin locum sanum esse puto; nam quod Kochius codicis cuiusdam deterioris testimonio usus, quod nullius momenti est, „*insinuet*" pro „consummet" scribi uoluit, re uera is demum beneficium consummat et ratum efficit, qui rem dudum promissam sed retentam a promittente sumit et petenti tradit; praeterea insinuandi uerbum mihi quidem nimis quaesitum uidetur.

Cap. 5, 2 N m. pr. habet: „potest ob id gratus e ut est quematmodum cet.", ita ut in litteris „gratus e" uersus desinat; deinde postrema littera *e* erasa est, fortasse tertia manu, quoniam haec deinceps supra conrupta uerba „ut est" hoc adscripsit: „ł esse". Non dubitandum esse uidetur, quin infinitiuus „esse", qui necessario requiritur, in erasa illa littera lateat; scilicet librarius pro „e" compendium infinitiui „ēe", quod etiam alibi in hoc codice reperitur, scribere debuit sed in fine uersus, ut saepius factum est, rem parum accurate egit. Deinde in uerbis „ut est" ea loquendi forma mihi latere uisa est, qua Seneca saepissime huiusmodi locis in summa disputationis antecedentis indicanda utitur, cum dicit: „*Ita est*". Similia exempla his locis inueniuntur: quaest. nat. IV praef. 9; epist. 18, 15; 22, 11; 66, 31; 97, 13; cfr. Haasii praef. vol. I p. V. Eodem

modo etiam „Ita dico“ ponitur, ut epist. 23, 6; 41, 2; 61, 3; 124, 10.

Cap. 7, 2 interpunctionem ita mutaui, ut uerba, quae sunt: „adiecta contumeliosa admonitione“, ad antecedentem sententiam traherem; nam adparet Tiberium et aere soluendo et adicienda admonitione effecisse, ut Nepos nec aes alienum haberet nec beneficium, non solum adiecta admonitione; igitur inepte haec uerba cum „effecit“ iunguntur, contra aptissime cum „scripsit“.

Cap. 8, 2 antiqui editores sic interpungebant: „Non est illud liberalitas: censura est, auxilium est, principale tributum est. Beneficium non est“; sed cum hoc modo antitheta ista male discripta essent, Gruterus, quem Lipsius et ceteri usque ad Fickertum secuti sunt, sic scripturam mutauit: „Non est illud liberalitas, censura est; *non* auxilium est, principale tributum est. Beneficium non est“; eodemque redit Fickerti et Haasii scriptura, in qua omisso „non“ sic interpungitur: „auxilium est? princ. tr. est“. Uix dicere opus est, quam falsa sit et Gruteri et Fickerti ratio; quis enim hoc, quod Tiberius istorum hominum aes alienum soluit, auxilium esse negare audeat? Mea interpunctione locum recte constitutum esse certo credo. — Quae uerba in § 1 leguntur: „Tamen, inquit, effugere Tiberius cet.“, ea non ficti alicuius interlocutoris sunt, sed, ni multum fallor, Seneca ea ex commentariis et actis Tiberii imperatoris sumpsit, quae apud Suetonium Tib. 61; Domit. 20 conmemorantur.

Cap. 10, 1 in his uerbis: „Arcesilan aiunt ... iudicasse“ eam scribendi rationem, quam proposui, ad ea scripturae uestigia, quae N m. pr. reliquit, proxime accedere ideoque ei praeferendam esse, quam superiores editores secuti sunt, neminem negaturum esse credo; sed ne quem offendat subitus ex obliqua oratione in rectam transitus, similia exempla apud Senecam, ubi aliorum narrationes aut sententias exponit, non raro inueniuntur. In libris quaestionum naturalium hoc maxime fieri adnotaui, uelut lib. II, capp. 15; 17; 19; 20, 1; III, 5; 6, 2; 9, 1—2; 14, 1; V, 2; VI, 9, 1; 10, 1—2; sed etiam locus, qui est infra de benef. III, 23, 2—3 („manu misit“), adferri hic potest, eademque et ibi et hoc loco transitus causa est, quod ad postremum narrationis uerbum Seneca quaedam de suo addit ad narrationem non pertinentia. Cfr. etiam VII, 7, 3; 15, 1 („naui-

gasse .. perueni"). — § 3 etiam primo loco N: „uolo utique sciat" habet, ubi uulgo: „uolo, inquis, sciat" editur; sed similiter infra lib. VII, 29 et 30 („Perdidi beneficium") et epist. 47, 1 („serui sunt") et 117, 23 („Ita quam primum moriar"), ut his exemplis defungar, eadem interlocutoris uerba saepius ponuntur et ad ea pluribus modis a Seneca respondetur. Nec adparet, cur in uulgari scribendi ratione primo loco „uolo sciat" tantum dicatur, deinde: „uolo utique sciat". De omisso uerbo „inquit" infra ad cap. 17, 1 dicam. — § 4 mancam N scripturam et facilius et rectius, quam uulgo fit, me conrexisse credo; „respicere" hoc loco, ut saepe alibi, significat: „auf etwas rücksicht nehmen".

Cap. 11, 1 eius hominis, cuius dictum conmemoratur, haec sola uerba esse credo: „Redde me Caesari!"; cetera Senecam ipsum, cum se illius loco esse fingat, ex suo more ad sententiam explicandam et amplificandam adiecisse. Nam mire languida et loquax fit illius hominis oratio et omnem fere uim amittit, si tam multis eum uerbis usum esse putamus, quam Fickertus certe et Haasius crediderunt. Eadem ratione infra § 3 Seneca sua uerba: „Quid opus est te loqui cet." alienae orationi adiungit. Paulo post, ut „dices", sic etiam „*circumduces*" et „*sines*" recte scribi certum est; et futuri temporis in postremo uerbo satis perspicua uestigia conrupta m. pr. scriptura („sineremel") seruauit. — § 3, ubi interpunctionem a Maduigio propositam recepi, ne quem offendat „sciturus est" pro eo, quod est „sciturum esse putas", positum, conferatur similis locus lib. VI, 35, 1: „Male de te existimas, si inutilis es .... superuacuus es". — § 5 ad N m. pr. proxime accedens scripsi: „haec tamen (parentium beneficia) inrita sunt, si infantia deseruntur, nisi .. nutrit", cum coniunctiuum in uno uerbo mutare mallem quam indicatiuum in duobus; sed maioris momenti est, quod ego „infantia" retinui, cum ceteri editores ex N^2(?) „in infantia" scripserint. Certe haec scriptura, in qua „infantia" pro substantiuo accipitur, per se rectissime habet et defendi eo potest, quod supra § 4 scribitur: „si labores suos destituit in semine"; sed recta quoque et eleganti translatione beneficia, quae in infantes conlata sunt, ipsa infantia uocantur necdum adulta, eaque translatione Senecam re uera usum esse ostendere ea uidentur, quae deinceps scribuntur: „munus suum nutrit" et „nisi illa adiuueris" et „fouenda sunt".

Cap. 12, 1, ubi in N est: „et alioquin . . electurus", particulam „et", quae constructionem turbat (nam „alioquin . . electurus" idem est, quod: „praesertim cum . . electurus esset") sustuli. — § 2 Scaligeri coniectura certe speciosa est et acute eam Gronouius defendit; sed tamen ea, quae de „epigrorum" significatione traduntur, eiusmodi sunt, ut illud uerbum ab hoc loco alienum mihi uideatur, ideoque conruptas N litteras reliqui.

Cap. 13, 1 in primis statim uerbis animaduerti uelim, quanto rectior efficiatur sententia omissa interiectione „o!" altero loco, quam uulgo addiderunt nescio qua nisi auctoritate; nam in N non est. Sed magis etiam animaduertendum est paulo post a N quinque illa uerba: „ut te omnia nimia delectant" prorsus abesse itemque a nonnullis codd. dett., cum et in omnibus editionibus et in aliis dett., si quidem Fickerti silentium recte intellego, reperiantur. Hic locus praecipue inter eos nominandus esse uidetur, ex quibus effici dici possit, non omnes codices deteriores ex N fluxisse; sed tamen adeo omnis sententiae uis sequentibus uerbis: „ut te omnia dedecent" inest adeoque illa uerba nisi cum his artissime coniuncta nihil hoc loco agunt, ut Fickertus recte iudicasse uideatur neminem illa, si abessent, desideraturum fuisse; ideoque, ut plane tollere ea nolui, ita uncis inclusi miram eam interpolationem esse ratus, quae librario codicis nescio cuius deterioris debeatur, ex quo in alios eiusdem generis codices migrauerit. Paulo post conruptissimus est locus, ubi N habet: „ostendisque tibi non adagnoscere ista bona, quibus tantum inflaris". Et Haasius et Maduigius coniectura laboranti scripturae opem ferre conati sunt, sed quae inuenerunt („tibi non *datum* agnoscere" et „tibi non *datum di*gnoscere"), mihi quidem non placent nec cum reliquis huius loci uerbis totaque sententia recte congruere uidentur; nam, ut cetera sunt, Senecam hoc dicere uoluisse credo, superbiam ipsam ea bona, quibus infletur quibusque uir uere magnanimus summo cum splendore uteretur, uitio suo conrumpere, ut omnem splendorem amittant. Hanc sententiam ita scribendo effici posse putaui: „ostendisque tibi non *adaugescere* ista bona", id est, amplior ahonestioraque fieri (cui contrarium est deprimi et minui); eodem modo Plinius Paneg. 57 extr. „augescendi" uerbo usus est, et similis uerbi transitiui, quod est „augere", usus satis notus est. Opes magnas beneficiis

magnifice dandis honestiores fieri disputat Seneca infra lib. VI, 3, 3.

Cap. 14, 1 intellegi certe et defendi potest illa sententia: „inpetus .. animi, qui consilium fugat“ uniuerse dicta; melius tamen „*fugabat*“ esse puto, ut de uno casu cogitetur, in quo illum inpetum secuti simus, sicut etiam § 3 scribitur: „accessio illa, quae animum inflammabat“. — § 3 interpunctionem mutaui, quia prima responsi pars solis his uerbis: „immo de te et merito quidem“ rectius absolui mihi uidebatur. — De § 5 nihil habeo quod addam; tantum dicam Maduigii coniecturam, quamuis ad sententiam recta sit, tamen eo minus ueri similem esse, quod uerbi „patiar“ nullam auctoritatem esse nunc constat. (§ 4 quod dicitur „saeua bonitas“, simili loquendi genere defendi uidetur, quod statim sequitur: „blandum et adfabile odium“.)

Cap. 16, 1 N habet: „Refert quid & cui, quando, cet.“, ex quo ueram scripturam „*qui det*“ nullo negotio effeci; nam in uulgata scriptura („Refert, quid, cui, cet.“) et uerbum male abest, et pro eo membro, quod in hac enumeratione desideratur nec omitti potuit („qui det“), aliud infertur, quod prauissimum est („quid“); scilicet refert, qui det, cui, quando, et cetera, ut omnium horum respectu constitui possit, quid dandum sit. — § 2 similiter N m. pr. rectam scripturam sola seruauit: „cum sit ubique *uirtus* modus“, id est, cum uirtus ubique in modo obseruando posita sit; cfr. lib. I, 15, 3: „cum sit nulla honesta uis animi . . . , nisi quam uirtutem modus fecit“.

Cap. 17, 1 haec omnia uerba: „Turpissima eiusmodi cauillatio est; inuenit . . . tribuat“ contraria esse adparet iis, quae § 2 sequuntur: „Si me interrogas, probo cet.“; quare, cum § 2 Senecae ipsius de Antigoni facto sententia aperte contineatur, fieri non potest, quin illa uerba ficto interlocutori aut Aebutio Liberali, ad quem scribit et quocum conloquitur, tribuerit nec suo nomine posuerit, ideoque in his alienae personae oratio signanda erat, ut loci sententia adpareret. Hoc antea editores non fecerunt nec de loci constitutione recte iudicasse uidentur, ut Lipsius, qui ad uerba, quae sunt: „Si me interrogas, probo“, haec adscribit: „Uidetur aliqua dissertatiuncula fuisse, quae periit, super hoc facto. Subiicit nunc: Si me quoque interrogas, sum inter probantes.“ Uidelicet eo locus obscurior factus est, quod Seneca

illis uerbis solitum uocabulum „inquit“ non interposuit; sed pertinet hoc ad eam disputationis formam, qua in omnibus fere libris utitur, quae dialogi speciem refert parum exactam, ut plerumque ille quidem uerbum „inquit“ aut „inquis“ inserat, quo oblocutoris orationem signet, sed tamen etiam omisso illo uerbo conloquium instituere soleat. Frequentissime hoc modo infertur obiectio aliqua a particula aduersatiua aut uerbo interrogatiuo incipiens („at“, „sed“, „uerum“, „tamen“, „quid ergo?“) et ita quidem, ut Senecam non ipsum hoc sibi obicere sed eum, quocum conloquatur, aut fictum aduersarium obicientem facere adpareat; cuius generis exempla etsi uix opus est adferre, tamen pauca adscribam: epist. 14, 15; 36, 2; 73, 5; 84, 8; 112, 3; de const. sap. 4, 1 et 3; de ira I, 12, 1 (?); II, 26, 3; ad Marc. 7, 1; 12, 3; 16, 6; 17, 1; 21, 1; de benef. III, 17, 1; VI, 42, 2, sed multis locis similibus „inquit“ aut „inquis“ additur. Alibi obiectio non est, sed aduersarii sententia sic paucioribus aut pluribus uerbis proponitur, quae deinde refellitur, uelut de ira I, 16, 6; ad Marc. 9, 5; de uit. beat. 20, 1; ad Helu. 6, 2; de benef. III, 6, 1; 30, 1; 35, 4; IV, 5, 1; VII, 16, 3; 29, 1; 30, 1; ep. 72, 4; 78, 17; 93, 3; huc etiam eiusmodi loci referri possunt, ubi aduersarii quaestio proponitur, quales sunt de prouid. 2, 1; de ira I, 7, 1; de uita beat. 21, 1; 26, 1; uerbum, quod his locis omissum est, aliis similibus saepe interponitur. Ad hoc genus is quoque locus, a quo haec disputatio coepit, rettulerim, quamquam etiam ad tertium genus referri potest. Nam longius procedit haec ratio et inter mediam rei expositionem conloquium dialogorum more incipit, uelut de benef. II, 10, 2. 3; 18, 6—8; V, 13, 3—4 et maxime 19 et 20, 4, ubi idem uerbi „inquit“ defectus effecit, ut multi editores, etiam Haasius, disputationem prorsus non intellegerent; epist. 71, 8 sqq.; 85, 24 sqq.; 88, 16. 17; addi potest quaest. nat. I, 6, 2—3, sed is locus apud Haasium male constitutus est, nec nunc de eo disputare libet. Interdum tamen his locis „inquit“ uno aut altero loco ponitur, in ceteris membris omittitur. Plane alia ratione Seneca idem uerbum omisit huiusmodi locis: de const. sap. 10, 2; de ira II, 24, 1; de benef. II, 26, 2; 28, 1; 35, 3; IV, 32, 2 sqq.; epist. 33, 7; 72, 2; 97, 5; neque enim hic directa oratio interlocutoris aut aduersarii est, sed earum personarum, quarum ingenium praecedentibus uerbis descriptum est, quod hac ratione maiore

cum ui legentium oculis et animis subicitur; alibi etiam eiusmodi locis uerbum additur. Durissime infra V, 23, 1 uerbum omissum est, si tamen uera huius loci scriptura est; de VII, 18 suo loco disputabo. Sed iam ad propositum redeamus. — § 4 ex N editur: „si cum tirone et indocto (negotium est), non tam rigide nec tam excusse, sed languidius et in ipsam eius dirigentes manum remisse occurremus.“ Sed primum aduerbium „remisse“ mire et sine ui ceteris aduerbiis superponitur; deinde, quamquam de mittentis officio maxime agitur, tamen etiam excipientis commemorandum est, ut ex sequentibus adparet, in quibus habita similitudinis ratione praecipitur, ut faciles ad recipienda beneficia simus et gratiam referentibus occurramus. Iam cum „occurremus“ aptissime excipientis officium significet, uerbum mittentis officium significans excidisse uidetur, ideoque Senecam sic scripsisse ratus sum: „in ipsam eius derigentes manum *mittemus*, remisse occurremus.“ An potest „mittemus“ ex praecedenti sententia condicionali audiri?

Cap. 18, 2 scripsi: „dandum *est et accipiendum*“, cum tria uerba extrema in N abessent; nam cum hoc loco de eo maxime disputetur, quomodo beneficium accipiendum sit, illa uerba necessario addenda sunt, quae quam facile omitti potuerint, adparet. (§ 5, ubi scribitur: „debeo enim, cum reddidi, rursus incipere, manetque amicitia“, Kochius de uerbo „incipere“ inmerito, ut mihi quidem uidetur, dubitationem mouit et „accipere“ scribi uoluit, quod neminem probaturum esse puto; ad „incipere“ audiendum est „reddere“, significaturque id debitum, quod beneficio accipiendo contrahitur, etiam si gratiam rettuleris, inlibatum manere, ut necesse sit, semper denuo soluere incipias. Nec magis probo, quod § 6 Hermes scribendum esse censuit: „*uitam* dat tyrannus“; primum enim uniuerse aliquid dare tyrannus dicitur munere non nominato, deinde § 8 exempli loco uita nominatur, ut significetur, ne maximo quidem beneficio a tali homine accipiendo quemquam ei obligari.)

Cap. 19, 1 dixi fortasse scribendum esse: „qui *a* malo animo profuit“; cfr. de breuit. uit. 17, 1; epist. 11, 5; de clem. I, 20, 1.

Cap. 20, 2 de eo loquendi genere, quod est „agere se aliquo modo“, conferatur maxime Ruhnkenius ad Rutil. Lup. II, 4, etsi non omnia exempla, quae adfert, certa sunt.

Cap. 21, 4 oratio non cohaeret; nam exemplum ab Hecatone positum, quod adfert Seneca, plane diuersum est ab eo, quod antecedit, ideoque cum eo coniungi non potest; desiderantur ergo uerba quaedam, quae transitum ad aliud genus, ad quod Hecatonis exemplum pertinet, muniuerint, quibus, ut ex § 5 adparet, et indignorum hominum genus et magnanimitas non accipientis beneficium oblatum significata fuerint, necesse est; sed quid Seneca scripserit, diuinare non possum.

Cap. 22, 1 scripsi: „*Quare* grate ad nos peruenisse (scil. beneficium) indicemus"; nam quod Fickertus et Haasius ex codd. „Quam grate cet." scripserunt, pronomen relatiuum nullo modo ad „laetitiam" referri potest; superiores editores multo rectius „quam" abiciebant.

Cap. 23, 2 uulgo addita particula „nec" edebatur: „Quidam nolunt nomina secum fieri nec interponi pararios nec signatores aduocari *nec* chirographum dare", quod uerum esse non potest; nam eiusmodi debitoribus, qui nullo modo creditori cauere uoluerint, nescio an nemo quidquam credere ausurus sit. Sed res aliter habet; nam ut quidam beneficia nisi secreto remotisque omnibus testibus accipere nolunt, sic isti debitores omnia stipulationis genera, in quibus testes adhibentur, uitant, „chirographum *tantum* dare" uolunt debitoris manu scriptum et ab ipso et creditore solis signatum.

Cap. 24, 3 paulo rariore loquendi genere Seneca hoc dixit: „tamquam qui dicat"; sed conferatur Cic. pro Planc. 65 („quasi qui"); Ouid. Heroid. 10, 31.

Cap. 28, 3 quomodo ceteri editores locum intellexerint, nescio; Haasius certe non uidit alienae personae orationem usque ad § 4 extendendam esse, cum haec uerba: „cotidie querimur malos esse felices" et cetera artissimo uinculo cum iis cohaereant, quae praecedunt („quam raro fortuna iudicat?"), et exemplo adlato ea explicent.

Cap. 35, 3 primum, ne quis ante uerba „nihilo minus" particulam „et" desideret, conferatur infra V, 12, 2; VI, 19, 5; et sic Seneca loqui solet. Deinde N pr. m. haec exhibet: „Exhortatio est illa non infitiatio beneficia timeamus neuel intolerabili sarcina pressi deficiamus animo"; m. sec. „beneficii" conrexit, eamque conrectionem, quae in codd. dett. transierat, recipientes

simulque particulam „ne“ addentes superiores edebant: „Exhortatio.. beneficii. *Ne* timeamus, neue intolerabili cet.“ Haec scriptura certe uerior erat quam ea, quae Haasio (et iam Fickerto) placuit, quae quam peruersa sit, demonstrare opus non est; hoc tamen Haasius recte uidit, ante „intolerabili“ particulam „ut“ desiderari. Sed „exhortationis“ uocabulum nimis nude et indefinite poni uidetur, dicendumque erat, ad quid aut quo consilio Seneca nos adhortaretur; ac primae manus scriptura clare ostendit locum mancum esse, sed facili negotio uerum restitui potest additis duobus uerbis, ut scribatur: „Exhortatio est ista, non infitiatio *beneficii*, *ne* beneficia timeamus, *neue ut* intolerabili cet.“ In iis, quae sequuntur, ex Haasii coniectura „seruatus“ recepi, quod ad sententiam aptum est; ad hoc participium uerbum „est“ pertinet.

§ 3. *De beneficiis lib. III.*

Cap. 2, 2 olim edebatur, quod N m. sec. conrigendo effecit: „Denique ad reddendam gratiam et uirtute opus est et tempore“; quod etsi prima specie recte habere uidetur, tamen certe mendosum est. Minoris momenti hic est, quamquam ad uitium scripturae coarguendum multum ualere debere aliquis dixerit, quod Seneca ipse epist. 81, 9 illud dicendi genus, quod est „gratiam reddere“, damnat dicitque „gratiam referre“ uerum esse; nam infra V, 16, 4 ipse dixit: „hanc gratiam rei publicae reddidit“. Sed primum offendit, quod paulo ante in eadem re simpliciter dicitur: „de reddendo cogitasse“ non adiecto uocabulo gratiae; deinde adparet hic agi de ea r e, quam acceperis, reddenda, non solum de gratia referenda, quod etiam non reddita re fieri potest; denique conrectio uiolentior est; nam etsi p. 42, 9 similiter peccatum esse uidetur, tamen illo loco multo facilius „dandum“ pro „dandam“ scribi potuisse adparet quam hic „reddendum“ pro „reddendam“. N m. pr. habuit: „ad reddendum gratiam et uirtutem opus est“, ex quo deleta in utroque substantiuo littera finali, retento autem „reddendum“ faciendum erat: „ad reddendum *gratia* et uirtute opus est“; nam etiam gratia apud homines potentes saepe, etiam si non semper, ad reddendum opus esse nemo negauerit.

Cap. 3, 4 reuocanda erat superiorum editorum interpunctio, quam Haasius non intellecto loco conruperat: „... gaudentis. Deinde quia nemo nostrum cet.“ Uerba, quae sunt: „Deinde quia“, illis respondent, quae § 1 leguntur: „Prima omnium ac potentissima (causa est), quod“, idemque significant, ac si Seneca dixisset: „Altera causa est, quod nemo nostrum cet.“ Notandus est hic usus particulae „deinde“, quae hoc modo fere adiectiui uim habet; simile exemplum infra V, 8, 1 (prius — deinde) est et apud Cic. ad famil. XIII, 10, 2 (una — deinde); conferatur etiam Celsus III, 5 p. 84 v. 21 sqq. ed. Daremberg (optimum tempus — deinde — tertium) et Cic. de finib. III, 20 (primum est officium — deinceps) et Quintil. VIII, 3, 49, quae exempla Siesbyeo debeo.

Cap. 6, 2 scripsi: „aduersus maleficium *omnes* consensimus“, cum in codd. et edd. esset „omne“; nam „omnes“ solum recte illi uerbo respondet, quod paulo post scribitur: „sed ubique aliqua“.

Cap. 7, 1 quamquam id, quod in N est: „actio sicut certae pecuniae“, defendi potest loco Ciceronis pro Rosc. com. § 10, tamen, cum infra cap. 10, 1 et 15, 1 Seneca dixerit „pecunia credita“, tutius mihi uisum est Erasmi conrectione ita uti, ut post „certae“ adiectiuum „*creditae*“ adderem, quo modo locutus est Quintilianus IV, 2, 6 et 61; VIII, 3, 14; XII, 10, 70, ex quibus locis adparet hanc actionem uulgo sic adpellatam esse. — § 7 N scriptura uerissima est: „De quibusdam et inperitus iudex demittere tabellam (scil. in cistam) potest, ... ubi inter disputantes ratio ius dicit; ubi uero animi coniectura capienda est, ... non potest sumi ad haec iudex ex turba selectorum“; nam „ratio“ hoc loco significat „rechnung“, rationemque conputare etiam inperitus iudex potest; non significat „vernunft“, quod uulgo editores crediderunt, ideoque scripturam male conruperunt.

Cap. 10, 3 uulgo editur: „Age, intra pecuniam uersabitur taxatio: quid, quod quaedam uitae beneficia sunt et maiora uita?“ Sed hae duae sententiae manifesto inter se pugnant; nam posteriore significatur esse beneficia quaedam maiora, quam ut pecunia aestimari possint; sic autem efficitur, ut taxatio beneficiorum non semper intra pecuniam uersetur, itaque adparet non recte priore sententia dici hanc taxationem in hac re futuram esse. Quare certe post „taxatio“ interrogandi signum ponendum erat;

sed ne sic quidem recte haberet locus, cum et in illa sententia aduerbium „semper“ desideraretur et transitus per uoces „quid, quod“ parum rectus esset; debebat enim potius „immo“ scribi. Omnes difficultates remouebuntur, si scripserimus, quod ego edidi: „*uersabatur*“; dicit enim Seneca se adhuc ea tantum beneficia spectasse, quae utcumque pecunia aestimari possent, ut in iis reddendi ratio facilius explicari posset; sed non eo standum esse et difficiliorem fieri rationem, ubi ea beneficia sint, quae hoc modo taxari non possint.

Cap. 11, 1 uerba, quae sunt: „et quia utile est iuuentuti regi, inposuimus illi quasi domesticos magistratus, sub quorum (sic uulgo; cod. N „sed quorum“, unde fortasse faciendum erat: „*et* quorum“, id est, „et eos, quorum“) custodia contineretur“, ubi nunc in codicibus leguntur, ferri non posse adparet, quoniam cum antecedenti sententia, quae uerbis: „Deinde alia condicio parentium est ... merita sunt“ manifesto omnibus numeris expleta est, prorsus non cohaerent. Ergo suo loco haec mota esse putandum est, nec ullus locus esse uidetur, ubi aptius inseri possint, quam is, ubi ea posui. — § 3 retinui codicum scripturam: „itaque sub nullam regulam cadere potuerunt, cum aequius esset omnia relinqui quam omnia aequari“; nec tamen ueram eam esse arbitror; nam posterior sententia parum recte causam prioris indicare uidetur, immo potius id indicat, quod ex ea sequitur, ut a particula „*ut*“, non „cum“ incipere deberet; „cum“ ita demum recte haberet, si sic locutus esset Seneca: „itaque in eos, qui beneficia non reddunt, nulla actio constituta est, cum aequius esset omnia relinqui quam omnia aequari“.

Cap. 12, 2 Maduigius, qui Aduers. crit. I p. 49 hunc locum tractauit, cum uerborum aliquorum transpositione scripturam conrigere conaretur, sine dubio a uero aberrauit; uere locum emendauerat Erasmus scribendo: „... malit; *est*, qui plus ei debere se iudicet cet.“ Sententiarum ratio ea est, ut tria membra orationis, quae uerbis: „Inuenies, qui nihil putet esse iucundius .... per quem honestior“ continentur, tribus illis respondeant et explicationis loco addita sint, quae antecedenti sententia: „Hic auxilia tribuit, ille ornamenta, ille solatia“ proposita sunt, atque ita quidem, ut media („ornamenta“ et „inuenies rursus, qui dignitati suae quam securitati consuli malit“) inter se respondeant,

deinde primum postremo („auxilia“ et „est, qui plus ei debere se iudicet ... per quem honestior“), denique postremum primo („solatia“ et „inuenies, qui nihil putet esse iucundius, nihil maius quam habere, in quo calamitas adquiescat“). Ceterum hoc iam Stephanus et Lipsius uiderant. — § 3 uulgo edebatur: „quid facies? ingratum uocabis eum, *cui* (hoc om. N) beneficium inscio et, si scisset, non accepturo inpositum est? non uocabis eum, qui utcumque acceptum non reddidit?“ Sed haec scriptura manifesto peruersissima est. Posterior enim interrogatio hoc tantum significare potest, Senecam eum hominem utique ingratum uocandum esse putare, qui beneficium aliquod, quocumque modo acceperit, non reddiderit; sed hoc Senecae menti plane contrarium est, quoniam disputatio eius id agit, ut demonstret eum, cui inuito beneficium inpositum sit, excusationem saltem habere, si non reddiderit, nec ideo statim ingratum uocari debere. Deinde etiam prior interrogatio peruersa est; nam ingratus certe nemo uocari potest, quia beneficium etiam inuitus acceperit; tum demum quaeri potest, sitne ingratus, si hoc beneficium non reddidit; igitur interrogatio illa inperfecta est, quae ut plena fieret, haec sententia adicienda erat: „si non reddidit“. Ni fallor, librarius archetypi, unde cod. N originem traxit, cum in priore sententia pronomen „*quoi*“ errore omisisset, in margine scripturam in conrexit, ut adscriberet: „uocabis eum quoi“ fortasse anteposito signo N, quo conrectionem significaret; nam sic saepius in conrigendo fecerunt, ut non id solum uerbum, quod omissum erat, sed etiam antecedentia aut sequentia adscriberent (cfr. mea Stud. crit. p. 94; Haasii ind. lect. Vratisl. 1853 p. 20); deinde haec uerba ab alio librario ex margine in textum non suo loco recepta sunt simulque et ipsa et cetera mutata, ut species uerae orationis efficeretur. Quare uix dubitauerim, quamuis audax conrectio uideri possit, quin Seneca hoc scripserit, quod edidi, quo uerissima sententia efficitur: „quid facies? ingratum uocabis eum, *quoi* beneficium ... inpositum est, *si* utcumque acceptum non reddidit?“

Cap. 14, 1 haec uerba: „Deinde pauciora erunt beneficia sed ueriora; quid autem mali est inhiberi beneficiorum temeritatem?“ ipsius Senecae sunt, non aduersarii, sicut Haasius putauit; quid ceteri editores senserint, nescio. Nam propter parti-

culam „enim“, quae in sequentibus ponitur: „Hoc enim ipsum (ut inhiberetur beneficiorum temeritas) secuti sunt, qui nullam legem huic constituerunt“, necesse est, illa uerba ei tribuantur, qui hanc sententiam defendat, dandam non esse ingrati actionem; atqui hic est Seneca ipse. Sententia eadem est, ac si dictum esset: „Deinde, ut pauciora futura sint beneficia (nam idem fere aduersarius 13, 1 init. dixit), tamen ueriora erunt“. — (§ 4 ubi scribitur: „At (sic uerissime N; uulgo edebatur „aut“, quod falsum esse facile adparet) pro iis.. aliquid, quod tanti sit“, uocabulum „tanti“ pro „tantidem“ positum esse uidetur, si modo uera est scriptura.)

Cap. 18, 2 edebatur: „Quid enim erat tuti aduersus repentina, quid animus magnum promitteret sibi, si certam uirtutem fortuna mutaret?“ Sed primum non de eo agitur, quid animus magnum sibi promittat, sed quid certum et inmutabile, sicut prima sententia aperte ostendit; deinde in hac sententia: „si certam uirtutem fortuna mutaret“ (aut „fortunā *amitteret*“, ut ego ad codicis scripturam propius accedens scripsi), praeterquam quod parum apte cum proxime antecedenti coniungitur, cum uerba „magnum“ et „mutaret“ non recte inter se respondeant, contradictio quam uocant in adiecto est; quomodo enim id, quod certum esse dicitur, in eadem uerborum conprehensione mutari aut amitti posse dici possit? Certe Seneca adiectiuum „certam“ omittere debuit. Persuasum mihi est hunc locum initio duorum uocabulorum transpositione conruptum esse, deinde cetera quoque uitiata esse a librariis, dum manifesto mendosam orationem sanare student; sic enim sine dubio Seneca scripsit: „Quid enim erat tuti aduersus repentina, quid animus *magnus* (in quo solo uirtus est) promitteret sibi *certum*, *si* uirtutem fortuna amitteret?“

Cap. 23, 2 ea scriptura, quam codicis N prima manus ostendit: „dominam suam ante egisse“, defenditur loco Uergilii ex Georg. III, 552, ut necessarium non uideatur pronomen „se“ addere.

Cap. 26, 1 Ussingius, quem de hoc loco consului, codicis scripturam „imaginem ... ectypa et eminente gemma“ ita defendi posse censet, ut Senecam et artis uocabulum Graecum (ectypa) et, cum huius significatio quibusdam fortasse parum nota esset, Latinum illi fere respondens posuisse putemus. Difficile

est de hac re iudicare praesertim artis non satis perito; sed tamen, quantum equidem intellego, adiectiui „ectypus“ ea uis est, ut rectius cum „imagine“ quam cum „gemma“ coniungatur; idque etiam Muretus sensit, qui „ectypam“ scripsit, sed tum particula „et“ abundat. Quare uidendum est, ne Seneca scripserit: „imaginem . . . ectypam, eminente gemma“; quod et ipse suspicatus eram et Ussingius fortasse scriptum fuisse mihi dixit.

Cap. 29, 3 scripsi: „Quidquid . . est, quod *dedit* patri filius“, quod et perfectum facilius ex codicis scriptura („d&“ pro „ded&“) quam „dat“ effici posse uidetur, et Seneca in hac disputatione similibus locis perfectum ponit, ut § 2 „tribuerint“ et 30, 1 „praestiti“. — § 5 conruptam esse constat codicis scripturam: „innituntur fundamentis suis templa et illa urbis“; sed neque, quod ex dett. codd. uulgo editur: „et illa urbis *moenia*“, uerum esse potest, cum peruerse addatur pronomen, et, quod Gruterus suspicatus est scribendum esse „*alia* urbis“, illud „alia“ ualde languet, dixissetque Seneca potius: „alia urbis aedificia“. In pronomine substantiuum latere uidetur, apteque „insulae“ scribi poterat, sed hoc a scripturae uestigiis longius discedere confiteor. An hic quoque item errauit librarius aliquis, ut supra 18, 2, ita ut Senecam sic scripsisse suspicari possimus: „templa et *urbes*; *illa* tamen, quae cet.“? — § 8 in N est: „nemo dicet me plus debere ignotis . . . maioribus quam patri; plus autem debeo, si hoc ipsum, quod genuit me pater meus, maioribus debet“. Sed non hoc agitur, quid pater meus maioribus debeat, sed quid ipse illis debeam; itaque Pincianus rectius „debeo“ scripsit; sed aeque rectum erit „*debetur*“, ex quo „debet“ oblitterata passiui terminationis nota (cfr. p. 40, 26 adpetit'; p. 42, 3 uidet'; p. 53, 33 habent) facilius oriri potuit.

Cap. 30, 1 scripsi: „Quidquid praestiti patri, etiam si magnum est, infra aestimationem paterni muneris est, quia non *esset* (scil. id, quod praestiti), si non genuisset“; cfr. § 4: „hoc ipsum, quod ista potuisti, patris munus est“; 34, 1: „patris beneficium est, quidquid facis, quidquid praestare illi potes“; 29, 3: „cuius beneficium est ipsum, quo uincitur“, ut Maduigius uere emendauit. Quod uulgo editur: „quia non *essem*“, fere ridiculum est.

Cap. 31, 5 dubitari non potest quin in N scriptura id lateat,

quod edidi et Maduigius quoque uiderat: „ut nihil aliud dicam quam bonis artibus me studuisse *et* cursum . . . *derexisse*, in ipso beneficio tuo maius, quam quod dederas, recepisti". Uerba, quae sunt „in ipso beneficio tuo", si uera scriptura est, significare debent: „in me, qui ipse totus tui beneficii sum".

Cap. 33, 1 ab iis uerbis incipere debuit, quibus antecedens caput clauditur: „Si singula paternorum meritorum magnitudinem exsuperare non possunt, plura in unum congesta superabunt"; nam ad hanc sententiam inlustrandam Scipionis exemplum pertinet. Et hic et fortasse etiam nonnullis aliis locis superiorum editiones nimis obnoxie me secutum esse nunc sero doleo.

Cap. 37, 2 pronomen relatiuum „*qui*" addidi, de qua conrectione Stud. crit. p. 106 dixi. — § 4 codex N ueram scripturam seruauit; hoc maxime notandum est, in eo rectissime „petito tempore" (id est, cum antea tempus petiuisset) scriptum esse, non „petitoque tempore", quod uulgo editur, ut hic ablatiuus absolutus ad uerbum „uenit" adplicetur, non ad participium „nanctus", quo nihil prauius esse potest. Tamen, ne oratio hiaret, addenda fuit „*at*" particula, quae post „obiciebat" facile excidere potuit; ea addita simul apte significatur, Manlium iuuenem prorsus aliter se gessisse, atque tribunus eum facturum esse suspicatus erat. In extremis huius capitis uerbis Fickertus recte uidit scribendum esse: „actionis *omissae*"; cfr. Maduig. praef. ad Liuii lib. II, 59, 6.

§ 4. *De beneficiis lib. IV.*

Cap. 2, 3 Haasium fugit, quod iam Lipsius uiderat, Senecae responsum a uerbis, quae sunt: „Ut hoc unum quaeratur" incipere, uerba autem illa, quae praecedunt: „De hoc uno disputatur . . summum bonum" interlocutori Epicureo tribuenda esse, qui hoc modo ostendere conatur differentiam, quae inter suam Stoicique sententiam intercedat, nullius momenti esse, quasi ordinis tantum mutatio sit et hoc unum quaeratur, utrum primum an secundum locum uirtus teneat. Si haec quoque uerba Senecae essent, primum sine dubio uocem „uno" non adiecisset, cum haec rem eleuantis sit ideoque soli Epicureo conueniat; deinde in H. scriptura magna difficultas oritur in uerbis, quae

sequuntur: „Ut hoc unum quaeratur"; nam hic particula „ut" nihil aliud significare potest quam „zugegeben dasz", sed ita plane peruersa fit oratio, cum Seneca, ut argumentationis series recte procederet, sic scribere debuerit: „Cum hoc quaeratur". Sed non nego me in Epicurei oratione offendi, quod uirtus summi boni causa dicitur, potiusque comitem eius eam dici mallem. Tamen id, quod scribitur, intellegi posse credo; nam quod Epicureus ex sua mente uirtutem summi boni (i. e. uoluptatis) causam esse dicit, eo hoc tantum significat, uirtutem a uoluptate diduci non posse semperque et necessario eam comitari, sed tamen ita, ut secundum locum teneat, cum non propter se ipsam sed propter uoluptatem concupiscatur et exerceatur. — Paulo ante, ubi scribitur: „Quid . . tua refert?", non intellego, quid pronomen „tua" h. l. agat, uellemque abesset; sed unde oriri potuerit, non uideo. — § 4 si, ut uulgo fecerunt, uerbum addendum sit, ante „contemptrix" addam „coniungitur"; nam „confertur" certe prauum est, cum de conparatione uirtutis et uoluptatis nullo modo agi possit, prauius etiam „conferatur". Sed ex antecedenti membro „ponitur" audiendum est, nec quidquam amplius opus esse credo.

Cap. 3, 1 Siesbyeus uerbum „causa" post genetiuum recte transposuisse uidetur; nam apud Senecam certe nullum aliud exemplum inuenitur, quo is uerborum ordo, quem N hoc loco exhibet, defendi possit, eaque, quae ex aliis scriptoribus prosae orationis adferuntur, ualde dubia sunt (cfr. Maduigii Emend. Liuian. p. 474), ut unum illud supersit, quod Sueton. Aug. 24 reperitur, si modo hoc uerum est. — Paulo post addita uoce scripsi: „diuiti inportuno *bonum* pauperem praeferimus", quod sententia necessario postulat; nam per se intellegitur non quemuis pauperem, etiam indignum, Senecam praelaturum esse, et, quid uoluerit, etiam locus, qui est infra cap. 10, 5 („locupletem sed indignum praeteribo, pauperi uiro bono dabo"), ostendit. — § 3 recte diuisis litteris, quod iam in quibusdam codd. dett. factum est, ex N haec scriptura efficitur: „Quod cum longe a dis remotum sit (scil. ut beneficia fenerentur suumque modo commodum spectent et eo solo ad dandum inuitentur), sequitur, ut *inliberales* sint", id est, ut nulla nobis praestent beneficia, scilicet ex eorum sententia, qui hanc unam beneficiorum dandorum causam esse putant.

Quam scripturam solam ueram esse mirum sane est editores non uidisse, cum sola et cum iis, quae § 2 dicta sunt, et cum iis, quae subsequuntur, congruat.

Cap. 4, 2 ne quis Gronouium a uero hic aberrantem sequatur, qui deleto pronomine relatiuo scribi uolebat: „Hoc dicit: non exaudit cet.", Seneca non id agit, ut Epicureae sententiae uim explicet, quae per se satis aperta est, sed argumento ex consensu gentium petito eam refellere studet. „Non animaduertit" inquit „Epicureus, quemadmodum omnes homines deos tamquam beneficiorum auctores precentur; nam si hoc animaduerteret, certe communem de dis persuasionem sequeretur et ipse deos beneficia dare crederet, cum ab omni ueri similitudine abhorreat hanc communem omnium opinionem falsam esse."

Cap. 5, 1 notandum est in interrogatione a particula „unde" incipiente omisso uerbo nominatiuum poni, ut ex uoce „copia" adparet; sed magis etiam mirum est cap. 6, 3 post tres accusatiuos („spiritum . . lucem . . sanguinem") per duo uocabula neutri generis, in quibus casus incertus est („lacessentia . . inritamenta"), transiri ad nominatiuum („quies"). Scilicet uterque casus recte poni potuit, sed accusatiuus longè frequentior est. Nominatiuum inueni apud Iuuenal. satir. 1, 150—53; 9, 8; accusatiui haec sunt exempla: Horat. satir. II, 5, 102; 7, 116; Ouid. Heroid. 12, 84 (ubi Heinsius hunc usum adtigit); Lucan. VII, 28; Ual. Flacc. II, 353; Senec. Herc. fur. 296 (ed. Bothe); Stat. Siluar. I, 2, 188; Iuuen. 14, 56; Sen. de tranq. an. 5, 1; de benef. III, 36, 2; Quintil. declam. 6, 8; casus incertus est apud Quintil. I, 6, 44; Plin. h. n. XI, § 13; Iuuen. 2, 127. Exempla haec maximam partem Siesbyeus Gronouii aliorumque notis usus conlegit. — Paulo post de uerborum ordine in his: „illa luxuriam quoque instruens copia", quem ordinem solum uerum esse per se adparet, dixi Stud. crit. p. 111 n. — § 3 ueram esse hanc codicis N scripturam: „quaedam *aestatis* diebus mirabile incrementum trahunt" nec ferri posse, quod uulgo editur: „statis diebus", illa uerba ostendunt, quae subiunguntur („uis aestiui torrentis"); de re conferatur quaest. nat. III, 26, 1. — Paulo post Lipsius recte uiderat orationem non cohaerere nimisque abrupte Uergilii uersus interponi et accusatiuum defendi non posse; sed additis ceteris Uergilii uerbis mire omnes scripturae difficultates remouentur, ut uix

dubitem, quin re uera haec ipsa uerba casu aliquo interciderint.

Cap. 8, 1 difficillimus locus est, quem Hauptius (Herm. uol. III p. 151) et Maduigius diuerso modo tractarunt. Et Hauptius quidem codicum scripturam retinuit, nisi quod cum Lipsio „per eum" pro „primum" scripsit, ut fieret: „Liberum patrem, quia omnium parens sit, quod per eum inuenta seminum uis est consultura per uoluptatem"; deinde „seminum" uocabulum de semine humano enarrauit et numerum pluralem in hac re non raro positum esse ostendit multisque locis ex libris Augustini de ciuitate dei petitis, qui ex Uarronis libris rerum diuinarum haec hausit, antiquorum hanc opinionem fuisse probauit, ut Liberum patrem seminum emissioni et geniturae hominum praesidere putarent (cfr. maxime VII, 16: „Liberum et Cererem praeponunt seminibus, uel illum masculinis, illam femininis . .; et hoc utique totum refertur ad mundum, id est ad Iouem, qui propterea dictus est progenitor genetrixque, quod omnia semina ex se emitteret et in se reciperet"). Maduigius autem, quem participium futuri temporis „consultura" et omnino consulendi uerbum h. l. positum merito offenderat, plane aliam loci conrigendi uiam ingressus ita scripsit: „Liberum patrem, quia omnium parens *est*, quod primum inuenta seminum uitis consitura peperit uoluptatem". Sed haec quoque scriptura habet, quod uituperetur. Nam in postrema sententia significandum certe erat Liberum uinum inuenisse, ideoque aut Lipsii coniectura recipienda erat aut cum Grutero scribendum: „*quoi* primum inuenta cet."; posteriorem conrectionem equidem ut faciliorem praetulerim, saepeque Seneca datiuo pro ablatiuo a praepositione „ab" pendente sic utitur, uelut de uita beata 20, 2; de otio 3, 4; de breuit. uitae 10, 3; epist. 53, 4; 76, 15. Deinde, quod longe maioris momenti est, ex hac scriptura non intellegitur, cur Liber pater et omnium parens progenitorque adpelletur; nec dubitari potest, quin Hauptius rectius de totius loci sententia iudicarit uerissimumque sit hoc, semina significari humana. Iam cum serendi conserendique uerba etiam ibi ponantur, ubi de genitura humana agitur, Maduigii inuento „consitura" usus, sed tamen ita, ut aliter acciperem, Senecam sic scribere potuisse putaui: „quoi primum inuenta seminum (sc. humanorum) uis est *et* consitura per uoluptatem", in quibus

tria uerba postrema arte iungenda sunt itaque intellegenda, ut locus supra III, 31, 1 positus ostendit, scilicet ut significetur seminum humanorum consitura, quae per uoluptatem fiat et cum ea coniuncta sit.

Cap. 9, 1 membrorum aequalitas postulabat, ut aut „spectetur" aut „accedimus" scriberetur; posterius praetuli, cum hic praecipiendi locus non esset. Seneca, ut solet, sententiam illam: „beneficium per se expetenda res est" pluribus modis enuntiauit eiusque uim explicauit; cfr. etiam § 3. — § 2 extrema uerba quibusdam omissis pessime conrupta sunt in N, ubi scribitur: „Praeterea quaeretis (m. 2 quaeritis) beneficium, quod non esset faciendum, si per se beneficium dare expetenda res esset q enim quocumque loco et quocumque modo daretur, beneficium erat". Uulgo post „quaeritis" uerba „cui detis" addunt, quae in uetere codice Erasmi fuisse dicuntur; sed tamen, si hoc uerum est, facile adparet illa uerba infelici librarii coniecturae deberi, cum de eo, cui dandum sit beneficium, superioribus uerbis („diligenter eligendos, quibus beneficia demus") iam satis disputatum sit. Sed iam Stephanus et Muretus, cuius sententiam Gronouius quoque probauit, intellexerunt, quid deesset, idque etiam ea uerba, quae paulo post leguntur („quocumque loco et quocumque modo daretur"), satis aperte ostendunt. Muretus „quomodo detis" adiecerat, Stephanus: „ubi et qui dandum", quorum posterius plenius et rectius est, prius autem mendi originem clarius demonstrat; itaque ego „*ubi et quomodo detis*" adiciendum putaui. Incertior postremorum uerborum emendatio est. Ex conruptis litteris „q enim" Fickertus et alii „quae" effecerunt, quod sensu destitutum esse uidetur; et quomodo „quae" ad „res" referri possit? Haasius „alioqui" scripsit, sed ne huic quidem particulae meo quidem iudicio hic locus est. Gronouius coniecturam Gruteri probauit scribentis „quia enim"; sed exemplis Plautinis et Terentianis hic loquendi usus apud Senecam non defenditur. Ego „*quoniam*" scripsi, quod ad litteras seruatas proxime accedit, quamquam in hoc quidem codice illam particulam nusquam sic deprauatam uidi. Coniunctiuus „daretur" hypotheticus est, et Epicureus hoc modo utitur, quod Stoici non quocumque modo et loco dabant; nam huius sententiae: „quocumque loco .. daretur" eadem uis est, ac si dictum esset: „etiam, si non idoneo loco .. daretis, quod non

facitis"; de indicatiuo „erat" ad I, 1, 12 dixi. Epicureus hoc dicit: „Si beneficium dare per se expetenda res esset, loci et modi in dando nullam rationem habere, immo quocumque loco et quocumque modo dare debebatis; nam etiam si non idoneo loco et parum recto modo daretis, beneficium tamen esset eoque ipso honestum; ergo cum omisso loci modique respectu dare honestum sit, sequitur, ut uos, qui honestum propter se tantum sequendum esse dicatis, si re uera hoc faciendum esset, ubique et omni modo dare deberetis; igitur, cum de loco et modo quaeritis, ostenditis praeter honestum ipsum aliud, id est utilitatem, in beneficiis dandis uos sequi, ut nos recte sentiamus, qui etiam nostram utilitatem in dando spectandam esse iudicamus." Conclusionem postremam Seneca omisit, cum lector quiuis facile eam supplere posset. Sed Epicurei adsumptionem, in qua omnis eius argumentatio uertitur, Seneca Stoicus adprehendit falsamque esse ostendit, cum beneficium et honestum id, quod datur, tum demum fieri demonstrat, si personae, loci, temporis modique ratio habeatur. — § 3 in Senecae responso necessario scribendum erat: „quaerimus, *cui* (uel: *cui id*) faciamus et quando et quemadmodum"; nam haec tria: persona (cui), tempus et locus (quando), modus (quemadmodum), in aduersarii obiectione conmemorata sunt (§ 2); contra de eo, quid faciamus, nihil dictum est. Lipsius mendum scripturae uulgatae senserat et ante „Honestum" quaedam excidisse putabat, quibus ad priorem de personis obiectionem responderetur. — Paulo post in N scribitur: „cum eligo, cui dem beneficium, id ago, ut quandoque beneficium sit", in quibus aduerbium „quandoque", siue idem quod „aliquando, in futuro tempore" esse putes siue idem quod „interdum", aeque prauum esse statim adparet, idque etiam superiores editores intellexerunt, qui hoc uerbum plane sustulerunt; sed potius ita transponendum est, ut ego feci, significatque idem quod „et quando" (scil. dem beneficium); tantum hoc adnotandum est, Senecam, ut saepius fit, parum accurate rem egisse; nam sicut paulo ante „quando" dixit, cum potius „ubi" dicendum esset, ita hoc loco tertium membrum (i. e. „quemadmodum") praetermisit.

Cap. 11, 4 uellem interpunctionem uulgatam non mutassem; nam ea transitus forma, quae uerbis „Quid enim?" continetur, ab hoc loco aliena esse uidetur; contra rectissime habet haec inter-

rogatio: „Quid enim interest..?“ (i. e.: was liegt denn daran..?). Particula „enim“ in hoc loquendi genere ad sententiam aliquam refertur non diserte elatam, uelut hoc loco haec fere audiuntur: „Stulti scilicet sumus“. Similiter „enim“ ponitur cons. ad Marc. 22, 1 („unde enim scis..?“); de benefic. VI, 27, 7 („quam enim illi iniuriam facio?“); quaest. nat. VII, 26, 2, alibi.

Cap. 12, 3 scribitur: „Nemo Tusculanum.. paraturus salubritatis causa et aestiui secessus, quoto anno empturus sit, disputat; cum emerit, tuendum est“. Prioris sententiae scriptura uera esse uidetur; certe, cum apud Ciceronem in epist. ad Att. IX, 9, 4 eadem uerba „quoto anno“ in simili re occurrant, non ausim cum Gronouio apud Senecam „quota annua“ conrigere, etsi obscura illorum uerborum significatio est. Ex hoc ipso loco adparet eum, qui disputet, quoto anno praedium empturus sit, hoc quaerere, quam fructuosum sit; sed quomodo ea sententia ex illis uerbis efficiatur, non adparet. Tamen fere cum Manutio hoc significari putauerim, emptorem quaerere, quantus annuus ex praedio reditus esse soleat, ut inde conputet, quanto annorum spatio opus sit, ut et solidum, quod in praedio conlocauerit, et usuras, quas haec summa, si eam feneratus esset, reddidisset, praedii reditus conpensent. (Quae apud Ciceronem adduntur uerba: „quantum in solo“, iis hoc significari puto, Atticum semper de amplitudine praedii quaerere solitum esse nec nisi eiusmodi praedia emere, quae ampla arui et pascui spatia haberent, ideoque Ciceronem in Lanuuino emendo de Attico non cogitasse, cum hoc praedium tantum uoluptarium esset nec his rebus commendaretur; nam „hortulorum“ nomine apud Ciceronem uocatur.) Quod ad ea uerba adtinet, quae sequuntur: „cum emerit, tuendum est“, Lipsius ad haec adscripsit: „Nec id superuacue additur: nam ut emisse satis non est, impendia facienda in tuitionem et sarta tecta, sic in beneficiis sine spe fructus danda et data aliis etiam impendiis tuenda.“ Per se quidem haec sententia uerissima est et cap. 15, ut Lipsius dicit, Seneca eam exsequitur; uerum h. l. plane superuacanea et a disputatione aliena est, cum de eo solo agatur, quid beneficium reddat; nec fieri potuit, quin cap. 15 Seneca aliquo modo significaturus fuerit se hunc locum respicere, si re uera eiusmodi sententiam hic posuisset, praesertim cum, quid agat et quid hoc ad beneficia pertineat, hoc ipso loco non

adpareat. In N scribitur: „cum erit tuendum est", ex quibus incerta hariolatione haec effecerim: „*cui meret, id intuendum est*"; id est: ei emptori, qui praedium sibi aera merere fructuique et lucro esse uult, hoc spectandum est, quoto anno empturus sit. Eiusmodi certe sententia praecedentibus apte respondet. — § 5 scripsi: „In quid mundus uices suas *uoluit*", cum hoc exquisitius mihi uideretur quam „absoluit", quod uulgo edebatur; in N est „soluit". Similia loquendi genera inueniuntur quaest. nat. I, 3, 10; cons. ad Marc. 18, 1; Plin. epist. IV, 24, 6; et apud Uergil. Aeneid. III, 376 hoc ipsum „uoluit uices" legitur, sed in alia re.

Cap. 13, 1 quod Kochius Agricolae coniecturam „securitatem soporis simillimam" reuocauit, oblitus est uulgaris in conparationibus breuiloquentiae, qua hic „sopitis" pro eo quod est „securitati sopitorum" positum est; similia exempla inueniuntur u. c. infra VI, 25, 2 („quorum animus simillimus est prauo amore flagrantibus"); cons. ad Marc. 18, 7 („excedenti terrestria magnitudine") et 24, 2 („ingenii .. aequaturi auum"). — § 3 scripsi: „'Hoc dabo, *ut* hoc recipiam' auctio est"; nam particula „ut" auctionis uis et natura, quae illa sententia describitur (ut totum illud subiecti loco ad „est auctio" referendum esse adpareat), melius exprimitur.

Cap. 15, 1 uerissima est haec codicis N et superiorum editorum scriptura, quam Haasius temere mutauit: „Illic turpitudo contra omnia praemia in scelus hortantia ualet; ad hoc inuitat honesti per se efficax species". Sententia perspicua est; nam ut in iniuria turpitudo ipsa, quae iniuriam secutura est, tanta ui animos hominum ab iniuria et scelere deterret, ut nihil contra eam ualeat spes praemiorum, quae scelus promittit, ea autem contra haec praemia ualeat eaque uilia reddat, ita in beneficio honestum ipsum per se neglectis praemiis, quae beneficium comitantur, satis ualet, ut homines ad bene faciendum inuitet. Ergo Haasius, cum „nil" post „illic" adderet, sententiam Senecae menti plane contrariam effecit. — § 2 uulgo sic edebatur: „Non mentiar, si dixero neminem non amare beneficia sua, neminem non ita conpositum animo, ut libentius eum uideat, in quem multa congessit, cui non causa sit iterum dandi beneficii semel dedisse". Sed adparet postremam sententiam relatiuam iis, quae praecedunt, parum recte adiungi; nam cum negatio in ea sit,

adiungi debebat negatiuae sententiae, ut sic diceretur: „neminem esse, cui non causa sit..“, nunc uero adfirmatiua praecedit: „neminem non ita conpositum animo“. Et hoc uitium iam Erasmus et Muretus animaduertisse uidentur, quos ex Fickerti nota sic scribere uoluisse adparet: „neminem ita conp. animo, ut non libentius uideat.., cui non causa sit..“. Sunt tamen fortasse, qui codicis scripturam et uulgatam interpunctionem ita defendere uelint, ut zeugma quoddam his inesse dicant; quae ratio mihi quidem durissima uidetur. Quare ego malui mutata interpunctione et adhibita leni conrectione sic scribere: „Non mentiar... congessit. Cui non causa *est* iterum dandi beneficii semel dedisse?“ Ita haec sententia interrogatiua argumentum adfert, ex quo perspiciatur uerum esse, quod dixit, omnes amare beneficia sua.

Cap. 16, 2 in N scribitur: „quis non ingratum detestetur hominem sibi ipsum inutilem aduersus summa beneficia amici sui ingratus esse quomodo id feceris“. Hanc scripturam aliquot uerborum defectu mendosam esse iam is, qui per quattuor primos libros codicis N scripturas mendosas interdum satis prudenter conrexit, cuius manum litteris N^2(?) signaui, intellexit, eiusque conrectionem secuti uulgo ediderunt: „quis non ingratum detestetur, hominem sibi ipsum (alii: ipsi) inutilem? Quid autem, cum tibi narratur aduersus summa beneficia amici sui ingratus esse, quomodo..?“ Priorem sententiam ueram esse credo nec cum Maduigio postremis uerbis „hominem sibi ipsum inutilem“ offendor, quae Seneca mihi per ironiam et Epicureum inludens, qui homines ideo solum gratos esse dixerat, quod utile esset, adiecisse uidetur. Sed de iis uerbis, quae suppleta sunt, ualde dubito, primum quod praeterea necessario „aliquis“ post „narratur“ addendum est, deinde quod non adparet, quomodo fieri potuerit, ut tot uerba a librario praetermitterentur. Hoc autem adparebit, si sic locum suppleuerimus: „Aduersus s. b. a. s. ingratus esse quom *aliquis dicitur*, *quom*odo adficeris?“ Postremum uerbum Hertzius egregia coniectura inuenit.

Cap. 18, 2 contra Muretum et Kochium defendendam credo codicis N scripturam: „bellissimus sanguis“; significatur hominem esse praedam, cuius capiendae bellissima occasio animalibus sit, cum se defendere non possit; contra, cur „uilissima“ et minimi

pretii praeda esse dicatur homo, non intellego. Deinde sequentis periodi: „quoniam ... societas munit", quae praecedenti sententiae: „Fac nos singulos, quid sumus? ... facillimus sanguis" contraria redditur, haec *οἰκονομία* est. Protasis est sententia causalis, quae omnibus uerbis usque ad „fecit" continetur et bimembris est eius formae, quam declarat Maduigius gr. Lat. § 438, ut prius membrum ex duabus sententiis *ἀσυνδέτως* positis („ceteris animalibus .. uirium est" et: „quaecumque .. armata sunt") constet, alterum, quo hominis condicio exponitur, similiter ex duabus sententiis; idem est, ac si dictum esset: „quoniam, cum ceteris .. sit, quaecumque .. armata sint, hominem ... fecit". Deinde sequitur apodosis, quae uerbis „nudum .. societas munit" continetur.

Cap. 21, 2 scribitur: „quidquid ultra desideras, non ipsi deest". Sed obscurius certe sic locutus Seneca est; nam si id, quod ultra gratum animum is desiderat, qui beneficium dedit, non ipsi, qui accepit, deest, cui deest? Opinor, fortunae eius; et si hoc adiecisset Seneca, locus intellegi poterat; omittere eum potuisse, si perspicuam orationem suam esse uellet, non credo. Quare datiuum „ipsi" propter uerbum „deest" ortum esse puto, pro quo reposito nominatiuo „*ipse*" longe facilior intellectu efficitur sententia. Quidquid ultra desideras (id est, etiam si omnia alia desunt), non ipse deest, quoniam animum gratum habet, qui uel solus ad gratiam referendam satis est. — § 4 Wesenbergii coniecturam: „qui conpressis manibus .. *est*" Maduigianae praetuli, cum in illa seruaretur membrorum aequalitas. — § 5 non ausim conrigere, quod in N est: „quem mala interpres opinio contrarium (*τοὐναντίον*) tradidit (= ingratum esse narrauit)"; fere similiter sine infinitiuo praedicatum uerbo „tradere" adiungitur Cic. Brut. § 50; de nat. deor. I, 60; de off. I, 113; Sueton. Caes. 52; Aug. 80; Uespas. 21; Iuuenal. VIII, 72. De neutro genere cfr. Maduig. ad Cic. de finib. III, 56 ed. 3. — § 6 retinui N scripturam: „non descendit e fastigio *et* (uulgo: sed) supra p. s. consistit"; cfr. VI, 31, 1; epist. 110, 10. — Paulo post particulam „si", quam ante „singulis" m. sec. et editores uulgo addiderunt, remoui; nam „licet", quod coniunctionis uim habet, ad utrumque coniunctiuum („circumluceat" et „stillet") facile referri potest.

Cap. 22, 3 uerum esse non credo, quod scribitur: „et tutior est uita melioribus“ (id est: et tutiore uita meliores fruuntur), cum statim post sequatur: „aetasque securior“ (scil. est). Nihil mihi aptius uisum est quam „*mitior*“. Mitis uita ea est, quae non est dura nec molestiis et difficultatibus obnoxia; similiter dicitur „mite exilium, mite seruitium, mites fortunae uices“, alia, quae in lexicis inueniuntur. Ceterum signare debui uerba haec: „At multa . . prosequitur“ a Seneca aduersario ficto tribui, sicut imperatiuus „intuere“ ostendit; de omisso uerbo „inquit“ cfr. ad II, 17, 1.

Cap. 23, 2 non nihil hac scriptura offendor: „tantum stellarum innumerabilium“, cum potius aut „tantum stellarum“ aut „stellae innumerabiles“ dicendum esset; quare dubito, an Seneca eadem imagine qua supra cap. 6, 2 usus dixerit: „*tectum* stellarum innumerabilium“; nec tamen plane negare ausim eum parum sane accurate illo modo loqui potuisse.

Cap. 26, 2 notari uelim hanc scripturam, quam ex N posui, quaeque etiam in quibusdam codd. dett. et editionibus antiquissimis reperitur: „Sic omnes malos intemperantes dicimus, auaros, luxuriosos cet.“; quae sola uera est. Scilicet „omnes malos“ obiectum uerbi „dicimus“ est, cetera adiectiua praedicatorum loco illi adiunguntur; nam his uerbis illa sententia explicatur: „qui malus est, nullo uitio caret“, id est, qui malus est, eo ipso intemperans est, auarus, luxuriosus, ideoque etiam ingratus. Uulgo mutato uerborum ordine et interpunctione edebatur: „Sic omnes malos dicimus, intemperantes, auaros cet.“, ut haec omnia „malos, intemperantes, auaros“ inter se ex aequo posita praedicatiue ad obiectum „omnes“ referrentur; quod prauum esse adparet.

Cap. 27, 3, ut conparatio recte absolueretur, necessario additis duobus uerbis scripsi: „sic, qui stultus est, non tam acria et concitata habet omnia *uitia* quam quidam quaedam, *omnia habet*“; sed fieri potest, ut scribere debuerim: „*omnia tamen habet*“, etsi hanc particulam non plane necessario adiciendam esse credo. Praeterea cum Wesenbergio uocem „uitia“ adieci, quae ex § 2 audiri hic uix potest. — § 4 neminem negaturum esse puto rectius hoc esse: „*omnis* nequitiae (i. e. omnis generis nequitiae) semina“ quam illud: „omnia nequitiae semina“; ad-

iectiuum „omnis“ hic quoque ad „nequitiae“ uocem referendum erat, sicut in praecedentibus uocabulo „uitia“ adiungitur.

Cap. 30, 1 Wesenbergium secutus sum duobus uerbis transpositis scribentem: „et esse *bonos plures* iuuat“; nam sententia, quam hanc esse adparet: „plures id agunt, ut boni sint“, hunc uerborum ordinem necessario postulare uidetur. — § 2 comma post uerba „ex hostium castris“ pro interrogandi signo, quod in editionibus uulgo erat, posui, ne illa sententia: „Cinnam nuper quae res ad consulatum recepit ex hostium castris“ intolerabiliter diuelleretur ab his uerbis: „nisi unius uiri magnitudo“, quibuscum arte cohaeret; nam etiam hunc Cinnam ex Pompeii gente fuisse constat, de qua re cfr. de clement. I, 9, 2—3. — Paulo post Haasius Lipsii emendationem receperat: „cuius osculum etiam *inpudici deuitabant*“; quam ego quoque probo, nisi quod potius „*denotabant*“ scribendum credo, quod et ad codicis litteras („deuota boni“) paulo propius accedit et fortius est ad portentosam huius uiri inpudicitiam demonstrandam, quae tanta erat, ut etiam inpudici alii eam opprobriis notarent; „denotare“ similiter ponitur apud Sueton. Calig. 56.

Cap. 31, 2 Fickertus et Haasius scripserunt: „Quid ergo? tu hoc illi datum existimas? patri eius Germanico datum, auo proauoque“, sane non eleganti sermone; paulo melius antiqui ante „auo“ iterum „datum“ scribebant. Sed cum in N pro „existimas“ prima manu „est“ scriptum sit, ex quo m. sec. praua conrectione „estimas“ fecit, dubitandum non est, quin duo uerba exciderint, quibus additis et facillime locus emendatur et rectus efficitur sermo: „tu hoc illi datum *putas*? *datum* est . . Germanico, datum auo proauoque“. — § 4 uerum esse Maduigio uidetur, quod in N est: „Pollioni *Annio*“, pro quo uulgo „Asinio“ scribebatur ex Pinciani coniectura; Annius Pollio is esse uidetur, quem Tacitus annal. VI, 9 conmemorat. Fabula non aliunde nota est; sed ob id ipsum otiosis coniecturis abstinere debemus. — Paulo post sublata litterae *s* geminatione scripsi: „nempe dum . . Scaurum sen. pr. cogitas *et* (N: s&) indigne fers subolem eius iacere“, in qua scriptura utraque sententia „nempe dum . . cogitas et indigne fers“ ad praecedens uerbum „admisisti“ refertur, quod uerius est, quam quod uulgo omissa „et“ particula hanc sententiam: „nempe dum . . cogitas“ protasin faciunt, alte-

ram uero illam: „indigne fers . . iacere“ apodosin; nam sic, quoniam praecedit „admisisti“, necessario „tulisti“ pro „fers“ scribendum erat.

Cap. 32, 2 in N est: „Sint hi reges, quia maiores eorum non fuerunt“, qua scriptura merito offensus Haasius „non“ notauit; et sane ex iis, quae sequuntur, satis adparet hic conmemorari homines, quorum maiores reges fuerint. Nec tamen haec causa, quae uerbis „quia maiores eorum fuerunt“ continetur, satis iusta esse uidetur, cur deus hos homines regnare siuerit; iusta causa effici uidetur, si scripserimus: „quia maiores eorum *boni* (scil. reges) fuerunt“, quam sententiam sequentibus uerbis Seneca uberius exsequitur. Ita hoc hominum genus ab eo discernitur, quod mox conmemoratur („Regnent hi, quia . . .“), quorum maiores boni quidem uiri sed non reges fuerunt. — § 3 de extremis uerbis emendandis Stud. crit. p. 159 n. disputaui. — § 4 Haasius male ex codd. scripserat: „Ubi, inquis, iste aut quis est? unde uos scitis?“; nec melius Fickerti inuentum est: „unde noscitis?“ Inepte enim hoc quaerere aliquis fingitur, cum di omnia sciant. Lipsius ueram emendandi uiam inuenerat', sed Wesenbergius emendationem absoluit; nam pronomine „Uos“ in dei responso carere non possumus.

Cap. 33, 1 Platonis haec sola uerba esse: „difficilis hum. an. coniectura est“, illa autem quae sequuntur: „non expectare temerarium est“ ab ipso Senecae aduersario dici et illis: „expectare longum est“ ex contrario respondere propter Fickertum et Haasium dico, qui in hac re mire errauerunt. (§ 3 merito hanc scripturam commendauit Kochius: „Expecta, ut . . . nisi conperta ueritate nil *noueris*“, id est: nosse te iudices, de qua loquendi breuitate supra ad II, 11, 3 dixi; pro „moueris“, quod in codice est, certe „moueas“ scribendum erat.)

Cap. 34, 3 ex N scripsi: „si negas, et hoc modo peccas: non das ei, cui promisisti“, cum uulgo „quia“ ante „non“ insereretur; de particula „enim“ in eiusmodi explicationibus a Seneca non raro omissa dixi Stud. crit. p. 132; exemplis ibi adlatis hoc addendum est et praeterea illud, quod infra cap. 39, 2 inuenitur. — § 4 similiter ex N recepi: „nihil melius constitui, quam (uulgo: quam quod) constitutum est“; nam in eiusmodi conparationibus alterum conparationis membrum et sententiae

relatiuae formam habere potest, ut paulo ante, et abiecta hac forma liberius addi, maxime quidem talibus locis, ubi pronomen relatiuum in altero membro, si adderetur, eodem casu esset, quo est illud uocabulum, cui in priore conparationis membro respondet, ut hoc loco et de prouid. 2, 12; cons. ad Marc. 16, 4; de uita beata 21, 3; ad Polyb. 8, 2; de benef. III, 35, 5; VI, 15, 2; 16, 4; 17, 1; 33, 2; 43, 1; epist. 97, 7; interdum tamen ex accusatiuo nominatiuus audiendus erat, ut epist. 94, 73; quaest. nat. VII, 22, 1. Aduerbium relatiuum „quo" addendum erat quaest. nat. III, 11, 4; VII, 7, 1.

Cap. 36, 1 Haasius illius hominis, qui se ipse castigans inducitur, haec omnia uerba esse putauit: „Ecce, ut doleat tibi, ut postea consideratius loquaris, (quod dicere solemus) linguarium dabo!" Huius errore (nam ceteros editores locum recte intellexisse credo, etsi eorum interpunctio ambigua est) deceptus nuper Kochius imperatiuum „dato" reponi uoluit, sed aliter locus conrigendus est; nam haec sola uerba: „Ecce, ut.. loquaris" castiganti se tribuenda sunt, cetera: „Quod dicere solemus, linguarium dabo" ex aequo posita sunt illis: „Damno castigabo promittentis temeritatem".

Cap. 37, 1 Gronouius scribendum censebat: „*qui* (N: quod), ut nuntiatum est, accucurrit"; et Latinos hanc breuitatem amasse dicit, quid nuntiaretur, intellectui reseruantes. Sed miror eum, cum locos ex Cic. de offic. III, 112 et Liuii lib. XXIV, 47, 13 adferret, non uidisse „quod" hic quoque ut multis aliis locis ex „*quoi*" ortum esse. In uulgata scriptura datiuus desideratur. De periodi forma cfr. Maduig. gr. Lat. § 445. — § 2 his uerbis: „Non sufficit homo ... suum quisque habuerit?" Philippi sermocinationem (§ 3 init.) contineri indicaui signis adpositis. Ut uulgo interpungunt, editores etiam praecedentia uerba: „Multa interim .. donant" huc traxisse uidentur, quod aperte falsum est; nisi forte Philippi uerba a „Quomodo" incipere crediderunt, quod sane rectius erat; sed tamen haec quoque uerba: „Non sufficit ... agere" eiusmodi sunt, ut potius Philippo consilium suum sibi excusanti tribuenda sint quam Senecae, et cum sequentibus interrogationibus bene congruunt et illis explicantur. Ceterum non probo, quod Muretus scribere uolebat: „Non sufficit homo iustus *unus* tot armatis cupiditatibus"; nam hic numerus nil agit;

totius sententiae uis in adiectiuo „iustus“ est, quod significat: „si iustitiam seruare uelit“. — § 3 Maduigius scribi uolebat: „Philippo epistulam destrictam et liberam scripsit“, et iam ante Fickertum, qui locum conrupit, fere idem edebatur; tamen „strictam“ quod in N et editionibus superioribus est, mutare non ausim, cum simili fere sensu apud Quintil. V, 12, 18: „uis stricte robusteque dicendi“ legatur. — § 4 fortasse scribendum erat: „hospitem suum *nudum* (cod. N: nudo) et naufrago similem“, cum in solo adiectiuo „naufrago“ imago sita esse uideatur.

Cap. 38, 2 uulgo edebatur: „Potius est, inquit, intra fines regni mei te litteras istas . . . circumferre. Ostende . .“; sed primum „potius est“ sequente accusatiuo cum infinitiuo uix recte pro eo, quod est „satius est“, dicitur; deinde transitus ad imperatiuum offendit. Quare cum in cod. N prima manus „est“ non scripserit, sine dubio ita scribendum est: „Potius, inquit, intra fines regni mei *tu* (N: &) litteras istas . . *circumfer! I*, ostende . . .“ (N: circumferri ostende). Fieri tamen potest, ut uere Siesbyeus censeat illud „&“ potius abiciendum esse quam „tu“ ex eo faciendum. Maduigius coniecit: „Potius . . regni mei *i* et litteras . . circumfer. Ostende . .“; sed cum infinitiui „circumferri“ origo sic parum perspicua esset, coniecturam meam, quam seorsim ab eo feceram, abicere nolui. Sed in his uerbis: „litteras istas oculis inscribendas circumfer“ fieri uix potest quin mendum sit. Pro „oculis“ Lipsius „foculis“, ego „aculeis“ conieceram; sed si haec coniectura uera esset, „inscriptas“, non „inscribendas“, scribi debebat; gerundiui usu necesse est hic aliquid significetur, quod fiat, dum istae litterae circumferuntur. Maduigius, quem de hoc loco consului, mallet scriptum esse: „oculis et animis (hominum) inscribendas“; ut nunc scribitur, nec ego nec ille locum intellegimus.

Cap. 39, 2 in his uerbis: „illud quod dici solet“ Siesbyeus animaduertit „illud quod“ eodem modo coniungi quo uulgo „id quod“; cfr. Senec. Rhet. p. 349, 3 ed. K. Sic etiam „hoc quod“ dicitur, uelut Liuii lib. XXVI, 13, 6; Senec. de clement. I, 12, 3.

Cap. 40, 2 scripsi: „Quid enim regi, quid *pauper* (N: pauperi), quid diuiti reddam“, cum ex iis, quae praecedunt, et mea infelicitas et felicitas dantis seorsim significanda hic sit. Haasi-

scripsit: „Quid enim regi pauper, quid diuiti reddam“, sed uerba „regi“ et „pauper“ inter se non congruunt; melius certe Muretus tertium „quid“ sustulit, sed ita nominatiuus apud „regi“, qui „pauper“ respondeat, desideratur. Praeterea ne sic quidem, si potens aut diues sum, regi aut diuiti utique referre gratiam possum; nam et sic illius felicitas obstare potest, quo minus beneficium ei reddam; cfr. V, 4, 2. Sed tamen in mea scriptura offendit, quod inter duo membra similia tertium dissimile interponitur; quare fortasse uerbis transpositis scribendum est: „quid diuiti, quid pauper reddam?“ — § 5 de omisso coniunctiuo apud haec uerba: „et ut breuiter“ Siesbyeus conparat, quae apud Ciceronem de finib. II, 104 („ut ad propositum“) et epist. ad Attic. II, 6, 2 („ut ad rem“) leguntur.

§ 5. De beneficiis lib. V.

Cap. 1, 1, ut tollatur ambiguitas in discr. script., hic dicam in N esse: „subinde enim nascetur, *quo* lacessat aliqua dulcedine animum“, in qua scriptura „materia“ subiecti loco auditur, ablatiui autem „quo“ et „dulcedine“ diuersa significatione cum uerbo iunguntur; uulgo „quod“ pro „quo“ edebatur, quam correctionem non necessariam esse Haasius uidit. — § 3 „rependere“ pro „dependere“ scripsi, cum illo uerbo rem melius significari putarem; sed Siesbyeus me monet infra VI, 19, 5 „dependendum“ in simili re rursus scribi, ut nesciam an incautius hanc coniecturam receperim.

Cap. 2, 1 scripsi: „Illud *itaque* unice tibi placet“, cum meliorem sic transitum futurum esse arbitrarer, si a benigno et liberali Aebutii ingenio, quod praecedentibus uerbis laudatur, initium sequentis disputationis duceretur, quod particula „itaque“ apte significatur; si „utique“ retinetur, abruptior transitus est.

Cap. 3, 1 uerum esse non potest, quod in N scribitur: „uelocitate illum, non animo antecessit“; nam pronomen „illum“ non habet, quo referatur. Olim ex Pinciani coniectura „alium“ edebatur, sed „alterum“ scribi debebat eo magis, quod „prior“ scribitur; quare non dubitaui „*ille*“ scribere accusatiuum librario deberi ratus, qui „antecessit“ absolute hic poni non uiderit.

Cap. 4, 1 uulgo scribebatur: „quam diu tenet uoluntatem,

gratum animum signis adprobat, quid interest..?", in qua scriptura pronomen „hanc" ante „uoluntatem" praue abest; ob eandem causam Maduigii quoque coniecturam („adprobans"), qua asyndeton molestum tollitur, recipere nolui. Uerum sine dubio est, quod N habet: „quam diu tenet uoluntatem gratum animum signis adprobandi", id est, quam diu gratiae referendae uoluntatem habet, etiam si omnino non potest aut certe non nisi inparia datis reddere potest.

Cap. 5, 2 Fickertus, ut uidetur, incuria quadam (nam nota eius aliud eum uoluisse ostendit) uulgatam ante Lipsium scripturam resuscitauit, eumque Haasius secutus est: „Nam tam diu illos *odio* habemus". Uocem „odio", quam Lipsius merito abiecerat ut sensum prorsus conrumpentem, denuo N auctore remoui. — § 4 Maduigius recte „petemus" pro „petimus" et „grati" pro „gratissimi" scripsit, sed de ceteris eum errasse mihi persuasum est, ut superiores editores sequi maluerim. Sententia haec: „quia non reddituri debebimus" (id est: quia ita debebimus, ut occasio et facultas gratiae referendae numquam nobis futura sit) ita cum praecedenti coniungitur, ut particulae „non ideo — quia" inter se respondeant; cfr. IV, 40, 2; apertius sane Seneca locutus esset, si sic dixisset: „nec ideo *aut* non petemus aut turpiter" (scil. petemus), sed tamen illam particulam addi non necessarium esse credo. Alterum uero „quia", quod fere pro „nam" ponitur, de qua re Stud. crit. p. 124 not. disputaui, totius periodi praecedentis: „nec ideo .. debebimus" causam adfert; ceterum quod in hac sententia „*si* interueniet" pro „sed interueniet" scripsi, hanc conrectionem ueram esse locus plane similis ostendit, qui IV, 40, 3 legitur: „non est per me mora, si aut occasio mihi deest aut facultas".

Cap. 6, 3 Archelaus rex, quo die solis defectio fuisset, regiam clusisse et „filium, quod in luctu ac rebus aduersis moris est", totondisse narratur; ac sane morem fuisse scio, ut non se ipsos modo sed etiam suos in luctu ueteres tonderent, sed mirum est, quod Archelaus filium solum totondisse dicitur, non se ipsum, id quod primum expectandum erat. Quare suspicatus sum Senecam non „filium" sed „*pilum*" scripsisse, quo uerbo Plinius h. n. XI, § 130 („in capite animalium cunctorum homini plurimus pilus") similiter usus est, ut et capillos et barbam significaret. —

§ 5 retinui, quod in N est: „hoc et illo"; nam his formis pro „huc et illuc" Seneca interdum usus esse uidetur, si quidem codicibus fides habenda est. Et nunc quidem unum modo exemplum adferre possum, quod Fickerti nota ad quaest. nat. V, 1, 2 dabit, sed plura me uidisse scio.

Cap. 9, 2, ubi scribitur: „Quo quis plura beneficia dedit, beneficentior est; quis umquam laudatus est, quod sibi ipse fuisset auxilio?", aliquid conruptum esse uidetur; nam hae sententiae eiusmodi sunt, ut parum recte eas contrarias poni adpareat. Sed quomodo locus conrigendus sit, non uideo, nisi quod aut hic quoque, ut in his libris saepe factum est, librarii incuria post „beneficentior est" quaedam omissa esse credo, ut lacunae signum hic ponendum sit, aut in uoce „beneficentior" mendum latere, pro quo si „*magnificentior*" scriberetur, multo melius omnia cohaererent.

Cap. 10, 2 editur: „Paulo ante (cap. 8, 1) dicebam quaedam ad alios pertinere et sic esse formata, ut tota significatio illorum discedat a nobis"; sed uerba „a nobis" rem, quam Seneca intellegi uult, nullo modo significare et per se facile adparet et ex sequentibus exemplis perspicitur. Seneca enim hoc dicit, talia uerba, qualia sunt debitor, maritus, frater, par, nihil significare, si in singulis consistant, nec nisi inter duos locum habere. Quare, ut recta sententia efficeretur, pro „a nobis" scribendum erat „a singulis"; sed eodem sensu dici potuisse „*ab uno*" arbitror, quod ad scripturae uestigia propius accedit, etsi nullum simile exemplum adferre possum. — § 3 ne quis his uerbis offendatur: „nemo autem sibi bene facit" putetque „enim" pro „autem" reponendum esse, non paucos locos apud Senecam repperi, ubi „autem" eadem fere ui qua „enim" ponitur, uelut quaest. nat. II, 23, 1 („minore autem ui"); III praef. 16 („liber autem est"); VII, 4, 1 („hic autem ait"); epist. 15, 1 („ualere autem hoc demum est"); 95, 27 („quantulo autem hoc minus est"); 107, 8 („natura autem hoc cet."). — § 4 inde a Mureto edebatur: „Diutius hoc (i. e., quaedam secundam personam desiderare, cum illorum significatio a singulis discedat) et pluribus exemplis licet prosequi; quidni? cum (N: quid cum) inter ea sit habendum beneficium, quae secundam personam desiderant?" Hanc scripturam omnes editores probasse maxime

miror. Nam et ea causa, quae uerbis: „quidni? cum .. desiderant“ adfertur, cur hoc pluribus exemplis liceat prosequi, per se inepta est eoque ineptior fit, quod hoc ipsum demonstratur adlatis similibus exemplis, beneficia secundam personam desiderare; et in iis, quae deinde sequuntur, quibus nouum exemplum adfertur, ut nunc scribitur, uix quisquam dixerit, cur Seneca concessiuam illam sententiam: „cum sint ... summae uirtutis“ addiderit, quidue ea hoc loco agat; omnia illa uerba: „quaedam ... locum“ abesse debebant. Sed recta omnia erunt, si sic scripserimus: „Diutius hoc .. licet prosequi. (His uerbis Seneca superiorem disputationem finit, deinde noui aliquid addit.) *Quidni* inter ea sit habendum beneficium, quae s. p. desiderant? quaedam, cum sint .. summae uirtutis, nisi in altero non habent locum“. Seneca dicit beneficiorum laudem et liberalitatis magnificentiam non eo minui, quod secundam personam beneficia desiderent, quoniam etiam multae aliae uirtutes, uelut fides, non nisi inter duos locum habeant.

Cap. 12, 1 scripsi: „Expecta, *et iam* hoc uerius dices“; superiores „etiam“ edebant, Haasius „et“ deleri uolebat, sed peruulgatum hoc apud Senecam est, ut contra antiquiorum scriptorum usum inter imperatiuum uel coniunctiuum hortatiuum et futurum sic particula „et“ interponatur, de qua re cfr. Maduig. ad Cic. de finib. II, 96; exempla inueniuntur his locis: de prouid. 6, 7; de tranq. animi 15, 4; de benef. IV, 18, 4; epist. 13, 16; 24, 2; 27, 2; 67, 4; 71, 5, alibi. — § 3 quod scripsi: „*ne* reddere quidem debet“, de ea re conferri uelim, quae Stud. crit. p. 80 disputaui. — § 4 de Ruhkopfii coniectura Haasius quoque scripsit: „Ita ingratus in rerum natura est nemo. At hoc inane“; sed certe dici debuit: „Haec inania (uel potius „falsa“ aut „uerba“) sunt“, ut non dubitem, quin Maduigius locum conruptum recte emendarit scribendo: „Ita ingratus in rerum natura est nemo, et *nomen est* hoc inane“, quo optima sententia efficitur; et iam Erasmus hanc conrigendi uiam ingressus erat. Hic quoque is, qui codicem primus conrexit, non omnia uerba, quae omissa erant, suppleuit, sicut supra III, 12, 3 factum esse suspicatus sum; conferantur etiam, quae in discr. scr. ad V, 8, 4 (p. 94, 19—20) adtuli. — § 7 extrema uerba misere conrupta sunt, quae in N sic scribuntur: „Ideo nec beneficium dare possunt,

quoniam nemo potest, quod non habet dare; hic bene faciendi uoluntate caret". Postrema quinque uerba Haasius uncis inclusit audaciore conrigendi genere, cum non adpareat, unde oriri potuerint; sed tamen facile adparet ea cum antecedentibus uerbis plane non cohaerere; nec eo modo sententia restitui potest, quo Lipsius putabat, cum „sic" pro „hic" scribi uellet. Sententia tolerabilis efficietur, si mecum scripseris: „*sic* bene faciendi *uoluptate carent*"; nam sic haec uerba apte illi sententiae adiunguntur, quae praecedit: „Ideo nec beneficium dare possunt", quam Seneca extra disputationis seriem hic obiter addidit, et ad quam infra cap. 14, 3 reuertitur; sed quamuis tres correctiones, quas hic recepi, per se positae satis lenes sint, offendit, quod in uno loco simul omnes concurrunt, ideoque dubiam emendationem loci esse facile concedo. Maduigius et Wesenbergius aliqua ante haec uerba excidisse putant, et ipse initio sic fere Senecam scripsisse credideram: „..dare; *beneficium enim bene faciendi uoluntate diximus* (I, 5, 2 sqq.) *constare*; hic bene faciendi uoluntate caret". Sed et parum recte h. l. superior illa disputatio respiceretur, et particula „ideo" ostendit potius eam respici, quae proxime praecedentibus uerbis continetur, ut causa, cur malus beneficium dare non possit, ea sit, quod, cum beneficium necessario bonum sit, bonum autem solum honestum sit, hoc autem in malo esse nullo modo possit, malus non potest dare, quod non habet. Nec tamen uideo, quonam alio modo locus suppleri possit, ut postrema uerba, si uera sint, apte adiungantur.

Cap. 13, 4 ex N hanc scripturam recepi: „qui ueri beneficii speciem fefellit", quam ita enarro: „qui id, quod ueri beneficii speciem habet, non reddidit"; nam ut „fallere depositum" similiaque dixerunt Latini, sic nihil obstare uidetur, quo minus eos etiam „beneficium fallere" (id est, non reddere) dicere potuisse putemus; sin autem hoc dicere potuerunt, facile ea breuiloquentia oriri potuit, quae hoc loco occurrit. Certe, quod uulgo editur: „qui ueri beneficii *specie* fefellit", nullo modo intellegere possum.

Cap. 14, 2 inter duo illa exempla: „Sic latro est . . non incipit" et: „Sacrilegi . . porrigat" in codd. et edd. haec uerba leguntur: „Ipsum, quod accepit, beneficium non erat sed uocaba-

tur". Sed adparet illa exempla arte inter se cohaerere nec recte his uerbis diuelli, ut alia iis sedes quaerenda sit. Nec ullum locum inuenio, ubi rectius interponi possint quam paulo post, ubi scribitur: „Ea scilicet ratione: qui (N: quia) accipiet ab illo aliquid ex his cet."; nam et in his, ut oratio recte procedat, carere non possumus particula „quia", ut certe sic scribendum sit: „Ea scilicet ratione, *quia*, qui accipiet cet.", et in hac quoque disputatione requiritur illa sententia, in qua tota res uertitur, sicut etiam in ea, quae praecedit, id, quod datum sit, et a dante et ab accipiente beneficii nomine uocari, quamuis re uera beneficium non sit. Nam ea proprie causa est, cur aduersus malum ingrati esse possimus, quamuis ille dare beneficium non possit; cum enim id, quod dat, et is, qui dat, et is, qui accipit, beneficium uocet, quamuis specie tantum beneficium sit, sequitur, ut is, qui hoc non reddiderit, ingratus sit. His conmotus scripsi: „Ea scilicet ratione, quia ipsum, quod accepit, beneficium non erat sed uocabatur; *qui* accipiet cet.", uitium scripturae ita ortum esse ratus, ut librarii oculus a „quia" ad „qui accipiet" transsilierit, quo facto media omissa sint; haec conrectorem aliquem in margine addidisse credo, unde in falsum locum irrepserint et ita quidem, ut pronomen relatiuum abiceretur. — Paulo post, ubi scribitur: „quorum si malis copia est", adparet particulam „si" falsam esse; sed tamen hac omissa scriptura non emendatur, cum sic certe scribendum esset: „quorum *etiam* malis copia est" (i. e. quae etiam mali habere possunt). Quid hoc loco faciendum sit, nescio; sed suspicatus sum sic Senecam scripsisse: „quorum *saepe* malis copia est" (i. e.: quibus mali saepe abundant). — § 5 editur: „Quid sint beneficia . . ., ad uos non pertinet; in alios quaeritur uerum"; sed quid postrema uerba sibi uelint, non intellego, nec quisquam, quod sciam, intellexit. „Uerum" illud, quod quaeri dicitur, nihil aliud esse potest quam hoc, quid re uera sit beneficium; quod autem hoc „in alios" quaeri dicitur, nihil hoc significare potest nisi eos, qui hoc quaerant, hac scientia aduersus alios et cum eorum damno uti uelle. Quinam igitur homines hoc faciunt? nempe illi, quos § 3 initio Seneca hoc sibi obicientes fecit: „Quomodo aduersus malum ingratus est quisquam, cum ille dare beneficium non possit?" Nam si uerum beneficium dare malus non possit, inde illud sequi putant, ut omni redden-

dae eius rei, quam a malo acceperint, necessitate propter hoc ipsum liberentur et tamen, quamuis illum fraudauerint, ingrati uocari non possint. Hos homines Seneca refellit eosque omnino talibus quaestionibus abstinere iubet, quoniam scientia ueri sic usuri sint. Sed cum haec necessario eorum uerborum sententia sit, quae § 5 leguntur, id quod prima huius loci uerba: „Quid sint beneficia .. ad uos non pertinet" satis demonstrant, ea, quae sequuntur: „in alios quaeritur uerum" ceteris adiungi nullo modo possunt, nisi ante haec uerba particula „nec" inseritur, ut fiat: „*nec* in alios quaeritur uerum" (id est: nec ideo uerum quaeritur, ut ad aliorum damnum eo aliquis utatur). Quam facile post ultimas litteras uocabuli „pertinet" haec particula excidere potuerit, nemo non uidet.

Cap. 15, 5 permiram nobis imperatoriam contionem editiones obtrudunt; nam illa uerba: „Qui ne triumphaturi quidem ... intrate uexillis" quo tandem modo Haasius et alii editores imperatorem militibus dicere potuisse putauerunt? Illi homines, qui sententiis relatiuis significantur, non milites sunt sed ipsi imperatores, ut postrema uerba: „quibusque uictorem exercitum reducentibus curia extra muros praeberetur" clarissime ostendunt; num igitur imperatores hac contione se ipsos adloquuntur? Scilicet contio illa imperatoria his uerbis continetur: „Pugnate contra coniuges .. incessite!" Quae sequuntur: „Qui ne triumphaturi quidem .. uexillis", Seneca ipse per ἀποστροφήν foedis illis imperatoribus dicit, ideoque in his necessario pro imperatiuo „intrate" scribendum est „*intratis*"; denique extremis uerbis: „Obmutescat .. horreat" Seneca tacitam horum imperatorum cogitationem, dum triumphantes urbem ineunt, exponit.

Cap. 16, 1 N solus, ut uidetur, longe exquisitiorem scripturam seruauit, quam quin Seneca re uera ipse posuerit dubitari uix potest; nam m. pr. sic scribitur: „nisi .. trans Alpes accitus hostis .. diu debitas inferias Gallicis bustis duces Romanos persoluerit". Conparari potest, quod Horatius carm. II, 1, 25 sqq. dixit: „Iuno .. uictorum nepotes rettulit inferias Iugurthae", quem ipsum locum ueri simile est Senecam ob oculos habuisse. — § 2, ubi scribitur: „parum multatam ac repositam in priorem locum fortunam suam sentiet", participium „multatam" nihil significare mihi uidetur aut per se aptum aut quod cum altero participio

„repositam in priorem locum“ ullo sensus uinculo coniungi possit. Quod uulgo „mutatam“ pro eo reponunt, ferri hoc quidem potest sed sublanguidum est; ni fallor, Seneca „parum *ultam* ... fortunam“ scripsit (id est, ob quam inminutam parum ultionis sumptum sit), cuius participii passiue positi exempla lexica praebent. — § 5 retinui, quod N m. pr. habet: „arma .. satiata .. abiecerunt“; cfr. Sil. Ital. IV, 437: „satiatam sanguinis hastam“.

Cap. 17, 4 N m. pr. habet: „Cui rogo cui litigatori defenso .. memoria durauit“; m. sec. alterum „cui“ expunxit, quod mihi ut edd. antiqq. uerum uidetur; nam pronomen inepte iteratur. Hauptius Bentleii coniecturam „reo“ pro „rogo“ scribentis probauit; sed „litigator“ certe aeque reum atque accusatorem significat et hoc quidem loco, cum „defenso“ adiungatur, proprie reum notat, ut haec coniectura falsa sit.

Cap. 18, 1 Maduigius uere scripsit: „In infinitum (h. e. parum definitum et certum) *ius* .. me obligas“, similiterque lib. VII, 19, 7 uocabulum „ius“ ponitur, ut obligationem debitoris aduersus creditorem significet; quod eo dico, quia C. Thurot in libro, qui inscribitur „Revue critique“ (1874 nr. 4), hanc emendationem inpugnauit, cum diceret: „Mais ce ne sont pas les créanciers, dont le droit est infini; c'est le débiteur, dont les obligations deviennent illimitées“. — Paulo post, ubi in N conrupta haec uerba leguntur: „primũ de quod quęro“, Maduigius scribendum putabat: „Primum de *aequo* quaero“ (id est, sitne hoc ipsum aequum); sed praeterquam quod hanc sententiam tam breuiter eloqui Seneca uix potuit, hoc in sequenti disputatione non tractatur, saltem non diserte, cum aequitatis notio nusquam occurrat. Duae res hic ponuntur, de quibus disputetur: primum, an, „qui filio beneficium det, et patri eius det“, id quod cap. 19, § 1—8 tractatur; deinde, „quousque personarum series sequenda sit“, quod cap. 19, § 9 breuiter adtingitur. Quare non in pronomine „quod“ sed in praepositione „de“ uitium latere credidi, quae ex „idē“ per conpendium pro „*id est*“ scripto orta esse uidetur, quo reposito omnia recte habent. (Foedos typothetae errores, quibus apud Fickertum et hic in uerbis „numquid et *fratri*? *numquid et* patruo?“ et cap. 19, 1 (18, 2 H.) in his: „si seruum tuum sanauero, *tibi inputabo; si filium tuum seruauero*, non habebis beneficium meum?“ omnia ea, quae inclinatis litteris

scripsi, omissa erant, Haasius incredibili et turpi neglegentia seruauit; nam et in codd. et edd. superioribus haec leguntur.)

Cap. 19, 1—8 prior quaestio, ut supra dixi, tractatur, an is, qui filio beneficium det, et patri eius det; atque ita quidem tractatur, ut Seneca altercationis forma utatur et interlocutorem inducat (cuius partes adpositis litteris AD signaui), qui hanc sententiam inpugnet, cum ipse Seneca patrocinium eius suscipiat. Sed personarum partes apud Haasium certe non recte distributae sunt; num ceteri editores locum intellexerint, diiudicari non potest. Scilicet uerbi „inquit" omissio, de qua supra ad II, 17, 1 disputaui, effecit, ut non statim adpareret, quomodo uerba inter conloquentes distribuenda essent; sed diligenter animaduertenti facile hoc elucebit. Primum igitur illa uerba: „Si agrum tuum coluero . . . non habebis beneficium meum?", a quibus hoc caput incipiendum erat, eius sunt, qui beneficio in filium conlato patrem quoque obligari putat, id quod postrema interrogatio aperte ostendit; hic autem Seneca est (cap. 17 extr.), non aduersarius. Respondet deinde interlocutor (AD) his uerbis: „Dissimilia ponis exempla . . contingor, non obligor". Huic rursus Seneca respondet: „Uelim tamen . . . non accipit beneficium?" Peruersissime Haasius haec quoque uerba antecedentibus continuauit eidemque personae cui illa tribuit; nam quomodo idem et hoc dicere possit: „beneficio . . non obligor" (i. e. beneficium non debeo) et deinde aduersarium sic adloqui: „Uelim tamen, tu, qui debere te non putas, . . ?" Sed iam pergamus. Denuo igitur aduersarius Senecae his uerbis respondet: „Non, inquit; quaedam enim . . . a capite repetitio est"; ubi animaduertendum est uerbum „inquit" rursus interpositum esse, quod eiusmodi locis interdum fieri supra p. 206, u. 7 a. i. dixi, sicut etiam hoc fit, ut idem uerbum bis repetatur intra eiusdem orationis ambitum, uelut de benef. V, 7, 3 („Si nocere, inquit, . ."') et 5 („Platon, inquit, . ."); VI, 11, 1 et 2; quaest. nat. I, 4, 3 et 4; epist. 87, 28 et 29; cfr. etiam Maduigius ad Cic. de finib. V, 83. Sequitur dehinc Senecae responsum: „Quid ergo . . . Quare ista dicis, si non accipis beneficium?", quibus rursus aduersarius respondet: „Quia et . . cui tunc inimicissimus eras, cum dares?" Hic quoque Haasius, quamquam incredibilis fere haec caecitas est, postrema uerba antecedentibus continuauit, quasi eiusdem personae essent, itaque

hunc hominem postremis uerbis ipsum ea refellentem fecit, quae superioribus disputauerat. Aduersarii postrema uerba esse etiam illa interrogatio ostendit, quam alterum proposuisse dicit („Itaque cum dixeris: ‚Patri ergo beneficium non dedi filium eius seruando?'") quamque interrogatione e contrario posita refellit („contra oppone: ‚Patri ergo beneficium dedi .., quem non cogitaui?'"); nam illa interrogatio eadem est atque ea, quam Senecam supra § 1 posuisse uidimus his uerbis: „si filium tuum seruauero, non habebis beneficium meum?" Post haec inde a § 8 Seneca hanc altercationem abrumpit, a qua sane ipse inferior discessisse uidetur (ut etiam II, 32, 4), et tamquam iuris consultus respondet litemque dirimit sententia, quae medium fere teneat. Deinde § 9 alteram quaestionem aduersarii („quousque personarum seriem sequar?") adtingit, cum finitionem ab illo postulatam dari posse negat. — Iam uera totius capitis constitutione exposita de quibusdam locis breuiter disputandum est. § 2 igitur interrogationis notam post haec uerba: „pertinet ad patrem" et: „si amiserit" adponi solitam sustuli; nam uerius est Senecam hoc simpliciter adfirmatiue proponere, ut quod ab omnibus necessario concedatur, quam aduersarium interrogare; quo accedit, quod particula „nonne" in his interrogationibus nullo modo omitti poterat. — § 5 uulgo edebatur: „nihil interest, mea an me seruaueris", ubi Lipsius, cum neutro genere uocis „mea" offenderetur, „meum" (i. e. filium) scribi malebat, cui Gronouius oblocutus est. Haasius primus, ut uidetur, recte intellexit „mea" ablatiuo casu ad uerbum „interest" relatum accipiendum esse, et omnis ambiguitas tollitur N scriptura, in quo mutato uerborum ordine est: „nihil mea interest, an me seruaueris". Sed animaduertendum est apud Senecam uerbum „interest" interdum simplicem sententiam interrogatiuam ab „an" incipientem sequi, cum disiunctiua expectari posset (uelut h. l.: „utrum illum an me seruaueris"); cuius rei nunc unum tantum exemplum adferre possum ex epist. 86, 11 („nec multum eius intererat, an sic lauaretur"), sed alia me uidisse scio (cfr. VI, 5, 3). Nam epist. 82, 15 utrum recte sic scribatur: „non enim sic mors indifferens est, quomodo utrum capillos pares habeas", an uerba „an inpares" addenda sint, quod et ego olim suspicatus eram et Kochium nuper iudicasse uidi, nunc diiudicare non ausim. — § 8 in N

conrupta haec scriptura inuenitur: „Si in patris honorem fecit, pater accepit beneficium; si filium suū pater beneficio in filium conlato non obligatur, etiam si fruitur". Quod Haasius et alii scripserunt, saltem obscurum est, ne sensu cassum dicam; N ueri uestigia seruauit, cum alterum „si" clare ostendat Senecam diuisionem induxisse. In confesso est uocabulo „suū" uitium inesse, pro quo de Maduigii sententia „*spectauit*" scripsi, quod sensui satis faciebat, quamquam non dubito quin aliud lateat. — § 9 denique particulam interrogatiuam „*num*" addidi, quae nullo modo abesse potest. (§ 1, quod pronomen „*id*" (u. 7) addidi, fortasse hoc necessarium non erat; cfr. VI, 19, 1.)

Cap. 20, 4 uerbi „inquit" omissio rursus effecit, ut editores loci constitutionem non intellegerent; nam hic quoque altercatio inducitur, cum aduersarius, quocum Seneca se conloquentem inde ab huius capitis initio fingit, ex ea disputatione, quae superioribus paragraphis continetur, eam conclusionem ducit, quam his uerbis proponit: „Uideo: prodest aliqua res et ideo beneficium est; nocet et ideo non est beneficium", deinde hanc Senecae sententiam refellere studet, cum exemplum adfert eiusmodi rei, quam beneficium esse censet, quamuis nec prosit nec noceat; cui Seneca respondet inde a uerbis: „Dicam, quid consecutus sit cet.", ubi ostendit aduersarium falso de hac re iudicasse. Peruerse editores haec omnia inter se et superioribus continuauerunt, quo facto locus sensu destituitur; Lipsius solus ad uerum prope accessit, cum sic scriberet: „*Uideo*] Dialogismus est, et interposita persona. Si non, legas: *Uides?*"; sed tamen totam rem non perspexit, ceterique editores eius admonitionem neglexerunt. Uerbi „uideo" sic orationi antepositi nullum aliud exemplum uidi; epist. 121, 1 („ego uideo") et apud Terent. Hecyr. IV, 6 (V, 2), 4 et Horat. epist. I, 14, 22 orationi mediae interponitur, satir. I, 9, 15; II, 2, 35 postponitur; de „scio" aliisque uerbis sic positis cfr. Wesenbergii Emm. Cic. Epist. I p. 50; Ussingius ad Plauti Amph. 433. — § 6 rursus ab Haasio dissentio, qui haec sola uerba: „Quid tanto opere ... repetiturus aliquando?" interlocutori tribuit, cetera Senecae ipsi, ut hic primum eorum sententiam et causas proponat, qui repetendum non esse iudicent, tum inde a § 7 eos refellat. Sed praeterquam quod per se consentaneum est Senecam potius interlocutorem horum hominum

sententiam, quam interlocutor ipse probat, proponentem fecisse quam ipsum proposuisse, necessariumque fere est uerba „Sunt qui numquam" et cetera omnia usque ad § 7 interlocutori dare, utpote quae explicent, quid sibi uelit interrogatio initio posita, quod alioqui non adparet, etiam ipsa uerborum forma in illa sententia: „si bono dedisti, expecta, cet." ostendit haec interlocutorem Senecae dicere; nam alioqui „dederis, expectandum est" dicendum fuit; denique postrema causa, cur repetendum non sit, quae uerbis: „Praeterea lex .. uetuit" continetur, eadem est, quae cap. 21, 1 interlocutori tribuitur. Quare omnia uerba, quae § 6 continentur, huic aduersario tribui; is igitur hanc sententiam proponit, beneficium numquam repetendum esse, ad quam defendendam primum aliorum causis utitur — quae his demum uerbis exponuntur: „Indignus etiam repetenti non reddet, dignus ipse per se referet", quibus aduersarius ea, quae hinc concluduntur, de suo adiungit: „Propterea*) .. creditum faciendo" —, deinde sua ipsius causa, quae haec est: „Praeterea lex .. uetuit". Initio huius paragraphi ex N recepi: „Sunt, qui numquam *iudicent* esse repetendum"; nam ad sequentem sententiam: „et has causas adferunt" uerba „sunt, qui" non intellegenda sunt, ut necessarium non sit „iudicant" scribere. — § 7 primis aduersarii causis Seneca respondet, quem illius sententiam inprobare et per se consentaneum est et ipsa disputatio clare ostendit, cum dicit se beneficium et ab ingrato et a grato repetiturum esse tum certe, cum fuerit necesse. Quare nihil prauius cogitari potest quam illa uerba, a quibus Senecam respondere incipientem editores plerique fecerunt: „Uera sunt ista", quasi Seneca aduersarii uerba probaret. Immo non uera sed „*uerba*" ista esse dixit et meras nugas; et sic in N recte scribitur, praeterea etiam in quibusdam dett. et edd. antiquissimis. Deinde aeque

*) In codd. scribitur: „praeterea"; uerum cum nihil noui hic adiungatur, sed conclusio ex praecedentibus uerbis ducatur, necessario „*propterea*" scribendum est. Scio Carolum Naeglerum in praefatione dissertationis „de particularum usu apud Senecam" Halis Saxonum 1873 editae negasse Senecam aduerbio „propterea" usum esse; sed et hic et aliis locis (ut VI, 15, 4; VII, 12, 4) „propterea" reponendum est, nisi Senecam „praeterea" eodem sensu dixisse putemus, quod ab omni ueri similitudine abhorret.

peruerse editur: „Quam diu me nihil urget, quam diu fortuna nihil cogit, petam potius beneficium quam repetam"; nam cur tandem petat beneficium nulla necessitate cogente? Necessario scribendum est: „*perdam* potius beneficium"; „perdam" dixit, quod de beneficio in ingratum hominem conlato his uerbis agitur; et alibi quidem disputauit beneficii materiam solam, non ipsum beneficium, perire, sed et hic et aliis locis uulgarem loquendi usum secutus est.

Cap. 21, 2 propius ad codicis uestigia accedendum esse putaui, quam Maduigius fecit, ideoque scripsi: „ultima quoque necessitas *non* (N: „in" pro „*ñ*") hoc aget, ut ad eum ueniam"; „aget" idem est quod „efficiet", quae uerbi significatio satis nota est; similis constructio u. c. apud Florum I, 7, 18 et Sil. Ital. VIII, 14 reperitur.

Cap. 22, 1 grauis incuriae me accuso, qui in „referret", quod N m. pr. habet, „referre, et" latere putauerim; nam si ita esset, necessario scribendum erat: „et qui nec tam boni *sint* quam grati". Quare sic conrigi meam scripturam uelim, ut fiat: „referre; qui nec tam boni sunt cet.", sicut uulgo edebatur.

Cap. 24, 1 post uerbum „residere" facilius „*sidere*" quam „sole" omitti potuit, ideoque illud addidi; nam etsi solem simpliciter „sidus" a Seneca alibi dici non memini, tamen hoc loquendi genus tam multis exemplis probatur, ut nihil insoliti hic habere iudicandum sit. — § 2 ex N m. pr. recepi: „puto obiratus" pro eo, quod uulgo editur: „puto, ob hoc iratus"; obirascendi uerbo alibi quoque Seneca utitur, uelut de const. sap. 19, 2; epist. 56, 9.

Cap. 25, 5 cetera Rubenius et Maduigius bene emendarunt, sed non probo, quod haec reliquerunt: „Paucis animus sui rector optimus; proximi sunt, qui admoniti in uiam redeunt"; siue enim uerba „sui rector optimus" adpositiue siue praedicatiue ad „animus" relata accipiuntur, aeque praua meo iudicio fit sententia. Quare sic scribendum putaui: „Paucis animus sui rector (scil. est); *optimis* proximi sunt cet.". Sententia haec est: pauci eiusmodi sunt, ut ab animo suo, i. e. a se ipsis, regantur, et hi scilicet optimi sunt; sed optimis his proximi sunt, qui ab aliis admoniti in uiam redeunt. — § 6 cum N scripsi: „sed ut magistri patienter ferre offensationes puerorum discentium memoriae

labentis", et priorem genetiuum ab altero, alterum a uoce „offensationes" regi puto; scilicet h. l. idem factum est, quod saepe in conparationibus fit, ut confusis inter se ipsa re et imagine obscurentur (cfr. u. c. lib. VII, 32). Haasius genetiuis comma praue interposuit, tamquam ex aequo positi essent; Fickertus uerba „puerorum discentium" deleri uolebat, alii post „magistri" transposuerunt, sed utraque ratio sine dubio inprobanda est.

§ 6. *De beneficiis lib. VI.*

Cap. 1 extr., ubi scribitur: „alia expellam et capite agam", Muretus tria uerba postrema damnauerat et eiecerat, Lipsius uero defendit dicitque idem significare quod: „capite prehensos trudam". Sed hoc loquendi genus nec usquam alibi inueniri uidetur nec similibus defendi; nam quod Lipsius Plautinum illud „capite sistere" cum hoc conparat, id parum recte fit, nec intellego, cur Seneca, si hoc significare uoluerit, uulgatum loquendi genus, quod est „praecipitia agam", spreuerit. Credo Senecam dicere se haec ita tractaturum esse, ut non in iis moretur sed tantum nominet et summa rerum capita adtingat; quare uidendum est, ne „*carptim*" scripserit, quo aduerbio Plinius Paneg. 25, 1 similiter usus est.

Cap. 2, 1 interpunctionem ita mutaui, ut „Quomodo" et „ita" inter se respondere adpareret, quod omnes probaturos esse arbitror; sed fieri potest, ut Haasius idem senserit; superiores certe parum recte interpunxerunt. — § 2, ubi in codd. est: „Itaque cum eripis, ipsa rerum natura reuocare, quod dedit, non potest", demonstrare non est opus haec prorsus non cohaerere et sententia destituta esse; nec dubitandum est, quin hic quoque ut multis aliis locis lacuna sit, quam ita expleri posse credo, ut in discrepantia scripturae indicaui, etsi uerba ipsa non praesto. Cfr. I, 10, 4.

Cap. 3, 3 uulgo edebatur, quod in N m. sec. conrectione effectum est: „Consule igitur rebus tuis et certam tibi earum atque inexpugnabilem possessionem para, honestiores illas non solum sed tutiores facturus". Sed praeterquam quod particulae „non solum" insolito loco ponuntur, etiam duorum conparatiuorum ordo peruersus est; nam tutiores diuitias dona dando fieri

superioribus uerbis expositum est, hic autem noua res additur, eas hoc modo etiam honestiores fieri, id quod § 4 demonstratur; ergo „non solum“ apud „tutiores“, „sed“ apud „honestiores“ poni debebat, sed prorsus contrarium fit. Coniectura tamen opus non est; nam N m. pr. solus, ut uidetur, uerum habet: „honestiores illas, non solum tutiores, facturus“, omissa uocula „sed“ prauissima.

Cap. 4, 4 retinui uulgatam scripturam: „non quia recepit, quod pepigerat“; quamquam enim in N initio „receperat“ scriptum fuisse uidetur, ut aliquis fortasse suspicari possit Senecam „receperit“ scripsisse, tamen indicatiuus in eiusmodi sententiis longe frequentior apud eum est, de qua re Stud. crit. p. 163 disputaui; et potuit facile librarius incuriosior, cum plusquamperfectum sequeretur, iam hic idem tempus pro perfecto ponere. — § 6 et cap. 5, 1—2 eo loco reliqui, quo in codd. leguntur, etsi ualde dubito, an hic ordo falsus sit. Sane nihil causae esse uidetur, cur ea, quae 4, 6 scribuntur, post § 5 non recte poni putemus; sed tamen Pincianus recte intellexerat initium cap. 5 arte cum illis uerbis cohaerere, quae 4, 5 extr. leguntur: „Inter beneficia quoque et iniurias ratio confertur“, atque haec illis explicari, ideoque Muretus ex eius sententia haec uerba suo loco mouerat et initio cap. 5 transposuerat, id quod nullo modo ferri potest. Rursus, cum 4, 6 hoc demonstretur, beneficium saepe manere nec deberi, huic disputationi recte ea uerba subiungerentur, quae initio cap. 5, 3 sunt: „Uideris mihi dicere: Perdis operam; quorsus enim pertinet scire me, an maneat, quod non debetur?“ Quae cum ita sint, uidendum est, ne Seneca hunc totum locum ita ordinarit, ut post 4, 5 sequerentur illa, quae cap. 5, 1 leguntur, deinde 5, 2 (ubi cum ostendatur beneficium etiam ita reddi posse, ut alia res reddatur atque ea, quae accepta sit, haec disputatio eo pertinet, ut probetur etiam ultionis condonatione beneficium reddi posse, cum illa idem ac beneficii ipsius relatio ualeat), tum cap. 4, 6, ubi Seneca, ut uerbum „inquam“ ostendit, ad eam disputationem reuertitur, quam initio cap. 4 instituerat et 4, 4 paulisper abruperat; denique post haec inde a cap. 5, 3 noua disputatio cum superiore cohaerens instituitur.

Cap. 5, 5 ante Haasium edebatur: „Separantur actiones, et de eo quod agimus, de eodem nobiscum agitur. Non confunditur

formula, si qui apud me cet.". Sed uerba: „et de eo ... nobiscum agitur" (sicut N m. sec. scripsit) nec ullam actionum separationem ostendunt et sensu cassa sunt; quomodo enim de eodem, quod nos cum alio agimus, ille nobiscum agere possit? Postremam deinde sententiam prorsus non intellego. Multo rectius Haasius scripsit: „Separantur actiones et de eo agimus et de eo nobiscum agitur; non confunditur formula: si qui cet.", et id maxime uerum est, quod exemplum, quod uerbis „si qui" inducitur, a ceteris diuisit. Sed offendit me pronominis usus in his: „et de eo .. et de eo"; potius enim „hoc .. illo" dicendum erat et particula „et" altero loco omittenda. Adparet separari duas actiones, quarum altera de eo est, quod nos cum alio agimus (uelut furti), altera de eo, quod ille nobiscum agit (uelut depositi); de his separatim iudicatur. Ni fallor, pronomen relatiuum non primo loco delendum sed altero addendum est, quo reposito simulque ante „non" minore interpunctione posita, ut haec: „et de eo, quod agimus cet." ad uerba: „non confunditur formula" referantur, turbae huius loci remouentur; scribendum igitur censeo: „Separantur actiones, et de eo, quod agimus, et de eo, *quod* nobiscum agitur, non confunditur formula?" Signum interrogandi et post hanc sententiam et post exemplum, quo inlustratur, posui, cum consentaneum mihi uideretur Liberalem non hoc adfirmare sed quaerere, an hoc et in Stoicorum schola iuris esset; uulgo punctum ponunt hoc, ni fallor, sentientes, uerba „illud enim uideo in hoc foro fieri" his postremis sententiis explicari, quae ratio mihi difficilior uidetur propter uerba, quae intercedunt: „quid in uestra schola iuris sit, uos sciatis".

Cap. 7, 1, etsi „frontem adtrahere" uel „contrahere" uulgo dicitur, tamen cum Gronouio „trahit", quod N m. pr. exhibet, retinendum censui, cum fere similiter „uultum trahere" ponatur apud Ouid. Amor. II, 2, 33 et Quintil. declam. XII, p. 221 ed. Bip. (quem locum Gronouius adtulit).

Cap. 8, 3 uulgo edebatur: „iudices, quem damnaturi erant causa, damnare gratia noluerunt", sed ablatiui ratio uix explicari potest; certe ea exempla, quae Gronouius adfert, aliena sunt. Quare non dubitaui recipere, quod Erasmus et Gruterus et Lipsius commendarunt et quod etiam N habet: „causae .. gratiae". Notum loquendi genus est „damnare aliquem alicui", ubi datiuus

commodi eum aut id significat, cuius in damnatum potestas fit; cfr. supra VI, 4, 4; Horat. carm. III, 3, 23; Uergil. Aeneid. IV, 699; Sil. Ital. V, 242; XV, 76; hoc modo recte diceretur „damnare aliquem gratiae" (i. e. gratioso accusatori), et hinc liberior ille datiui usus, quem h. l. uidimus, fluxit. Similiter libere datiuus ponitur Sen. epist. 97, 9: „qui damnabatur uni adulterio"; Sil. Ital. VIII, 496: „Lycios damnant hastilibus arcus". Cum nostro loco aptissime conparari potest, quod infra VI, 42, 2 scribitur: „qui famae, non conscientiae, gratus est"; item, quod est de clem. I, 1, 4: „alium dignitati donaui, alium humilitati".

Cap. 9, 3 scriptura rursus manifesto lacunosa est; nam cap. 10, 1 diuisio ostendit Senecam non duas sententias a „profuit" incipientes hic posuisse sed tres, quarum media librarii incuria intercidit; sed facile et certe lacuna expletur, quod ad sententiam quidem adtinet, habita eorum ratione, quae cap. 10, 1 medio loco leguntur („ut ad alterum transeamus cet."); cfr. etiam cap. 7, 1.

Cap. 13, 2 comma ante uerba: „ingratus sum, non solum iniustus" posui, ut significarem ad haec uerba, quibus sententia primaria totius periodi manifesto continetur, utramque sententiam condicionalem referendam, et remotiorem, quae praecedit („si .. cogitauit"), et propiorem, quae sequitur („nisi gaudeo"). De duplici sententia condicionali cfr. Maduigius ad Cic. de finib. II, 112. Sed fieri potest, ut superiores editores ante Fickertum et Haasium idem uoluerint.

Cap. 15, 4 scripsi: „*propterea* nihil uenditori debet, qui bene emit", cum in codd. sit „praeterea"; neque enim hic magis quam supra V, 20, 6 noui aliquid adiungitur superioribus, sed ex iis, quae ante dicuntur: „pluris uenire non potuit; pretium autem rei cuiusque pro tempore est", nunc Seneca id concludit, quod demonstrare uult, emptorem, etiam si bene emerit, tamen uenditori ob hoc nihil debere, cum ille carius uendere non potuerit. — § 6 ex uno cod. det. scripsi: „*pretium* uectura persoluit", cum N „praemium" haberet; nam etsi interdum fere nihil interesse uidetur, utrum hoc an illud ponatur, tamen hic „pretium" uerum esse putauerim, cum de emendo soluendoque agatur et Seneca per totam hanc disputationem hoc uerbo utatur.

Cap. 16, 2 dubitari uix potest quin Lipsius recte locum

Alfeni Uari ex Digg. XXXVIII, 1, 26 adtulerit, ut demonstraret aegros medico imperare (id est, medicum ad se uocare) dictum esse; sed Senecam usque eo progressum esse, ut hunc uocabuli usum spectans imperatoris nomine, cui consuetudo certam significationem certumque usum constituit, aegrum uocaret, credere non possum. Quare „*imperantem*“ scripsi librarium huic participio peruulgatum substantiuum incuriose substituisse ratus; nam certe nulla facilior scripturae conrigendae ratio aut quae aptiorem uocem efficeret, quae uerbo „amicum“ contraria poneretur, adhuc inuenta est. Salmasius, cuius adnotatio in edit. Elzeviriana 1672 inuenitur, alio modo „imperatorem“ enarrare et defendere conatus est, quam defensionem neminem probaturum esse credo. — § 7 incautius ex uno cod. det. „*iacens*“ pro „latens“ recepisse nunc mihi uideor; nam „iacens“ sane aptius cum u. q. e. „pigrum“ coniungitur, sed propter uerbum „extraxit“, quod sequitur, „latens“ melius esse uidetur.

Cap. 19, 1 mihi quidem ea scripturae mutatio non placet, quam editores uulgo probauerunt, quamuis facilitate commendetur: „qui me gratuita naue per flumen *Padum* tulit“; nec enim ex hoc exemplo adparet, quo iure Seneca deinde respondeat: „facit enim sua causa aut utique non mea“, et mihi audacius negare uidetur, etiam si re uera alii aut rei publicae aut uiciniae aut ambitioni suae hoc praestant, aliquem tamen etiam unius causa hoc facere potuisse. Quare fieri non potest, quin in interlocutoris uerbis aliquo modo significatum fuerit portitorem hoc uulgo facere et ita, ut singulos homines non spectet; sed quid in conrupta uoce „radum“ lateat, non uideo. — § 2 uulgo scribitur: „Quid ergo? inquit; si princeps ciuitatem dederit omnibus Gallis ..., nihil hoc nomine singuli debebunt?“ Sed hoc uerum esse non potest; facile enim adparet interlocutorem, si ita interroget, ipsum sentire singulos homines ob hoc principi beneficium debere; sed cum hoc ea pugnant, quae idem interlocutor § 3 proponit, ubi eam sententiam defendit, se nihil ei ex Senecae quidem mente debere, utpote qui sibi proprie ciuitatem dare noluerit nec in se animum derexerit. Quare mihi quidem non ita interrogasse uidetur sed potius ex iis uerbis, quibus Seneca primae eius interrogationi (§ 1) respondit, argumentatus esse singulos homines ob talem rem principi nihil debere, quam

conclusionem Seneca deinde refutat; itaque, ut haec sententia efficeretur, duobus uerbis transpositis et interpunctione mutata scripsi: „Quid (scil. dicis)? inquit; ergo, si princeps ... debebunt.“ Notum et peruulgatum loquendi genus, quod est: „Quid ergo?“, a librario incurioso facile uerae scripturae substitui potuisse adparet.

Cap. 21, 2, ubi N haec habet: „ergo maximum argumentum est firmam uoluntatis ne mutari quidem posse“, ne uiolentis quidem Mureti mutationibus scriptura conrupta emendatur; nam de hoc solo agitur, utrum absit uoluntas an adsit; num firma sit, omnino non quaeritur (cfr. § 4); quare certe sic scribendum erat: „immo maximum argumentum est uoluntatis ne mutari quidem posse“, et nescio an hoc sic simpliciter dictum ne uerum quidem sit; deinde ea, quae Muretus posuit, mihi quidem paene nugatorie dicta uidentur, illamque sententiam Senecam sic elocuturum fuisse arbitror, ut diceret: „immo argumentum est firmissimae uoluntatis ne mutari quidem posse“. Sed quid Seneca omnino hic dicere uoluerit, prorsus non uideo, ideoque hunc locum feliciori ingenio relinquo. — Paulo post uerum illud quidem per se esse potest, quod scribitur: „Uir bonus non potest non facere, quod facit“; sed tamen ea, quae statim scribuntur: „non potest autem non facere, quod debet“, efficiunt, ut dubitem, an Seneca illo quoque loco „*debet*“, non „facit“, scripserit; illud certe et propter ipsam sententiam et propter totius disputationis uim aptius esset. Nec tamen scripturam mutare audeo. — Denique post sententiam ab „ergo“ incipientem interrogandi notam posui, cum maiorem orationis uim fore crederem, si Senecam ab interlocutore quaerere putaremus, num hanc conclusionem, quae ex illius ratione uerissima est, probaret, quam si eum simpliciter ita concludentem faceremus; sed hoc minoris momenti est.

Cap. 23, 1 Maduigius uere negauit Latinum esse, quod Haasius edidit: „non externa cogunt deos, sed sua illis in legem aeterna uoluntas est“ (id est: pro lege est); ipse probauit, quod in editionibus antiquissimis est: „sed sua illis in lege aeterna uoluntas est“ (i. e.: deorum uoluntas aeterna lege continetur). Ego tamen de huius scripturae ueritate ualde dubito; nam certum est hoc modo parum recte posteriorem sententiam ei contrariam poni, quae antecedit, atque ita demum uera contrapositio

oreretur, si dictum esset: „non externa cogunt deos sed sua uoluntas, quae in lege aeterna est". Fortasse scriptum fuit: „non externa cogunt deos sed sua *uis; nam sua* illis in lege aeterna uoluntas est".

Cap. 25, 4 scripsi: „uallum trepidante exercitu *uellat*"; N m. pr. „bellat" habet, s. m. „conuellat", id quod uulgo editur et frequentius usurpatur; sed tamen etiam simplici uerbo in hac re Latini usi sunt; cfr. Liuii lib. IX, 14, 9. — Quod paulo post „rebus lassis" scribitur, Latinos hoc adiectiuo ita translato sensu uti potuisse negare non audeo, ideoque hoc retinui. Apud Uergil. Georg. IV, 449 similiter in duobus codd. M et P „lassis" est, in R „lapsis", quod hic uulgo editur et per se sane peraptum est.

Cap. 27, 1 quod scribitur: „Non succurrere uis illi sed soluere; qui sic properat, solui uult, non soluere", in eo manifesta contradictio est; saltem, ut aliqua sententia efficeretur, „quamquam" ante „qui" adiciendum erat. Quid Seneca dicere uoluerit, ex sequentibus verbis („solui uult"; § 2: „nolle debere") et ex cap. 35, 2 sq. perspicuum est, atque sic olim scriptum fuisse mihi fere persuasum est: „Non succurrere uis illi sed *solui debito; nam* soluere qui sic properat, solui uult, non soluere". — § 3 interpunctionem paululum mutaui, cum uterque ablatiuus („iactura rerum suarum et status mutatione") ad idem uerbum („deuocari") commodius referri mihi uideretur; de asyndeto, quod hoc modo oritur, dixi Stud. crit. p. 24. „Deuocari" cum superioribus editoribus scripsi, etsi „deuocare" in N quoque est; quamquam enim scio non raro passiuam formam accusatiui cum infinitiuo et actiuam simplicis infinitiui coniungi (cf. Maduigius ad Cic. de finib. II, 21), tamen hoc loco actiuam formam „deuocare" ferendam non esse credo propter ablatiuum, qui additur, „status mutatione"; is enim ita demum recte adderetur, si ipse, quem Seneca adloquitur, hanc status mutationem efficeret.

Cap. 30, 3 uulgo edebatur: „Nec te inuitum distringam", quae uerba quid significarent, uereor, ut quisquam intellexerit, quamuis omnes hanc scripturam probasse uideantur. Pro „inuitum", quod ab hoc loco alienum est, in N „inuitã" scribitur, ex quo Maduigius „*in multa*" effecit; ac certe quod ad sententiam adtinet, hoc sine dubio uerum est. Plenam uariamque referendae gratiae etiam felicissimis materiam esse Seneca dixit; nunc de-

clarat se non multas reddendi beneficii occasiones monstraturum esse, inter quas distringatur is, qui accepit, sed unum tantum, quo semper gratum animum ostendat, nempe potenti amico uera dicendo. Non nihil tamen usu praepositionis „in“ apud hoc uerbum offendor nec simile exemplum inuenire potui, cum plerumque ablatiuus solus ponatur, interdum autem „circa“ uel „inter“; et fieri potest, ut in „inuitã“ solum „multa“ lateat, „*inter*“ exciderit. — § 4—6 peruersissima interpunctione totius loci forma obscurata erat, quam me clare exposuisse certo credo.

Cap. 31, 5 N quoque habet: „Tot ista gentium milia trecenti morabuntur“, quod uerissimum est. Ualckenaerius quidem in nota ad Herodoti lib. VII, 102 eo offensus, quod certus numerus nominaretur, „trecenti“ absurde scriptum esse dixit et fortasse pro „pauci“ ex nota marginali inrepsisse, ut hoc substituendum esset, quibus motus Haasius deleuit; sed aut numerus aut adiectiuum numerale necessario requiritur, ut sit, quod uerbis „tot milia“ contrarium reddatur, et „trecenti“ multo fortius esse quam „pauci“ nemo non sentit. Quod autem Seneca absurde, ut uideri potest, certum numerum ponentem Demaratum fecit, de ea re Lipsius uerissime sic disputat: „Mira praedictio Demarati, et quomodo haec tam distincta, nisi post factum, sciri potuerunt? Sed ista quoque ex declamantium licentia: donemus.“ — § 9 ne mihi quidem satis placet, quod scribitur: „Praeterea, quae una rebus salus est, occurrere ad primos rerum inpetus. . . non poteris“; nec tamen audeo pro „rebus“, quod per se nihil habet, quo offendamur, cum Kochio „nobis“ scribere; multo magis genetiuus „rerum“, qui sequitur, dubitationem mihi mouet, nec uideo, quid haec uox sibi h. l. uelit, sed locum conrigere non possum. (Cap. 32, 4 Kochius nuper hanc codicum scripturam male inpugnauit: „Regalis ingenii mos est . . . iis uirtutem dare uera dicendi, a quibus cet.“ (id est: dicere hanc uirtutem in iis fuisse, ut uera dicere sibi solerent); et haec mortuorum laudis significatio, quae propter antecedentia uerba („amissa laudare“) necessaria est, etiam Augusti uerbis supra (§ 2) positis continetur; contra quod Kochius „*libertatem* uera dicendi“ scribi uoluit, nec huic uerbo ulla laudis significatio inest nec hoc cum illis Augusti uerbis consentit et per se paene ridiculum est.)

C. 35, 2, etsi „tanti *aestimat*“ frequentius dicitur et „aesti-

mare" saepius cum „existimare" permutatur, tamen „tanti existimat" retinui, quod eo defendi posse uidetur, quod III, 23, 4 est: „tanti iudicauerunt". — § 4 in N scribitur: „Ista, inquid, festinatio nimiam ingrati est"; m. sec. hoc ita conrexit, ut fieret „nimia", et sic fere ea scriptura oritur, quam Fickertus edidit: „Ista, inquit, nimia festinatio ingrati est". Sed hoc omnes ceteri editores iure inprobarunt; nam eum, cui beneficium hoc modo reddatur, reddentem apertis uerbis ingratum uocasse ueri simile non est, nec alius, qui haec dicat, potest cogitari. Quare Muretus „inquit" deleuit, Lipsius autem aliique „inquam" substituerunt, cum ipsius Senecae haec uerba esse putarent; sed quod explicatio deinde additur („Id apertius exprimere non possum cet."), hoc aperte ostendit Senecam alium quendam antecedentia uerba dicentem fecisse. Alii „inquis" scripserunt, quam scripturam refellere non est opus; aeque autem sensu cassum est, quod Haasius edidit: „Ista, inquit, nimia festinatio grati est"; quis enim sit ille, quem Haasius haec dicere putauit, equidem non intellego, nec uideo, quid his uerbis uituperationis contineatur; et tamen ea explicatio horum uerborum, quam Seneca statim adiungit, monstrat illum, qui ea uerba dicat, aliquo modo reddentem uituperare. Maduigius, ut opinor, uerissime iudicauit Senecam scripsisse: „Ista, inquit, festinatio *nimium grati* est". Haec igitur Seneca eum dicentem facit, cui is, qui beneficium accepit, tam intempestiue gratiam referre festinat, et hoc modo festinationem eius tectius uituperantem; deinde ipse uim huius uituperationis apertius explicat.

Cap. 37, 3, ubi in N est: „Ne in patrocinium quidem, nedum in gloriam quidem incendium extinxisse, quod feceris", omnes uiderunt alterum „quidem" librarii incuriae deberi et pro eo aliquod uerbum positum fuisse. Uulgo „est" hoc loco scribunt, quod Maduigius recte damnasse uidetur; nam apud Plinium quidem hist. nat. XXV, § 2 legitur: „neminem docere in auctoritatem scientiae est", ut Maduigius parum recte contendisse uideatur Latinos eiusmodi loquendi genere omnino non usos esse, sed exemplis Plinianis caute utendum censeo; Seneca certe nusquam sic locutus est. Quare, cum hic audaciori coniecturae locum esse adpareat, „*cedet*" reposui, quod in eiusmodi loquendi formis uulgatum est.

Cap. 38, 2 addita uoce scripsi: „Magnam *praeterea* partem

hominum damnabis"; facile enim adparet Senecam hoc loco ad nouam prorsus rem transire nec iam de eo genere hominum (scil. libitinariorum) loqui, de quo superioribus uerbis locutus est, sed alios quoque praeter eos, uelut agricolas, milites, medicos, ex alieno incommodo lucrari dicere ideoque idem intra se optare, ut hi quoque damnandi sint. — § 5 ex codd. editur: „Non est itaque dubium, quin hi magis, quod damnatum est in uno, optent"; sed uoces „hi" et „uno" parum recte inter se contrariae ponuntur, praesertim cum non idem genus hominum significent (nam „hi" sunt testamentorum captatores, „unus" autem ille libitinarius est, a quo haec disputatio ducta est), ut dubitandum non sit, quin aut „*illo*" post „uno" exciderit aut illud in hoc lateat, quod potius crediderim.

Cap. 41, 2 scribitur: „Si . . fato quodam datum est, ut aut tu cogaris beneficium recipere aut ego accipere, det potius, qui solet"; sed quod de eo, qui iam unum beneficium accepit, hoc dicitur: „aut ego accipere", statim intellegitur hoc non satis esse, nec dubito, quin uere unam uocem addiderim, ut fieret: „aut ego *alterum* accipere", quo significatur eum prius nondum reddidisse et tamen (quod grati hominis est nec reddere festinantis, quem Seneca ut ingratum uituperat) malle se ipsum ea necessitate adfici, ut alterum rogare cogatur, quam creditorem suum eiusmodi difficultatibus distringi, ut prius illud reposcere necessarium illi fiat.

Cap. 42, 1 Hauptium et Maduigium secutus scripsi: „Tam conuicium est 'Recipe' *quam* (N: quod) 'Debes'"; sed tamen fere praetulerim, quod Wesenbergius praeeunte Haasio scripsit uerba aliquot excidisse ratus: „Tam conuicium est 'Recipe, quod *debeo' quam 'Redde, quod* debes'". Nam et haec conrigendi ratio, praesertim cum eiusmodi codice utamur, meo quidem iudicio facilior est, et rectius 'Recipe' et 'Redde' contraria ponuntur. — § 2 manifestam lacunam Erasmus parum recte suppleuisse mihi uidetur, quem Haasius quoque paucis mutatis secutus est, cum scriberet: „Duos istius rei iudices habes, illum, *quem potes fallere, et te*, quem non potes"; quid enim illa sententia de iudicibus fallendis hic agat aut quo uinculo cum ceteris cohaereat, non intellego. Interlocutor paulo ante haec dixerat: „At uereor, ne homines de me sequius loquantur"; sequitur ergo, ut Seneca

hunc ei timorem demere debeat, cum dicit eos certe homines, quorum iudicio aliquid tribuendum sit, timeri non debere. Hi autem duo sunt; alter ille est, qui dedit beneficium, quo facto se acceptorem amare ostendit, ut prorsus non eius iudicium timeri debeat nec ullum periculum sit, ne male de eo iudicet; alter uero ipse est, qui beneficium accepit, et hic quidem suum ipsius iudicium timere non potest, utpote qui grati animi sibi conscius sit. Hanc Senecae sententiam esse certo arbitratus scripsi: „Duos istius rei (i. e., utrum gratus sis an non) iudices habes: illum, *quem non debes timere*, *et te*, quem non potes".

§ 7. De beneficiis lib. VII.

Cap. 1 Demetrii Cynici orationem, quae a § 4 incipit (nisi forte hanc Senecae explicationem esse potius putare debemus, qua sententiam Demetrii § 3 propositam uberius exsequatur), usque ad finem huius capitis extendi significaui, cum Fickertus et Haasius eam ante § 5 desinere crediderint; sed meam rationem ueram esse ostendunt uerba initio cap. 2 posita. — § 5 in codd. et edd. haec sententia est: „inuoluta ueritas in alto latet", quae uera esse nullo modo potest; nec enim, quid h. l. agat, facile quisquam dixerit, et tautologia ei inest. Cum Seneca (aut Demetrius) tota disputatione id agat, ut ostendat ea, quae nobis usui futura sint, in aperto aut in proximo posita esse, inutilia uero abdita latere, sine dubio eiusmodi sententia expectanda erat, qualis haec est: „inutilis ueritas in alto latet", aut haec: „inuoluta ueritas sine damno latet". Quid re uera Seneca scripserit, difficile dictu est; scribere eum sic potuisse putaui: „inuoluta ueritas *inulta* latet". Nam „inultus" non is solum est, a quo ultio non exigitur, aut is, cuius causa alius non ulciscitur (de quibus significationibus Dietschius ad Sall. Iug. 31, 2 disputauit), sed etiam, quae prima significatio esse debet, is, qui suam iniuriam ipse non ulciscitur (cfr. Horat. epod. 6, 16; satir. II, 3, 297; 8, 34; Uerg. Aen. II, 670; Ouid. Fast. IV, 595; Sall. Iug. 67, 2; Liuii lib. III, 43, 4; Curt. IV, 4, 12; 16, 24; V, 3, 19; VII, 7, 37; VIII, 2, 17; IX, 5, 2; Flor. I, 38, 18; II, 9, 20), maxime quidem in eo loquendi genere, quod est „inultum mori, caedi, perire", similia, sed etiam in aliis, ubi uerbum aut passiuum est aut intransitiuum, in quo

patiendi quaedam notio inest (ut „latet“ = „non quaeritur“); et hac significatione, quamquam sic personarum tantum nominibus hanc uocem adiunctam uidi, cum illis significationibus etiam rerum subiungatur, hic Senecam „inulta“ dicere potuisse credo, ut significaret obscuram ueritatem ita latere, ut non quaesita sed spreta ac neglecta tamen eos damno non adficeret, qui sibi hoc modo quasi iniuriam adtulissent. Conferri cum his uelim, quae nuper in libro, qui inscribitur „Opuscula philologica ad I. N. Maduigium a discipulis missa“ (Hauniae 1876) de aduerbii „impune“ notione Siesbyeus disputauit p. 253. — § 7 quod scripsi: „in tutum *redacto* animo“, conferatur Liuii lib. III, 40, 11.

Cap. 2, 1 uulgo sic interpungebatur: „et sine mora ulla ueniat illa turpis honestique distinctio, sciat (uel: sciatque) nec malum . . . honestum. Hac regula cet.“. Sed postrema illa sententia a „sciat(que)“ incipiens omnibus iis, quae praecedunt, non ex aequo ponitur, sed proxime tantum praecedenti adiungitur explicationemque pronominis „illa“ (h. e. uulgo nota et saepissime proposita) continet. Quare aut particula „ut“ ante „sciat“ addenda erat aut tota illa sententia ab antecedentibus diuellenda, ut hinc noua sententiarum series inciperet, quod ego facere malui. Ergo „sciat“ item ut „distribuat, agat, exigat“ coniunctiuus hortatiuus est. — § 5 C. F. W. Müller in progr. gymnas. Landsbergensis 1865 edito uerissime negauit Senecam „nec illum existimes“ pro: „ne illum existimaueris“ dixisse; ipse: „*ne* illum existimes p. e. contentum, omnia illius sunt“ scribendum esse coniecit, ut efficeretur sententia finalis eius generis, quod Maduigius gr. L. § 440 not 6. conmemorauit, quod quamquam in uniuersum probandum est, tamen desideratur particula, quae hanc periodum cum praecedenti copulet; quare, cum in N sic scribatur: „ne & illum existimes“, Wesenbergium duo uerba transponentem sequi malui, ut fieret: „*Et*, *ne* illum existimes“. Non minus recte scripturam etiam intolerabiliorem idem Müller inpugnauit, quae infra cap. 16, 4 uulgatur: „Non rapias hoc nec testeris“; sed quod illic antecedens uerbum „debes“ in „debeas“ mutandum, deinde commata ante „non rapias“ et post „testeris“ ponenda censet, in eo certe eum errauisse credo. Primum enim horum coniunctiuorum ratio explicari uix poterit, cum uerba „ingratus es“ et „dimitteris“ ostendant Senecam in iis saltem

uerbis, quae ante „non rapias“ sunt, certam personam secundam adloqui; deinde fieri uix potest quin illa conparatio, quae uerbis: „Nam quemadmodum ille cet.“ instituta est, in uerbo „dimitteris“ desinat; certe praeter haec nihil aliud ad sensum explendum requiritur. Quare et „debes“ retinendum et uulgatam interpunctionem seruandam esse certo credo; pro „non“ autem audaciore sane coniectura, sed quae similibus exemplis commendari possit (cfr. Stud. crit. p. 18; 116; 158), „*ne*“ scripsi his uerbis Senecam incertam personam secundam („man“) adloqui ratus. Quamquam enim hic ut plerumque certum aduersarium se adloqui fingit ideoque secunda persona indicatiui utitur, tamen re uera haec cuiuis dicit, eoque fit, ut interdum in media oratione ad aliam formam transeat, uelut infra cap. 30, 1—2, ubi post „liberas, dimittis“ sequitur „contuleris“, deinde „nostra infamia“. Sed tamen h. l., cum statim „redde“, non „reddas“, sequatur, hanc rationem non satis mihi placere fateor.

Cap. 3, 1 cum plerisque edd. retinui, quod in N quoque est: „nec interest, quantum eo, quod inexplebile est, congeras“; quamquam enim Seneca multis locis „congerere alicui rei“ dicit (cfr. Maduigii Aduers. Crit. II p. 347), quod Kochium mouit, ut „*ei*“ pro „eo“ scribendum censeret, tamen idem saepe „congerere in aliquid“ dicit, nec aduerbium „eo“ aliud significat atque „in id“, quod editores antiquissimi de suo scribebant. Non raro hoc modo pronomen relatiuum ad aduerbium demonstratiuum refertur, cuius usus Siesbyeus haec exempla conlegit: Varron. de l. Lat. VI, 41: „incipiam hinc primum, quod dicitur ago“; Liuii lib. V, 23, 10: „tandem eo, quod lenissimum uidebatur, decursum est“; Sen. Rhet. p. 4, 8 Kiessl.: „eo dimittitis, quod adhuc quid sit disputatur“; p. 317, 23: „statim illo ueniendum est, ad quod properat auditor“; Senec. epist. 20, 6: „perduceris aut ad summum aut eo, quod summum nondum esse solus intellegas“; epist. 44, 5: „nemo non inde est, ante quod nihil est“; Quintil. VII, 1, 59: „eo tendamus, quod occurrit ultro“; Tac. annal. IV, 40: „se non illuc decurrere, quod promptum rescriptu“. Aduerbium relatiuum („unde, quo“) ad pronomen demonstratiuum („is“) saepe referri (ut Caes. de b. G. V, 14, 5) uulgo notum est; cfr. Naegelsbach Lat. Stil. § 85.

Cap. 4, 3 in N conrupta uerba sunt: „et totus ager aut ullius

rei p̄. est pars deinde suo domino quaeque censetur"; quod autem uulgo ex Erasmi coniectura editur: „et totus ager huius aut illius rei p. est, cet.", quamuis sententiae satis facere uideri possit, in illis litteris latere uix credo, quoniam, quod paulo post dicitur: „ideoque donare agros nostros rei p. possumus", ostendere mihi uidetur Senecam uerbis proxime praecedentibus rem uniuerse tractasse nec certa illa exempla, quae initio nominauerat, spectasse. Maduigius sic scribendum esse suspicatus est: „et totus ager *ante unius* rei p. est, *et* pars deinde cet.", sed ne hoc quidem satis facere uidetur. — § 5 egregiam Maduigii coniecturam recepi, nisi quod cum Gronouio et aliis „inter duos" retinui, de quo loquendi genere conpluribus Senecae exemplis satis firmato Stud. crit. p. 67 disputaui; unum exemplum hic addam, quod inuenitur quaest. nat. VII, 12, 1; conparari potest etiam de benef. VI, 13, 1, ubi „duos intuens" pro „utrumque nostrum intuens" dicitur.

Cap. 6, 1 scripsi: „*ita* recte utriusque dicuntur esse"; nam particulae aduersatiuae „at", a qua uulgo hanc sententiam incipiunt, hic nullus locus est, cum haec sententia non alteri antecedenti contraria ponatur, cuius enuntiationem falsam esse indicet, sed conclusionem ex praecedentibus uerbis ductam contineat.

Cap. 8, 1 ex codd. uulgo edebatur: „Ergo cum animum sapientis intuemur potentem omnium et per uniuersa dimissum, omnia illius esse dicimus, cum ad hoc ius cotidianum, si ita res tulerit, capite censebitur". Sed siue particula „cum" altero loco plane eodem modo quo antea posita esse putatur, praepositio „ad" abesse debebat; siue concessiuam esse putamus („während"), ut praepositio „ad" satis noto usu idem fere quod „secundum" uel „ex" significet, coniunctiuus sequi debebat. Itaque Haasius „ad" in „autem" mutauit et „intuemur" intellegi uoluit; quod uerum esse potest, quamquam Senecam particulam aduersatiuam additurum fuisse uix credo. Ego alterum „cum" propter prius ex „*qui*" ortum esse arbitratus sum; sic etiam paulo melior sententiae forma effici mihi uidetur, cum hoc modo Seneca dicat eundem sapientem, qui ex iure cotidiano pauperrimus sit, tamen animo ditissimum esse. — Paulo post ferre non potui codicis scripturam: „possessio eius animo ac magnitudine aestimetur"; neque

enim uideo, quomodo duo illa uerba copulari possint. Superiores editores multo rectius „animi magnitudine“ scribebant; sed „ac“ sine dubio pro „hac“ scriptum est, ut sexcentis locis fit, deinde „animo“ pro „animi“ natum; ergo sic scribendum esse iudicaui: „*animi hac* (i. e., quae praecedentibus uerbis declaratur: „potentem omnium et per uniuersa dimissum“) magnitudine aestimetur“.

Cap. 10, 3 in codd. est: „Et tamen adhuc ista (h. e. aurum et argentum) aliquam materiam habent; est, in quo errorem oculorum animus subsequi possit“; Haasius praef. uol. III p. XXV scribi se malle dixit: „in quo errorem *animorum oculus* subsequi possit“. Ac, nisi quod substantiuorum numero offendor, fortasse etiam sine satis idonea ratione (cfr. Hor. a. p. 180), uerum Haasium uidisse puto; quod et ex iis intellegitur, quae praecedunt: „ista aliquam materiam habent“, quoniam materia ad oculos proprie spectat, et magis etiam ex iis, quae infra § 4 de syngraphis, cautionibus, tabellis similibusque dicuntur: „in quibus nihil est, quod subici oculis, quod teneri manu possit“. Ex hoc loco eam coniecturam duxi, quam in margine posui: „est, in quo errorem *oculi cum manibus* subsequi *possint*“; quod et ad sententiam aptum est nec a codicis N scriptura multum discedit. — Paulo post Haasii inuentum „umbracula“ retinui, quamquam de huius scripturae ueritate dubitari potest, cum translatus huius uocis usus, ut idem significet quod „umbrae“, nullo exemplo probari uideatur. — § 6, modo recte interpungatur, N scriptura uerissima est, nec addito „si“ opus est, quod Haasium non uidisse miror: „Cum bene ista .. circumspexerit superbumque se fecerit, quidquid (uulgo: si, quidquid) habet, ei, quod cupit, conparet: pauper est“. Apodosis uerbis, quae sunt: „quidquid habet .. conparet“, continetur, et coniunctiuus hortatiuus est; deinde pro uulgari Senecae more id, quod experimentum ostendet, indicatur his uerbis: „pauper est“, i. e., pauperem se esse intelleget; quae breuiloquentia ei similis est, quam supra ad II, 11, 3 conmemoraui.

Cap. 13, 1 obscura cod. N uestigia secutus scribendum esse censui: „ea, per quae beneficium datur, possunt esse maiora et plura, in quae *se denique* (N: in quę sed qui) beneuolentia effundat“. Nam „undique“, quod Lipsius coniecerat, cum in duobus codd. (deterioribus scilicet) „sunt qui“ pro „sed qui“ repperisset,

parum mihi quidem aptum uidetur, cum significare debeat: „omni modo"; contra aptum est „denique", quod enumerationem interrumpit. Etenim adparet beneuolentiam non ita solum se effundere posse, ut maiora et plura det, sed etiam ita, ut pulchriora, ampliora, frequentiora (cfr. V, 3, 3) praebeat similiterque datorum pretium multis modis augeat; itaque plures conparatiuos Seneca ponere potuit, sed hos simul conplexus est dicendo: „in quae se *denique* effundat".

Cap. 14, 3 scripsi: „*Quidam* eius condicionis sunt"; nam „quibusdam", quod sequitur, necessario masculini generis esse putandum est, si quidem uulgatam huius alterius membri scripturam ueram esse credimus, et hoc modo etiam exempla, quae deinde ponuntur, melius adiunguntur. Quamquam non negauerim „quaedam" ferri posse; sed tum, ut etiam „quibusdam" neutri generis fiat, necessario scribendum est: „*in* quibusdam pro effectu est omnia temptasse, ut *efficeret*" (cfr. Maduigii gr. Lat. § 388 n. 2); et „efficeret" in N scribitur. Res minoris momenti est, sed tamen priorem conrigendi rationem praetulerim.

Cap. 15, 3 in N conrupte scribitur: „Merito istud diceres ei, qui tibi reddidit uoluntatem otiosam; huic uero debes & qui uult et conatur et nihil intemptatum relinquit et non potest dicere". Editores difficilem locum ita emendare conati sunt, ut alius alia uerba male delerent; quo conrigendi genere in hoc codice omnino non licet uti, nisi ubi ratio reddi poterit, unde uerba, quae spuria putantur, inrepserint, quod numquam interpolatione factum est sed saepius ita, ut librarius incuriosus eadem uerba bis scriberet, id quod hoc loco factum non esse adparet. Ergo alia emendandi loci uia quaerenda est; et ex postremis uerbis nullo fere negotio optima efficitur sententia, quae ei contraria ponatur, quam prima uerba continent: „set qui uult et.. relinquit, *ei* non *potes* dicere"; notandum etiam est N „et", non „&", pro „ei" habere. Supersunt hae litterae: „huic uero debe", in quibus quid lateat difficilius dictu est; sed ad sententiam certe aptum est, quod scripsi: „*hic* uero *debet*", quibus uerbis Seneca praecedentem sententiam alio modo et cum ui quadam grauiore adfirmat. Similiter infra cap. 21, 1 (p. 151, 15) et saepius „huic" pro „hic" N habet. Ceterum notanda est mirabilis in Senecae responso personae mutatio; sic enim respondet, quasi

aduersarius dixerit: „Duas res ego illi praestiti ..; is quoque mihi duas debet".

Cap. 16, 4 N habet: „Redde illi, quia repetit, huic quia remittit; illi, quia repetit, huic quia malus", in quibus adparet tertium membrum ex primo male iterato ortum esse; sed simpliciter haec uerba abicere non licet, cum sic desideretur, cui quartum membrum respondeat. Quid postulet sententia, perspicuum est et ab omnibus intellectum; sed cum superioribus editoribus quartum membrum, quod per se uere scriptum esse uidetur, mutare nolui, ideoque tertio loco haec addidi: „illi, quia *bonus* est". Offendere sane potest, quod seruato pronominum ordine sententiae ipsae per chiasmum proponuntur (nam „repetit" et „malus", „remittit" et „bonus" inter se respondent); sed pronomina „hic — ille" h. l. nihil aliud quam „alius — alius" significant, qua re offensio minuitur. — § 5 olim sic scribebatur et interpungebatur: „Redderes enim et depositum, quod a sapiente accepisses; etiam (uel: et etiam) malo redderes creditum"; sed ex uerbis proxime praecedentibus manifestum est in his priorem sententiam („Redderes .. accepisses") inperfectam esse, cum desideretur condicionis significatio („si ille sapiens esse desiisset et malus factus esset"); posterior uero sententia („etiam malo redderes creditum") item aperte inperfecta est, cum hunc malum olim sapientem fuisse significandum esset. Facillima conrectione et meliore interpunctione ueram sententiam me effecisse locumque sanasse credo; sic enim scribendum erat: „Redderes enim *ei* depositum, quod a sapiente (i. e.: ab eo, cum sapiens erat) accepisses, etiam malo (i. e. etiam si postea malus factus esset), redderes (scil.: ei) creditum (scil.: quod a sapiente accepisses, etiam malo)".

Cap. 18, 2 miro modo Seneca sic loquitur: „Ut respondere ab ultimo incipiam, non dabo illi cet.". Nam ut respondentis partes ipse suscipiat, necesse est, interlocutorem aliquem praecedentia uerba dicentem fecerit, ad quae ipse respondet, cum hoc in eo uituperat, quod reddendi et dandi officia inter se conmiscuerit, quae ipse diligenter discernenda esse censet. Sed in praecedentibus uerbis, ut nunc quidem scribuntur, nullus locus est, unde interlocutoris orationem incipere signari possit; esset, si initio § 1 aut „quod" aut „si" omisso scriberetur: „De

altero beneficii genere dubitatur. «Quod accipere (uel: «Si accipere) non potui nisi sapiens ... quod accipere non possit».“ Ita enim uerbis illis: „Quod accipere non potui nisi sapiens“ et ceteris usque ad finem paragraphi oratio interlocutoris contineretur, in qua quod uerbum „inquit“ non ponitur, id frequenter fieri supra ad II, 17, 1 ostendi. Uerum hoc modo codicum scripturam mutare non ausim, cum nesciam, quem ad finem Seneca in liberiore illa dialogi forma, qua utitur, progredi potuerit.

Cap. 19, 4 Maduigius iis deceptus, quae Fickertus parum recte de cod. N scriptura tradiderat, conrectionem tentauit, quam eum, cum fundamento careat, non amplius defensurum esse certum habeo. Ego ad codicis uestigia proxime accedens scripsi: „Non (=„nonne“, ut saepissime apud huius aetatis scriptores) reddo illi, quale nunc potest recipere?“ (Hoc cum aduersarium non adfirmare non posse satis adpareat, sic pergit:) „Nec per me fit, quod deterius id, quod accepi, reddam, sed per illum, cui, *nisi* (N: cui si) ad sapientiam redierit, reddam, quale, dum in malis est, ab illo potest accipi“. Post uerba, quae sunt: „dum in malis est“, duas uoces „reddam quale“ ex praecedentibus manifesto male iteratas sustuli, deinde non audaci conrectione „nisi“ pro „si“ scripsi, quod ipsa sententia postulat; cetera non mutaui. Sententia, quae efficitur, uerissima est; nam Seneca aduersarii obiectionem initio paragraphi propositam ita refellit, ut dicat se id, quod acceperit, reddere; quod autem id tale reddat, quale nunc ab altero possit recipi, id est, quod deterius illud reddat, quam acceperit ipse, non per se fieri, sed per illum, qui deterior factus sit, ut propter haec nihilo minus debito plane liberetur. Non duo tempora distinguuntur, ut Maduigius uoluit (qui tamen ipse haec tempora non recte distinxit, cum postremo loco „reddo“, non „reddam“, scribere debuerit, si uera eius ratio esset); neque enim idem beneficium bis redditur (primum, dum is, qui dedit, in malis est, deinde, cum ad sapientiam redierit), sed semel, et de una eademque actione per totum locum agitur; quod autem primo loco „reddo“ scribitur, cum futurum tempus per se ubique rectius esset et interposita sententia: „nisi ad sapientiam redierit“ necessario ponatur, id eo factum est, quod aduersarius praesenti tempore („reddis“) usus erat. — § 5 uulgo edebatur: „nam in pessima ab optimis lapsus necesse est etiam

in malo uestigia boni teneat"; sed superlatiuus ille „in pessima" in hac scriptura plane peruersus est et a Senecae mente alienus; pessimus enim quis est nisi ille, qui ne uestigium quidem boni habeat? huc autem delabi eum posse, qui olim optimus fuerit, negat Seneca. Uerae scripturae manifesta uestigia N seruauit, in quo non „nam" sed „non" scribitur; et in codice uno deteriore librarius recte haec scripsit: „*Non* in pessima ab optimis lapsus *est;* necesse est .. teneat". Scilicet „lapsus" substantiuum est, uerbum autem „est" hic ut saepius apud substantiua uerbalia significat: „findet statt, ist möglich" (cfr. u. c. Liuii lib. VI, 20, 11). — § 9 scribebatur: „si .. sepositus a mea gente suam exagitat, abscindit nihilo minus illum tanta prauitas animi *et*, etiam si non inimicum, inuisum mihi efficit"; sed cum uerbi „abscindit", pro quo in N est „adscindit", subobscura esset significatio (nam § 8 aliter res habet), et coniunctio „et" in N non legeretur, hoc modo Senecam scripsisse suspicatus sum: „si .. sepositus a mea gente suam exagitat *ac scindit*, nihilo minus illum tanta prauitas animi, etiam si non inimicum, inuisum mihi efficit". Uerbum „scindit" apte cum „exagitat" coniungitur, et, quamquam nullum plane simile exemplum adferre possum, tamen translatio facilis esse uidetur.

Cap. 20, 4 scripsi: „Sed haec *rara est* nequitia *et* semper portenti loco habita", a ceterorum editorum ratione paululum discedens; nam „rare", quod N habet, sine dubio ex „rara ẽ" ortum est, deinde „est" pro „et" factum. — § 5 Maduigius rectam interpunctionem inuenerat et aliquid excidisse uiderat; quod autem „ad me" addi uoluit, facilius „*differt*", quod ego addidi, ante „diligenter" omitti potuit. Similis huius uerbi constructio inuenitur u. c. epist. 17, 12; Cic. Topic. 16; Hor. sat. II, 3, 166. 251. (Cap. 21, 2 extr. non intellego cur Haasius solus, ut uidetur, duo uerba, quae sunt „ac misit" (i. e.: „liess fallen"), spuria iudicauerit.)

Cap. 26, 1 in N est: „quid facere debeam?" sed necessario aut: „quid faciam?" aut: „quid facere debeo?" scribendum erat; quare „debeam" ex „*debeo*" et „*Iam*" ortum esse putaui, a qua particula responsum apte incipiet.

Cap. 27, 1 Kochius sine dubio recte uulgatam scripturam damnauit: „omisso pudoris rectique respectu uires in concilio

sunt uelut signo ad permiscenda omnia dato"; quaenam enim „uires" significentur, non adparet. Quod autem pro hac uoce „uictores" scribi uult, errasse mihi uidetur; neque enim, ut dicit, uictorum in capta cum maxime urbe describitur concilium, immo imago proponitur in omnes partes ad diripiendam urbem ruentium. Nescio, quid scriptum fuerit, sed aptam sententiam haec mihi praebere uidentur: „uires *irae* in concilio sunt", i. e. coniurauerunt et se coniunxerunt.

Cap. 28, 3 scribitur: „Inique publico crimini irasceris, stulte tuo"; sed C. F. W. Müller (Neue Jahrb. 93 p. 494) recte uidit postrema quo uerba prauam continere sententiam; ipse pro his scribi uoluit: „*iuste* tuo". Tamen Müller quoque errauit, nec in aduerbio sed in pronomine uitium scripturae inest. Adparet enim „crimen publicum" et „crimen tuum" non recte inter se contraria poni posse, nisi „tuum" idem sit quod „tuum solius"; hic uero tota disputatio et uerba proxime antecedentia ostendunt de eiusmodi crimine agi, quo omnes homines laborent, non is solus, qui de eo queratur; et tali crimini irasci iniquum et iniustum Seneca esse putat. Mihi persuasum est particulam „et" (= etiam) inter similes litteras excidisse, qua addita uera sententia efficitur: „Inique publico crimini irasceris, stulte *et* tuo", id est: inique facis, quod ei crimini irasceris, quo omnes homines laborant, et praeterea stulta haec tua ira est, quod illud crimen etiam tuum est nec tu minus quam ceteri homines eo teneris.

Cap. 29, 1 Maduigius recte duo uerba „est, cum" adiecit, sed parum recte sententiam illam: „quoniam quidem .. signum est" ab antecedenti diuellit, cuius causam illa contineri facile adparet. Nec raro eiusmodi sententia causalis a particulis „quoniam quidem" incipiens sententiam primariam sequitur, uelut II, 1, 4; de clem. I, 2, 1; de prouid. 1, 5. — § 2 fortasse in textum recipere debui Bentleii coniecturam: „lentus et *patiens* creditor".

Cap. 30, 1 comma post „stulte" cum Wesenbergio sustuli aduerbium esse ratus eo modo positum, de quo Maduigius Aduers. Crit. II p. 507 disputauit. Paulo post scripsi: „moderatio plurimum *profuerit*", ubi in codd. et edd. „profuit" est; neque enim Seneca hic indicat, quid antea factum sit, sed suadet, quid faciamus, dicitque, quid futurum esse ueri simile sit.

Cap. 32, 1 in codd. et edd. scribitur: „Sed huic ipsi beneficium dabo iterum et tamquam bonus agricola cura culturaque sterilitatem soli uincam. Perit (uel: Periit) mihi beneficium, iste omnibus". Sed hoc uerum esse non potest, cum postrema sententia cum praecedentibus nullo uinculo cohaereat; optime cohaerebunt, si particulam „*aut*" propter extremas uerbi „uincam" litteras omissam reposuerimus, ut fiat: „.. uincam; *aut* (i. e.: „wo nicht", „nisi hoc facio", significatione satis nota) perit mihi beneficium, iste *hominibus*" (nam „hominibus" rectius esse quam „omnibus" neminem negaturum arbitror).

§ 8. *De clementia lib. I.*

Cap. 1, 2 Seneca Neronem quaerentem facit: „Egone ex omnibus mortalibus placui electusque sum, qui in terris deorum uice fungerer?", cuius quaestionis uis eadem est, ac si illum simpliciter adfirmantem induxisset hoc se loco positum esse; deinde sequentibus sententiis, ut mihi quidem uidetur, Nero non interrogat sed exponit, quo iure se deorum uice in terris fungi sentiat, cum usque ad § 3 argumenta adfert, quae ostendant, quam ualida sit sua potentia, deinceps alia, quibus demonstretur, quam benefica sit. Itaque praeter primum interrogandi signum post „fungerer" cetera omnia, quae Fickertus et Haasius singulis sententiis § 2 adposuerant, sustuli. — § 4 Baehrensius scribendum esse censuit: „quotiens nullam inueneram misericordiae causam, mihi *peperi*"; sed ut „parere sibi causam" dici possit, tamen haec mutatio necessaria non est, cum „mihi peperci", quod in cod. N est, bene intellegi possit (nam miti principi molestum est etiam ad nocentes puniendos accedere; igitur si his ignoscit, quodam modo sibi parcit seque molestia liberat; conferantur etiam, quae paulo post cap. 5, 1 scribuntur); ac ne uera quidem esse mihi uidetur, cum princeps non aliquam sibi causam fingat, qua se quodam modo decipiat et ad misericordiam conmoueat, sed ignoscat, quia haec eius uoluntas est, id quod uerbis „mihi peperci" apte significatur. — § 5 de conruptis uerbis, quae initio huius paragraphi leguntur, nihil dicam, quorum ut sententia perspicua est, sic emendatio prorsus incerta sit necesse est; sed paulo post retinui,

quod in cod. N m. pr. scribitur: „Non perdit operam nec bonitas ista tua singularis ingratos aut malignos aestimatores nancta est", cum m. sec. et omnes editores „perdis" habeant. Nam commune utriusque uerbi („perdit" et „nancta est") subiectum est „bonitas tua"; de quo uerborum ordine apud Senecam satis frequenti Stud. crit. p. 31 disputaui multaque exempla adtuli; addam, quod scribitur de benef. V, 10, 4: „laudatur et inter maxima humani generis bona fides colitur". — § 6 N habet: „principatus tuus ad gustum exigitur". Haasius uiolenta et falsa coniectura „obrussam" pro „gustum" scripsit; superiores recte hoc uocabulum retinuerant, quod eodem sensu accipiendum est, quo epist. 11, 1; 114, 18; Ual. Max. III init.; Plin. epist. IV, 27, 5 ponitur, ut significet „eine probe"; sed Lipsius aliique „ad *anni* gustum", Muretus „ad gustum, *quem dedisti*" scripserunt, et re uera „gustum" nude positum offendit, ut eiusmodi aliquid desiderari uideatur. Mihi aut „*suum*" aut „*sui*" post „gustum" adiciendum uidebatur; Siesbyeus fortasse rectius „*datum*" excidisse putat. — § 7 uerum esse non credo, quod ex codd. editur: „cum incertum esset, quo se ista tua nobilis indoles daret"; nobilis enim indoles uix uocari potest, nisi quam in bonam partem uergere certum sit; quare scripsi „*mobilis*", quae uox non utique uitium indolis notat sed idem quod „flexibilis" significat (cfr. Uerg. Georg. III, 165; infra cap. 14, 1: „dubia indoles"). Ad sententiam conferri potest, quod scribitur apud Tacitum ann. XIII, 2: „(Burrus et Seneca) lubricam principis aetatem ... retinerent".

Cap. 2, 1 in N conrupte scribitur: „Adice, quod magna pars hominum est, quae reuerti ad innocentiam possit si non tamen uulgo ignoscere decet". Editores uulgo „Sed" pro „si" ponunt, sed hoc modo uitium scripturae occultatur, non sanatur; nam sententia, quae praecedit, non plena est, cum necessario significandum hoc sit, clementiae beneficio fieri, ut hi ad innocentiam reuerti possint. Quare cum Grutero et Lipsio aliqua excidisse puto; quae condicionali sententia enuntiata fuisse particula „si", in qua ueri uestigium superest, ostendit. Quod ad sententiam pertinet, lacuna ita fere expleri potest: „quae reuerti ad innocentiam possit, si *non sustuleris spem ueniae.* Non tamen uulgo ignoscere decet"; de uerbis scilicet nihil praesto.

Cap. 3, 1 nondum repertum esse credo, quid in conrupto

uerbo „manumissionis“ lateat; nam „manus iniectionis“ (i. e., ut tibi manum iniciam et te teneam), quod Maduigius proposuit, obscuriorem habere sententiam mihi uidetur, quam ut Senecam re uera hoc scripsisse credam, et superiorum conatus plane infelices fuerunt. Per totum hunc librum Seneca id agit, ut iram et crudelitatem in principe uituperet, clementiam et mansuetudinem ei commendet; itaque putaui Senecam nouum uocabulum, quod est „*mansuefactio*“, fingere potuisse, quo consilium suum principem mansuetum et clementem reddendi significaret, sicut apud antiquiores „satisfactio, patefactio“, apud posteriores „expergefactio, calefactio, putrefactio, benefactio“ similiaque ficta sunt. Sed tamen ne haec quidem uox mihi satis facit; Neronis enim ingenium ferum non erat, et in tali ingenio mansuefaciendi uerbum proprie locum habet. — Paulo post scripsi: „secunda *ea*, quae naturam clementiae .. demonstret“; hinc enim certum habeo N scripturam ortam esse, cum ex litteris „secunda e“ male iunctis fieret „secunde“ (pro „secundę“, uirgula omissa), quo facto ex „a quę“ oriebatur „atq;“. — § 4 scripsi: „consensus sic protegendi amandique *regis*“; nam et paulo post numero singulari „imperantis“ dicitur et tota hac disputatione Seneca ostendere uult, quo iure omnes pro uno hoc faciant. Deinde, cum uerbum „iactandi“ nihil aliud significare posse uideatur, quam quod nos dicimus „preisgeben“, non intellego, quid aduerbium „quocumque“ hic sibi uelit; scripsi „quandocumque“, quod saepius cum illo permutatur, sed tamen de hoc loco dubito. — § 5 pessime conruptam scripturam, sicut saepius in extremis his libris, N ostendit: „iam dudum dexteram flamis obiecimus aut uoluntariam subsiluimus“, in quibus uerbis quid lateat difficile dictu est. Dubitari tamen uix potest, quin Seneca ut primis uerbis Mucii Scaeuolae factum sic extremis M. Curtii (cfr. Liuii lib. VII, 6) significarit, sed in hac re subsiliendi uerbum parum rectum est, cum „desilire“ dicendum esset. Ipse conieceram, quod postea Lipsium occupasse uidi (nam Fickertus hoc non conmemorauerat), Senecam loquendi genere ex Graeco ducto, quod est „sub solum ire“ (*ὑπὸ γῆν ἰέναι*; cfr. Uerg. Aeneid. IV, 654), usum sic scripsisse: „iam dudum dexteram flammis *obicimus* aut *uoluntarii sub solum imus*“; Lipsius idem fere proposuit sed tamen perfectum tempus („obiecimus .. iuimus“)

seruauit, quod ferri non potest. Nihilo minus audacior haec conrectio mihi uisa est, quam ut in contextum reciperem.

Cap. 4, 1, ubi scribitur: „cum pro uno homine denas legiones in aciem deducunt", uix quisquam dixerit, quid adiectiuum numerale hic agat; nec dubito, quin ridiculum fere uocabulum librario debeatur (qui fortasse „uno" et „denas" eleganter inter se respondere credidit), Seneca ipse „*densas* legiones" scripserit, quod edidi. — Paulo post et per se rectius est et ad litteras in codice seruatas propius accedit, quod scripsi: „uinculum, *quo* res publica cohaeret", quam quod N m. sec. et editiones uulgo habent. Similiter h. ed. p. 168, 26 *ei* pro *u* scripto ex „uiuis" factum est „ei ibis".

Cap. 6, 1 uulgo editur: „in qua tribus eodem tempore theatris uiae postulantur", ad quae Gronouius haec adnotat: „Uiae tribus theatris sunt: ad tria theatra" (sed hanc sententiam ex illis uerbis effici posse ego equidem non credo); deinde: „Quo modo ergo uiae postulantur? quo solebant properantes et inducuntur serui et parasiti comici. (Plaut. Curc. 280 sqq. Capt. 783 sqq.) Est ergo perinde ac si dixisset: in qua eodem tempore ad tria theatra concurritur; nam curriculo euntes postulabant uiam". Sed fingamus nobis imaginem omnium Romanorum hoc seruorum modo ad theatra concurrentium: nemo non sentiet ridiculam esse hanc enarrationem. Praeterea uix quisquam ullam causam adtulerit, cur Seneca, qui superioribus uerbis in uniuersum de itineribus urbis ingentique hominum multitudine in iis huc illuc currentium disputarit, has uias ad theatra ferentes peculiariter conmemorare uoluerit, cum nullo uerbo significet, in his maxime uiis multitudinem uersari; nec uerbo „postulandi" ingens urbis multitudo significatur, qua de re maxime agitur, sed potius „angustantur" aut simile uocabulum Seneca scripsisset, si hoc significare uoluisset. Quare mihi quidem fere persuasum est uias non ad theatra ferentes sed in ipsis theatris significari, quae inter cuneos et sedilium ordines erant (cfr. Senec. epist. 84, 10; Martial. V, 14, 8; Tertull. Spect. 3); has igitur uias, non sedilia modo, populum simul „tribus theatris" (hunc datiuum commodi esse credo, liberius pro genetiuo positum) conplesse Senecam dixisse credo, ut ingentem numerum significaret. Sed uerbum „postolantur", quod N habet, mendi manifestum est; ego ex

conpendio uocis „*populo*“ et uerbo „*stipantur*“ deprauatum uocabulum ortum esse suspicatus sum, eamque coniecturam, quamuis incertam esse concedam, tamen, cum sententiam ueram efficere mihi uideretur, in uerborum contextum recepi, ne totiens sepulcralia signa ponerentur. — § 2, ubi N hanc scripturam exhibet: „qui non ex ipsa ea lege teneatur, qua quaerit“, Maduigius recte praepositionem cum superioribus edd. damnauit; sed non in „ea“ mutanda est, quod ille et ceteri N scripturam ignorantes fecerant, cum hoc pronomen sequatur; itaque aut simpliciter „ex“ tollendum est, quod Stud. crit. p. 88 proposui, aut, cum praepositio ex „*et*“ orta esset, hoc effecit, ut „ipsa“ pro „*ipse*“ scriberetur; et nunc quidem haec scriptura: „qui non *et ipse* ea lege teneatur“ mihi praeferenda uidetur.

Cap. 7, 1 praepositionem „ad“, quam m. sec. in N addidit, retinui; sed adnotare debui Maduigium „*in*“ potius excidisse putare, id quod re uera facilius fieri potuit.

Cap. 8, 1 quamuis Gronouius uerbum „inquit“ defendat, cum haec uerba „Ista seruitus est, non imperium“ interlocutorem aliquem Caesari auxiliantem dicere contendat, tamen sine ulla dubitatione cum edd. antiquis „inquis“ scripsi; nam sequentibus uerbis Senecam ipsi Caesari respondere adparet, non alteri interlocutori, sicut in Gronouii ratione fieri debebat. Sequuntur rursus uerba conrupta: „Quid? tu non experiris istud nobis esse tibi seruitutem?“, quae Haasius praef. uol. III p. XXV sic conrigi posse putauit: „Quid? tu non experiris *imperium* istud esse nobis, tibi seruitutem?“, eandemque sententiam Lipsius etiam non addita illa uoce horum uerborum esse putauerat. Sed meo quidem iudicio haec scriptura ferri nequit, cum pronominis „istud“ significatio intolerabiliter mutetur; nam paulo ante „ista seruitus est“ idem est quod: „talis condicio, qualem descripsisti, in qua principi libere loquendi facultas eripitur, seruitus est“; hic uero „istud imperium nobis esse“ significat: „istam condicionem, quam tu habes principis loco positus (tuam condicionem), nobis, qui tibi subiecti sumus, imperii uim habere“. Gronouii conatus, qui a uestigiis scripturae longe discedunt, omitto. Certum esse puto uitium scripturae in pronomine „istud“ latere, quod si ex „*sicut*“ ortum esse putauerimus, cum littera *s* post „experiris“ omissa esset, certe tolerabilem, fortasse etiam ueram scripturam Senecae

habebimus. Nam Neronis obiectionem Seneca non refellit, immo uerum esse dicit, quod obiecerit: „Quid? tu non experiris *sicut* nobis esse tibi seruitutem?“, i. e., te aeque ac nos seruitutem quandam seruire, quamuis non eiusdem generis tua seruitus sit ac nostra; id deinde uberius sequentibus uerbis exsequitur (cfr. § 3). — § 3, ubi N haec uerba habet: „nec magis illis descendere datum est quam tibi tutum; fastigio tuo adfixus es“, Muretus nuperque Baehrensius recte intellexerunt participium „tutum“ ab hoc loco plane alienum esse, cum non de eo agatur, quid tuto, sed de eo, quid omnino fieri possit; sed nec „tutum“ simpliciter delere licet, et „Tu“ nimis nude et abrupte in transitu ponitur; quare „tu item“ scripsi, praesertim cum hoc ad scripturae uestigia propius accederet. (§ 2 Wesenbergii emendationem, quam membrorum aequalitas postulat, defensione egere non credo.)

Cap. 9, 1 uerum illud quidem non est, quod Haasius ex codd. edidit: „in communi quidem reipublicae (N: reip.) gladium mouit“, sed tamen non probo, quod Maduigius „*clade*“ ante „gladium“ addi uult; neque enim miseram rei publicae condicionem, quae triumuiratus tempore erat, Senecam significare uoluisse arbitror, id quod fit hac addita uoce, sed tantum modo illud tempus, quo Augustus non solus rem publicam tenebat, sed imperium ei cum duobus aliis commune erat. Hoc autem mihi recte significari uidetur superiorum editorum scriptura, quam reduxi: „in communi quidem *re publica* gladium mouit“, sicut apud Lucan. I, 85 dicitur: „facta tribus dominis communis Roma“. — § 2 recepi non ualde audacem Wesselingii emendationem: „cum annum *sexagesimum* transisset“ maxime propter ea, quae Seneca ipse paulo post (cap. 11, 1) de aetate Augusti dicit; praeterea hoc modo Senecae narratio cum Dione Cassio conuenit, qui lib. LV, 14—22 hanc Cinnae coniurationem anno 4 p. Chr. factam esse narrat, quo tempore Augustus LXVII annum agebat. In Gallia Augustum tum moratum esse non aliunde scimus, et fortasse hic Senecae error est. — § 10 post haec uerba: „adeo nihil facilius potes quam contra Caesarem aduocare“ uulgo peruerse interrogandi signum ponitur, quod sustuli; neque enim consentaneum est Senecam interrogare, Cinnane hoc facere non possit, cum praecedentibus uerbis demonstrauerit eum illud facere non posse. Quod initio dixerat: „Domum tuam tueri non

potes" et exemplo adlato probauerat uerum esse, id (et omnia eiusdem generis) nunc rursus eum facere posse negat et simul haec ut faciliora cum multo difficillimo negotio contra Caesarem aduocandi conparat, ut adpareat eum, qui illa facere non potuerit, multo minus hoc facere posse. „Adeo nihil facilius potes" idem est quod: „Adeo ne illa quidem facere potes, quae multo faciliora sunt" uel: „Tantum abest, ut quidquam facere possis, quod facilius sit". Tamen aliquid insoliti hic locus habet, nam „potes" hic idem est quod „facere potes", sed hoc modo non nisi pronomen obiecti loco uerbo „posse" adiungi solet (cfr. Maduigius ad Cic. de finib. IV, 7; Quintil. I, 3, 4; IX, 3, 76), cum hic adiectiuum „facilius" pronomini additum sit. Possitne hoc ferri, nescio; sed a ueri similitudine eiusmodi usum abhorrere non credo, ideoque nihil mutaui. Ceterum non difficile fuerit ante „facilius" infinitiuum „*facere*" addere. Quod Haasius scripsit: „adeo nihil facilius *putas* quam c. C. a.?", quomodo post ea, quae praecedunt, Senecam dicere potuisse putauerit, non intellego. — Sequitur apud Haasium haec scriptura: „Cedo, si spes tuas solus impedio, Paulusne te et .. Seruilii ferent?", qua nihil fere ineptius uidi, cum protasis et apodosis sibi contradicant. Melius antiquiores: „Cedo, si spes tuas solus impedio. Paulusne cet."; sed in hac interpunctione „cedo" necessario uerbum est, nec credibile esse puto Augustum dixisse, se Cinnae cessurum locumque daturum esse, ut Lipsius enarrat; praeterea sic paulo post necessario scribendum erat: „sed num Paulus cet.". Quare fieri non potest, quin „cedo" imperatiui loco positum sit (ut idem sit quod „da", „dic"); atque hoc praeter Haasium et alios iam Lipsius sensit, qui sic quoque scribi posse dixit: „Cedo, si spes tuas solus impedio? Paulusne .. ferent?" Sed ne hoc quidem mihi satis facit; nam si particula „si" interrogatiua esset, ut Lipsius putat, certe coniunctiuus „impediam" sequi debebat; sin autem, ut in omnibus exemplis, quae uidi, condicionalis est, sequens interrogatio praue adiungitur, et totius loci sensus eodem modo laborat, quo in Haasii scriptura. Itaque non dubito, quin littera *s* geminata, ut „sis" pro „si" scriberetur, ueram Senecae scripturam reduxerim: „Cedo, *sis*, spes tuas solus impedio? Paulusne te .. et Seruilii ferent?" — § 11 fieri illud quidem potest praesertim in hac codicis parte, ut sola uox „*nos*" exciderit; sed tamen melius error

librarii explicatur, si sic scriptum fuisse putamus: „ex hodierno die inter *nos uera* amicitia incipiat"; atque etiam ad sensum hoc melius esse credo, quoniam species certe amicitiae antea inter Cinnam et Augustum fuerat.

Cap. 10, 3 N habet: „Deum esse non tamquam iussi credimus bonum esse principem Augustum bene illi parentis nomen conuenisse fatemur". Facile adparet infinitiuum „esse" altero loco mendosum esse, sed non ideo quattuor uerba „bonum esse principem Augustum" spuria iudicanda sunt, ut Haasius audacter fecit; nec enim aliunde inrepere potuerunt. Certum fere est „esse" male ex superiore loco iteratum esse, sicut saepe in hoc codice factum est; sed hoc uerbo deleto quaeritur, quo modo interpungendum sit. Fickertus post „Augustum" punctum posuit, quod ferri posse arbitror; sed tamen nescio quo modo ea interpungendi ratio mihi quidem multo magis placet, quam superiores editores inde a Mureto secuti sunt, ut scribatur: „Deum esse non tamquam iussi credimus. Bonum principem Augustum, bene illi parentis nomen conuenisse fatemur". In priore membro infinitiuus „fuisse" omissus est, quae ellipsis rarior illa quidem est, sed tamen exemplis satis probari potest; sic apud „confiteor" omittitur Quintil. V, 11, 42; apud „nego" ibd. XII, 1, 23; Cic. Phil. II, 80; apud „accipio" Quintil. III, 7, 19; XII, 1, 14; apud „suspicor" Cic. Brut. 55; non pauca similia exempla in libro, qui inscribitur: „Tidskrift for Philologi og Pædagogik" I, IX p. 36 conlecta sunt (cfr. supra ad IV, 21, 5).

Cap. 11, 1 sine dubio uerum est, quod uulgo editur: „Perusinas aras"; nam etsi in N scriptura potius „Perusianas" latere uidetur, tamen eiusmodi adiectiui forma ex Latini sermonis consuetudine ficta non est, ut librario alicui deberi uideatur. „Brundusianus", quod olim apud Plin. h. n. XXXII, 61 legebatur, certe in editione Detlefseniana remotum est; praeterea ex Columella „Pelusianus" adfertur, sed hoc Graecum nomen est; alia exempla non noui. — § 2 pessime conruptus locus est, qui in N sic scribitur: „haec est in maxima potestate uerissima animi temperantia et humani generis conpraenditte sibi mor", ex quibus quod uulgo efficitur: „et humani generis inconprehensibilis (Maduigius maluit: non conprehensibilis) amor", id mihi quidem

nimium ideoque parum aptum esse uidetur. In antiquissimis editionibus scribebatur: „conprehensibilis amor", quam scripturam tolerabilem dicit Erasmus, modo adiectiuum actiue accipiatur, ut idem significet quod „conprendens" uel „amplectens". Hoc, quod ad sensum adtinet, multo rectius mihi uidetur, sed num „conprehensibilis" ita accipere liceat nescio; itaque conlato loco, qui est infra cap. 13, 4: „nullam non rei publicae partem tamquam sui nutrit" sic scribere malui: „et humani generis conprend*ens ut sui a*mor" (i. e.: „eine liebe, die das ganze menschengeschlecht als das seinige umfasst"); praeterea ex his conrupta codicis uerba facilius oriri potuisse arbitror. — § 4 facile adparet interrogationi illi, quae continetur uerbis: „Quid interest inter tyrannum ac regem", iis responderi, quae hac sententia dicuntur: „nisi quod tyranni .. ac necessitate"; igitur necessario interpunctio ita mutanda erat, ut ego mutaui, cum uerba haec: „species enim .. par est" parenthetice interposita esse signarem. Certe hoc modo scribendum est, si particulam „nisi" ueram esse putamus, pro qua in cod. N „ni" scribitur; alioqui suspicari possumus N scripturam ita emendandam esse, ut scribatur: „Quid interest inter tyrannum ac regem, species enim .. par est? *Estne*, quod tyranni .. ac necessitate?", quae scriptura eo commendari posse uidetur, quod sic utrique interrogationi respondetur, cum particula „quod" paulum diuerso modo ad eas refertur. Sed etiam recepta scriptura bene habet; et „ni" non modo alibi pro „nisi" scriptum reperitur (cfr. Cic. de finib. IV, 80), sed in hac quidem codicis parte haec conrectio facilis habenda est, ut in qua non raro uocabula licenter detruncata reperiantur, uelut h. edit. p. 170, 3 („dis" pro „distat"); ibd. 17 („ar" pro „armis"); p. 173, 31 („recundia" pro uerecundia"); p. 178, 26 („monstra" pro „monstrauit"); p. 179, 6 („no" pro „nobiles"); p. 183, 13 („prae" pro „praeter"); etiam p. 85, 4 („inde" pro „indigno") et sine dubio p. 98, 16 („se" pro „sedem") et p. 163, 10 („inter" pro „intercedat"). Quod ex Fickerti coniectura „in uoluptatem saeuiunt" scripsi, de eo conferri uelim Madvigii Opuscul. I, 167—69; similiter praepositione „in" Seneca saepe utitur, ut id significet, ad quod peruenire quodue efficere conamur, uelut de benefic. V, 21, 3: „in quorum pudorem nihil superest"; epist. 63, 10: „parum ualent

in solatium"; 65, 6: „laborauit in nomen"; ad Heluiam 18, 2; ad Polyb. 14, 5, alibi: „in hoc".

Cap. 12, 3 sic interpunxi: „Interim, hoc quod dicebam, clementia efficit, ut magnum inter regem tyrannumque discrimen sit"; nam „hoc" non obiecti loco ad uerbum „efficit" pertinet nec sententia ab „ut" incipiente explicatur, sed tota sententia „hoc quod dicebam" appositionis loco parenthetice toti periodo adiungitur, quo modo saepissime sententia ab „id quod" incipiens interponitur (cfr. Schelleri lex. Lat. p. 5351); et fieri potest, ut superiores editores idem senserint, sed non satis aperte rem interpunctione significauerunt. Cfr. supra de benef. lib. IV, 39, 2. — Deinde uerba, quae sunt: „uterque licet non minus *altero* armis ualletur" (nam sic Wesenbergius uerissime, ut uidetur, conruptam codicis scripturam emendauit), a praecedenti sententia diuelli, quacum ab editoribus coniungi parum recte solebant; nam illa sententia in uerbis „discrimen sit" recte desinit, haec autem uerba necessario cum sequentibus iungenda sunt, quae iis contraria ponuntur, idque particula „sed" satis ostendit, pro qua, si uulgata interpunctio uera esset, „nam" potius scribendum erat. Ceterum in nostra quoque interpunctione aliquis forsitan offendatur, quod particula „sed" interponitur, quae sane abesse poterat; uerum „licet" hoc loco non plane uerbi uim amisit, sed idem significat quod: „concedimus, fieri posse", eoque particula tolerabilis fit. Non plane eodem sed tamen simili modo post „licet" aduersatiua particula ponitur apud Horat. carm. III, 27, 13—17; et cum fere „tamen" aut „certe" sequatur, tamen apud Ciceronem ad famil. XIII, 27, 1 „sed tamen", apud iuris consultos posterioris aetatis (cfr. Freundii lex. Lat. s. u. „licet" II *β*) „at tamen" inuenitur. — § 5 scripsi: „Sic feras *linea* et pinnae clusas continea*nt*, *ea*sdem a tergo eques telis incessat: temptabunt fugam cet."; nam et singularis numerus uerbi „linea", quem iam N m. pr. conrectione effecit, uerior est, id quod locus, qui est de ira II, 11, 5 („linea pinnis distincta"), satis demonstrat, et quod coniunctiuum concessiuum („contineant") posui, cum Haasius „continent" scripserit, et necesse est etiam in priore sententia hic modus uerbi sit, et sic mendosae codicis scripturae origo statim adparet. Uiolentas superiorum editorum mutationes omitto, praesertim cum in nostra scriptura omnia plana sint;

quod autem Cornelissen „elusas“ pro „clusas“ scribendum coniecit, id ut refellam non opus esse credo.

Cap. 13, 2 quod ex codd. uulgo editur: „ministros, quibus in tormentis et eculeo et ferramentis ad mortem paratis utitur“, aliquantulum eo offendit, quod nomen generale („tormentis“) cum nominibus specialibus copulatiua coniunctione iungitur; nec tamen scripturam mutarem, nisi sequens sententia: „quibus non aliter quam bestiis homines obiectat“ ostenderet Senecam sine dubio sic scripsisse: „quibus in tormentis *ut* eculeo et ferramentis . . utitur“. Scilicet ut in secunda sententia tyrannus satellites suos ferarum paene loco habere dicitur, quas in homines inmittat, sic in priore Seneca eum fere ut instrumentis tormentorum, non multo aliter quam eculeo et similibus, illis uti dicit. — §4 in N scriptura: „adprobar& imperia sua ciuibus cupiens“ latere suspicatus sum, quod scripsi: „adprobare *et* (= etiam) imperia sua . . cupiens“; nam ceteras eius actiones, quas ex bono mitique animo profectas esse statim adparet, omnes ciues facile probabunt, sed imperia seuera, quibus aliquando uti cogitur, erunt fortasse qui inprobent; quare id agit, ut etiam haec ciues probent.

Cap. 14, 2 etiam N hoc habet, quod superiores ediderunt: „Cetera enim cognomina honori data sunt: Magnos et Felices et Augustos diximus . . . illis hoc tribuentes“; Haasius solus tria uerba postrema delenda censuit, quae plane necessaria sunt, ut sententia efficiatur. Scilicet pronomine „hoc“ demonstrantur uerba initio posita: „Cetera cognomina honori data sunt“ uel proprie uox „honor“, significaturque nos, quod quibusdam principibus ea cognomina dederimus, quae deinde ponuntur, hoc ideo fecisse, ut illis hoc modo honorem (nec aliud quidquam) tribueremus. Ceterum notandum est pronomen „illis“ non ad „Magnos et Felices et Augustos“ referri sed ad obiectum uerbi „diximus“ (i. e. Pompeios, Sullas, Octauianos), quod omissum est; sicut statim post uerbi „sciret“ subiectum non est „Pater Patriae“ sed is, cui hoc cognomen datum est.

Cap. 16, 1 Haasius sic interpunxerat: „Nemo regi tam uilis sit, ut illum perire non sentiat, qualiscumque pars imperii est“; sed in hac scriptura post „uilis“ postrema sententia, quae nihil aliud significat, quam quod illo adiectiuo iam significatum est,

male abundat. Recte superiores hanc sententiam a praecedentibus diuellerant, ut quae causam antecedentis praecepti contineret; quos et ipse secutus sum, nisi quod, ut sententia melius adpareret, uerbum „*est*", quod facile excidere potuit, addidi. Scribendum igitur erat: „Nemo .. sentiat: qualiscumque *est*, pars imperii est". — § 5 retinui, quod in N est: „idem facit ille uenator, quique instituit cet."; uulgo pronomen „ille" omittunt, quod neminem additurum de suo fuisse certo credo, ut, si aliquid delendum esset, potius substantiuum „uenator" remouendum esset; sed scripturam receptam loco plane simili, qui est epist. 58, 25 („ille caelator"), satis defendi puto. Pronomen significat rem omnibus notam.

Cap. 17, 1 Lipsius addita una uoce scripserat: „Quid enim est stultius quam in iumentis quidem et canibus erubescere iras exercere, pessima autem condicione sub *homine* hominem esse?" Sed tamen non nisi partem ueri uidit; nam in hac scriptura ualde offendit diuersa duorum membrorum forma, quae contraria inter se ponuntur („erubescere" et „pessima condicione esse"), et posterius membrum cum sententia primaria: „Quid est stultius" parum recte coniungitur. Recta oratio fiet, si unum praeterea uocabulum addiderimus, ut fiat: sub *homine uelle* hominem esse". Deinde uerbum, quod est „morbis", recte a „medemur" pendet, sed quod etiam cum „irascimur" coniungitur, ualde mihi quidem displicet, nec fere dubitauerim, quin Seneca „*morbidis*" scripserit, quod utrique uerbo apte adiungitur. — § 2, ubi Haasius rursus delendo grassatus est, superiores scripserant: „Mali medici est desperare, ne cures" (i. e., ut curandi labore libereris), et haec scriptura etiam N testimonio firmatur; ego ut hanc sententiam ueram esse credo, ita sermonis Latini consuetudinem postulare arbitror, ut in sententia finali post infinitiuum tertia persona uerbi ponatur (cfr. Maduigii gr. Lat. § 388 n. 2), ideoque ex edd. antq. et non nullis codd. dett. „ne *curet*" scripsi.

Cap. 18, 1 in N est: „Et in mancipio cogitandum est ... quantum tibi permittat aequi bonique natura, quae parcere etiam captiuis et praetio paratis iubet quanto iustius iubet quanto iustius hominibus liberis, ingenuis, honestis non ut mancipiis abuti sed his quos gratu ante cedat cet.". Praeter minora menda hic locus maxime eo conruptus est, quod uerba quaedam („iubet quanto

iustius") librarius bis scripsit, sicut saepius in hoc codice factum esse iam dixi; sed his uerbis deletis et minoribus uitiis facillimis conrectionibus remotis uera scriptura, ut mihi quidem uidetur, statim efficitur, modo recte interpungatur, quod sic fit: „quantum tibi permittat aequi bonique natura, quae parcere etiam captiuis et pretio paratis iubet (quanto iustius hominibus liberis, ingenuis, honestis!), non ut mancipiis abuti sed *ut* iis, quos gradu antecedas cet.". Uerba, quae sunt: „quanto iustius hominibus .. honestis!" (scil. aequi bonique natura parcere iubet) Seneca parenthetice ceteris interposuit, id quod recte factum est; de his enim hominibus honestis hic non proprie agitur, sed de seruorum tractatione tota disputatio est. Post hanc parenthesin ad seruos rursus redit et sic pergit: „(aequi bonique natura iubet seruis, qui aut captiui sunt aut pretio parati,) non ut mancipiis abuti sed ut iis, quos gradu antecedas". Hic illa „non ut mancipiis abuti" recte dicuntur; nam seruus durissimo nomine mancipium uocatur, et hoc nomen seruum eum esse significat, in quem ut in ceteras res, quae mancipi esse dicuntur, domino omnia liceant. Igitur apud hoc substantiuum uerbum „abuti" recte locum habet, ut duram tractationem significet; quod autem eadem significatione ad alterum ablatiuum („sed ut iis") intellegi non potest, primum Seneca aliter loqui non potuit, si unum tantum uerbum positurus erat, deinde prorsus eodem modo in simili re locutus est epist. 47, 5, ubi est: „(seruis) re tamquam hominibus quidem sed tamquam iumentis abutimur"; denique hoc eo facilius fieri potuit, quod „abuti", sicut satis notum est, non semper mali uel duri usus significationem habet. Superiorum editorum scripturam Hauptius falsam esse ostendit et pluribus etiam argumentis idem ostendere poteram, sed necessarium non est; ipsius Hauptii conrectio uiolentior est, quam ut uera esse possit; nec enim illa sola uerba delet, quae a librario male iterata esse adparet, sed etiam haec omnia: „non ut mancipiis abuti sed his", quae quis fingere potuerit nemo dixerit.

Cap. 19, 8 ab his uerbis male conruptis incipit: „oneillo cui contingit sibi quoque uiuere debeat in hoc adsiduis bonitatis argumentis probauit non remp. suam esse sed se reip.". Quod ante Haasium ex Erasmi coniectura edebatur: „Omne, quod illi contingit, sibi quoque euenire deputet? In hoc cet.", quamuis

ad sensum non absonum sit, tamen et a codicis litteris longe discedit et, quod ad orationis formam pertinet, prauissimum est; nam debuit dici: „Omnes, quidquid illi contingit, sibi quoque euenire deputare". Quare Fickertus merito hanc scripturam inprobauit, Haasius autem codicis litteras adposito lacunae signo retinuit. Sed lacunam hic esse uix crediderim, cum nulla manifesta defectus indicia inuenire possim nec indicare, quid excidisse ueri simile sit; contra fere certam eam coniecturam esse putauerim, quam in margine posui, quamquam etiam hoc modo intra breue uerborum spatium non pauca mutantur. Certe ad sententiam aptum esse arbitror, quod Senecam, postquam ciuium animum suis uerbis declarauit, ipsos loquentes induxisse ratus sum et adfectum suum his uerbis promentes: „O! ne *illi quid contingat!* sibi quoque (non nobis solum) uiuere *debet!* in hoc (i. e.: ut hoc ei optaremus) adsiduis . . . rei publicae". Non raro Senecam directam eiusmodi orationem non adiecto uerbo „inquit" suis uerbis interposuisse supra ad lib. de benef. II, 17, 1 dixi exemplaque adtuli (p. 206 ima). „Contingat" h. l. *εὐφημιστικῶς* positum erit eodem modo, quo uerbum „accidit" poni uulgo notum est; non pauca huius usus exempla Freundius in lex. Lat. s. u. „contingo" II B 3 adtulit. — § 9 quod in cod. N et edd. est: „Hoc adfectare, hoc imitari decet, maximum ita haberi, ut optimus simul habeare", uerum esse nullo modo potest; neque enim „imitari" et „adfectare", quae ex aequo ponuntur, eiusdem aut similis notionis sunt, nec, cum pronomen „hoc" sequentia uerba demonstret („maximum ita haberi"), propter haec uerba „imitari" aptum uocabulum est, ut a quo eiusmodi infinitiuus pendere non possit. Requiritur uerbum, quod studium uoluntatemque significet; itaque pro „imitari" scripsi „*aemulari*", quod et fere similibus ductibus („emulari") scribitur et ad sensum aptum est et apud Tac. hist. II, 62 extr. eadem significatione positum infinitiuum regit.

Cap. 20, 2 N uerba recte interpungendo Maduigius ueram sententiam effecisse uidetur: „Superuacuum est hoc loco admonere, . . . ut innocentiae faueat et, ut adpareat, non minorem agi rem periclitantis quam iudicis sciat". Sententia, quae est: „ut adpareat" (scil. innocentia), a sequentibus uerbis: „non minorem agi rem periclitantis quam iudicis" pendet, quae idem

significant, ac si dictum esset: „non minus periclitantis quam iudicis interesse". Fickerti Haasiique scripturam („ut innocentiae faueat et ut adpareat, ut non minorem .. sciat"), in qua particula „ut" ante „non minorem" contra optimi codicis auctoritatem additur, non intellego, nisi forte „adpareat" idem significare putauerunt quod „adsit, praesto sit", sicut Lipsius credidit; sed tum cum Lipsio „ut" ante „adpareat" delendum erat. Lipsii scriptura sine dubio falsa est; neque enim hoc modo uerbum „adpareat" enarrare licere credo; et, sicut iam dixi, ex N uerbis etiam non mutatis (nisi quod pusillum mendum remouendum est in his: „non minore magis rem") optima sententia efficitur. Ceterum hoc loco notandus est inuersus, ut nobis uidetur, eorum membrorum ordo, quae conparantur; nam Senecam potius sic dixisse uellemus: „non minorem agi rem iudicis quam periclitantis". De hac orationis forma apud Senecam frequentissima multis uerbis disputaui Stud. crit. p. 62 sq. magnumque exemplorum numerum adtuli; postea alia inueni, quae hic addere libet. Eadem igitur membrorum inuersio apud „tam-quam" inuenitur de benef. VI, 38, 5; epist. 76, 26; 84, 11; 90, 42; Cic. ad Attic. I, 18, 3 s. f.; apud „aeque-quam" de benef. VI, 40, 1; quaest. nat. II, 24, 1; apud „idem-qui" quaest. nat. VII, 25, 6; apud „tantum (tantundem)-quantum" de benef. VII, 19, 6; epist. 92, 19; apud „non minus-quam" de benef. II, 17, 2; epist. 90, 40; 102, 30; apud „non magis-quam" de benef. VII, 12, 2; epist. 74, 30; apud „ut-ita" Plin. epist. IX, 33, 3.

Cap. 21, 2 sic interpunxi: „Uti itaque animose debet tanto munere deorum dandi auferendique uitam potens. In iis praesertim .. hoc arbitrium adeptus cet."; nam ita demum, si uerba „in iis praesertim cet." cum participio „adeptus" arte iunguntur, particula „praesertim" recte ponitur, ut „praesertim adeptus" idem significet quod „praesertim si adeptus est"; sin autem, ut fit apud ceteros editores, haec uerba cum praecedentibus („Uti itaque animose debet cet.") coniunguntur, non „praesertim" sed „maxime" dicendum erat. Igitur primum uniuerse praecipitur, quo modo dandi auferendique uitam potestate rex uti debeat, ita ut de iis maxime cogitetur, in quibus haec potestas regis propria est, qui sunt ciues eius; deinde exponitur, cur hac potestate, si

etiam in iis eam adeptus est, in quibus hoc arbitrium habere non solet, animose utendum ei sit. — § 4 uulgo editur: „Cum ciuibus ... eo moderatius agendum est, quo minoris est adflixisse eos"; sed quid genetiuus pretii hic agat, non uideo, et aeque facile ex N scriptura „minores" geminata *r* littera efficitur, quod ego edidi, quodque aptiorem sententiam praebere arbitror: „quo *minor res* (i. e., minoris momenti res) est adflixisse eos". Sic substantiuum „res" cum adiectiuo iunctum non raro pro neutro genere solius adiectiui ponitur; cfr. u. c. de uit. beat. 20, 2. — Paulo post de praepositione „ab" addita conferantur, quae supra ad lib. de benef. I, 11, 4 dicta sunt. Sed in his ipsis uerbis: „ab animalibus paruis et opterentem inquinantibus" mendum inesse puto; nam adiectiuum „prauis" nec per se quidquam contempti significat, id quod h. l. significandum esse adparet, nec apte cum „inquinantibus" iungitur. Suspicor Senecam „*spurcis*" scripsisse et ex hoc post „animalibus" littera *s* semel scripta „purcis" factum esse, deinde „paruis" conrectione ortum.

Cap. 22, 3, ubi in N scribitur: „Constituit bonos mores ciuitati princeps et uitia eius si patiens eorum est", Gronouius et Maduigius uerissime iudicauerunt in pronomine „eius" uerbum aliquod latere, sed ea, quae proposuerunt („eruit, eicit, euincit") aut parum apta aut a uestigiis uerae scripturae longius remota mihi uidentur; praestat, opinor, „*eluit*" scribere, quo uerbo similiter usus est Quintilianus II, 3, 2; cfr. etiam Senec. epist. 59, 9, similiaque in lexicis inueniuntur.

Cap. 24, 1 difficile dictu est quomodo conrupta N scriptura emendanda sit. Fickertus Haasiusque scripserunt: „Dicta est aliquando *a* senatu sententia", quod si modo omnino Latine dici potuit, nihil aliud significare posse uidetur quam re uera senatus consultum de hac re factum esse, deinde, cum de eius sententia edictum propositum esset, periculum adparuisse; sed uereor, ut hoc loquendi genus rectum sit, et Senecam, si hoc significare uoluisset, sic dicturum fuisse certo arbitror: „Edictum est aliquando de senatus sententia". Gronouius autem (Muretum secutus) scripsit: „Dicta est aliquando *in* senatu sententia", quod significat aliquem senatorem hanc sententiam dixisse, deinde alium conputatione facta effecisse, ut adpareret, quam periculosum

esset in eam sententiam senatus consultum fieri, ideoque hoc factum non esse. Quid re uera factum sit, nescimus, cum res non aliunde nota sit; sed conrectionem Gronouii praetuli, cum et rectum loquendi genus haberet et ueri similius mihi uideretur rem hoc modo se habere.

Cap. 25, 1 ferri posse puto, quod scribitur: „Crudelitas minime humanum malum est indignumque tam miti animo"; sed tamen nescio quo modo offendor, quod „homo" his uerbis: „miti animo" significatur, et sequentia uerba, in quibus homo crudelis cum feris bestiis conparatur, eo me perducunt, ut Senecam sic scripsisse fere certo credam: „indignumque tam miti *animali*", quod longe aptius mihi uidetur. Hic uocabuli, quod est „animal", usus, ubi de homine agitur, satis notus est; cfr. supra cap. 3,2; 17,1; de benef. VII, 1,7; epist. 41, 8; 92,9 et 12; cons. ad Marc. 11,4, alibi. — Extremorum huius paragraphi uerborum ut sententia perspicua est, ita emendatio incerta. Haasius scripsit: „clementiam *uoca*, *ubi* ad occ. hominem.. eligitur"; sed quamuis hoc sententiae satis facere uideatur nec multum a codicis scriptura discedat, tamen de imperatiuo ualde dubito, pro quo potius „uocabimus" expectabam. Potius Erasmum sequar scribentem: „clementia uocatur, *si* ... eligitur", nisi quod cum Gronouio „uocetur" scripserim. Quod autem Gronouius et alii „eligitur" abiecerunt, haec conrigendi ratio prorsus inprobanda est. Ut ego quoque harioler, sic scriptum fuisse crediderim: „.. satietur, clementiam *uocaturi*, *si* ... *eligetur*". — § 2 uulgo editur: „Hoc est, quare uel maxime abominanda sit saeuitia, quod ... noua supplicia conquirit, ingenium aduocat, instrumenta excogitat, per quae uarietur .. dolor". Sed quod dicitur: „ingenium aduocat", haec sententia manifesto manca est; addendum enim necessario erat, quo consilio et in quem usum ingenium aduocaretur. Uiam emendandi ostendit, quod in N scribitur: „excogit &" male diuisis eiusdem uocis („excogitet") litteris; ut hic coniunctiuus explicetur, necesse est, particulam „*ut*" post „aduocat" omissam reuocemus, ut haec sententia: „ut instrumenta excogitet, per quae uarietur .. dolor" a uerbis „ingenium aduocat" pendeat; sic oratio recte procedit. — § 3 initio pessime conrupta N scriptura est: „Naturalem uirum a tergo sequitur aeuersio odiae uenena gladii". Quod ex primo uerbo

uulgo „*Nam talem*“ faciunt, id manifesto prauum est, cum causalis conexio hinc plane aliena sit; ego „*Matura talem*“ scripsi, quod et facili conrectione efficitur et ad sententiam satis aptum est; nam quod aliquis forsitan „*Naturā talem*“ potius latere suspicari possit, nescio an „natura“ non recte sic dicatur, nec eiusmodi locis, qualis est de benef. V, 8, 1, hunc usum defendi puto. Sed aliud mendum in N uerbis „aeuersio odiae“ superest, quod quomodo remouendum sit ualde incertum est. In „aeuersio“ uulgo „*euersio*“ latere putant, in „odiae“ autem „*odia*“; et prius quidem uerum esse credo; sin ita est, alterum manifesto prauum est, cum „odia“ longe grauiori uoci „euersio“ peruersissime superponatur; quod autem Wesenbergius in priore uocabulo potius „*auersatio*“ latere suspicatus est, certe hoc modo climax loco inesse uidetur, sed „auersatio“ et per se parum forte est, et maxime offendit in uno substantiuo numerus singularis. Quare equidem primam huius sententiae partem ita recte emendari arbitror, ut scribatur: „*Matura talem* uirum a tergo sequitur *euersio*“; et cum p. 19, 2 h. ed. „odiae“ pro „hodie“ scriptum inueniatur, dubito, an hoc lateat: „.. euersio, *hodie* uenena, *cras* gladii“. Sententiae hoc satis facere neminem negaturum puto; quod autem in aduerbiis „hodie — cras“ nouicium aliquod loquendi genus inesse aliquis forsitan dixerit, et Horatius epist. I, 16, 33 et Iuuenalis sat. 3, 23 non dissimili modo locuti sunt.

Cap. 26, 1 N rectissimum uerborum ordinem exhibet: „Crudelitatem priuatorum quoque seruiles (uulgo: seruiles quoque) manus .. ultae sunt“; adparet enim priuatorum crudelitatem, quae paucos adfligat, contrariam poni tyrannorum, quae latius pateat, ut eius uindicandae multo maior causa sit. — Paulo post solito loquendi genere illud quidem dictum est, quod Muretus scripsit: „non diu *paret* nequitia“, et cum in N sit: „non diu nequitia apparer&“, eo facilior fit conrectio, ita ut scribatur: „non diu nequitia *paret*“; sed cum etiam alibi, uelut Uergil. Aeneid. XII, 850; Claud. Quadrig. ap. Gell. II, 2, 13 „adparere“ non addito datiuo eadem significatione ponatur, „adparet“ hic quoque retineri posse censui.—§ 4 postquam in N „serpit“, non „serpere“, scribi conpertum est, satis elucet superiores editores hunc locum non recte scripsisse; ceterum meam conrectionem („quo plus se exercitat, *eo incitatior*“) et facilem esse et sententiam optimam efficere omnes

concessuros esse credo, ut ad eam commendandam non multis uerbis opus sit.

§ 9. De clementia lib. II.

Cap. 1, 2 fuerunt qui uulgatam scripturam, quae etiam N testimonio firmatur, inpugnarent, cum in his: „Animaduersurus in latrones duos Burrus .. exigebat a te, scriberes, in quos et ex qua causa animaduerti uelles" aut haec uerba: „in latrones duos" aut haec: „in quos" parum recte habere iudicarent. Postrema uerba cum in uno cod. det. omitterentur, Fickertus ea fere suspecta esse dixit, ut et haec et particulam copulatiuam, quae sequitur, remoueri uoluisse uideatur; Maduigium haec quidem retinenda esse sed paulo ante „in latrones *quosdam*" scribendum censuisse scio; Ruhkopfius „in latrones *ductos*" inepte coniecit. Uerum meo quidem iudicio scriptura codicis uerissima est; nam si his uerbis: „in quos" significaretur Neronem inter latrones dilectum facere a Burro iussum esse, certe praua essent, cum „inter duos" praecedat; nunc uero sine dubio non hoc significant, sed Burrum a Nerone postulasse, ut in charta duorum illorum latronum nomina scriberet addita causa, cur supplicium de iis sumi uellet, et hoc modo omnia recte habent.

Cap. 5, 3 in N est: „Quod si est, quidni haec scientia, quae dediscere humanitatem iubet", quam scripturam Maduigius ita emendare conatus est, ut scriberet: „quidni haec *sit sententia*, quae .. iubet". Sed uocabulum „sententia" parum rectum mihi uidetur; neque enim tam de una illa Stoicorum sententia hic agitur quam de toto huius sectae ingenio, id quod satis ostendunt uerba, quae paulo post leguntur: „Sed nulla secta benignior leniorque est cet.". Quare potius sic scribendum esse putaui: „quidni haec *sit sapientia*, quae .. iubet", id est: confitendum est Stoicorum sapientiam hanc esse, quae ded. hum. iubet (hanc uim habere, ut ded. hum. iubeat). De indicatiuo „iubet" Maduigii nota conferenda est. — Paulo post Lipsii coniecturam, quam Maduigius merito commendauit, paululum mutaui, ut scriberetur: „portum .. *mutui auxilii occludit*"; nam sic melius intellegitur, quomodo id oriri potuerit, quod in N est: „mutuo auxilio cludit".

Cap. 6, 3 N habet: „Etiam ad calamitosos pro portione inprobandosque et emendandos bonitatem suam permittet; adflictis

uero et fortis laborantibus multo libentius subueniet". Hanc scripturam Maduigius grauiter uituperauit multisque uitiis sententiae refertam esse dixit, locumque uiolenter sane ita conrigere conatus est, ut remota uoce „calamitosos" scriberet: „Etiam pro portione ad inprobandos et emendandos bonitatem suam permittet; adflictis uero et sortis laborantis multo libentius subueniet". Sed primum quod „calamitosos" interpolatori deberi putat, eiusmodi interpolationis, ut iam dixi, in hoc codice nullum uestigium est; deinde haec scriptura id praui habet, quod „inprobandi" et „adflicti" nullo modo recte inter se contrarii ponuntur. Uirum egregium in eo errasse puto, quod uerba: „ad calamitosos inprobandos (— nam sic scripsit, cum in N „inprobandosque" esse nesciret —) et emendandos bonitatem suam permittet" ita iunxit, quasi significarent: „ut calamitosos inprobet et emendet"; quod si recte fieret, sine dubio locus sensu cassus esset; sed „calamitosos" pro substantiuo positum esse, cui adtributorum loco duo gerundiui („inprobandosque et emendandos"; de particulis „que — et" fere similiter usurpatis cfr. cons. ad Marc. 3, 4) adiuncti sint, mihi persuasum est, ita ut sententia haec sit: „etiam ad id calamitosorum hominum genus, qui inprobandi et emendandi sunt, ita ut sapientis bonitate indigni uideantur, bonitatem suam permittet". Calamitosis omnibus subueniet sapiens, nec aliis eius auxilio opus est; sed calamitosorum duo genera sunt, alterum eorum, quos Seneca „calamitosos inprobandosque et emendandos" uocat, alterum eorum, qui postremis uerbis: „adflictis et † fortis laborantibus" significantur; priores sapiens, quamuis auxilio non plane digni sint, quippe qui non sine sua culpa miseri sint, tamen ob id ipsum, quia calamitate premuntur, adiuuabit, saltem pro portione; alterum miserorum genus, quos necesse est Seneca non sua sed fortunae culpa calamitosos esse dixerit, utique et multo libentius adiuuabit; nam sapiens, „quotiens poterit, fortunae intercedet", sicut paulo post dicitur. Uerborum ordo offendere potest, cum „pro portione" potius apud „permittet" ponendum esset nec uerbis arte cohaerentibus interponendum; sed apud Senecam, qui saepe liberius in hac re uersatus est et uerba contortius ordinauit, ob hoc scripturam damnare non ausim. Sic de prouid. 4, 10: „in uanas mentes imagines euocat" obiectum „mentes" interponitur substantiuo et adiectiuo, quod ei adiungi-

tur; cfr. etiam de uit. beat. 26, 8. Quid in conrupto uerbo „fortis“ lateat, nescio, sed Haasii coniectura: „*sortis culpa*“ (uel: „*sortis uitio*) sententiae satis facit; scilicet „sortis uitio“ tam cum „adflictis“ quam cum „laborantibus“ iungendum est, de quo uerborum ordine Stud. crit. p. 31 dixi, ubi addi possunt haec exempla: de benef. VI, 4, 6 („iactare et acerbum munus suum facere“); quaest. nat. VI, 32, 8 („aut terra aut infra se mare inclusit“).

Cap. 7, 1 pessime conrupta N scriptura est: „At quare non ignoscet? uacuã constituamus nunc quoque, quid sid ueniã“ quem locum superiores editores infelicissime tractauerunt. Certum fere est Senecam illa uerba respicere, quae supra 5, 2 posita sunt: „obicitur illi (i. e. Stoicorum sectae), quod sapientem negat misereri, negat ignoscere“; prius enim inde a cap. 4, 4 tractauit, quid esset m i s e r e r i et m i s e r i c o r d i a, qua de re incertae et falsae hominum opiniones sunt, qui sapientem misericordem esse et misereri debere putant, id quod Seneca ita refellit, ut misericordiae uim et naturam declaret et inde concludat sapientem merito non misereri sed id facere, quod longe melius sit. Hac disputatione finita iam ad alterum transit, quod significatur his uerbis: „At quare non ignoscet“, et hoc tractare incipit, quid sit *i g n o s c e r e* et u e n i a, de qua re item falso iudicant homines; itaque ueniae ui et natura declarata ostendit dari illam a sapiente non debere. Quare cum haec apertissime huius loci sententia esset, sic scribendum esse arbitratus sum: „At quare non ignoscet? — *Uagam rem* (i. e. incertam et cuius nomen circa alias res uagatur, quae plane diuersi generis sunt; cfr. quaest. nat. I, 3, 14; *alia* exempla in lexicis ponuntur) constituamus nunc quoque (sicut olim constituimus, quid esset misericordia), quid sit uenia, et sciemus cet.“. Haec conrectio nec a codicis uestigiis longe discedit et sententiam, ut mihi quidem uidetur, aptam praebet. — Paulo post significaui Senecam omnia, quae inde ab his uerbis: „Ei ignoscitur, qui puniri debuit“ usque ad § 4 leguntur, aliorum uerbis dicere; nam uerba, quae § 4 initio leguntur, clarissime ostendunt Senecam hinc demum suum iudicium proferre. — § 3 olim edebatur: „quem iudicas puniendum“, in quibus indicatiuus prauus est; sed N litteras “iud“ ostendit, quae alibi, uelut p. 134, 23 h. ed., substantiuum „iudices“ significant, hoc autem loco a librario inperito pro coniunctiuo „*iudices*“ positae sunt.

CONRIGENDA.

p.	1	*u.*	13	*not.*	*scribd.*	: deqoq; reuera N[2]
p.	10	*u.*	19	*not.*	*add.*	: cella *Cornelissen*
p.	11	*u.*	13	*not.*	*scribd.*	: *cum nonnullis* D
p.	17	*u.*	8	*text.*	*scribd.*	: omni modo, ne
p.	24	*u.*	29	*not.*	*scribd.*	: amantibus N
p.	50	*u.*	28	*text.*	*scribd.*	: mercennarius
p.	76	*u.*	18	*text.*	*scribd.*	: „At multa
ibd.		*u.*	20	*text.*	*scribd.*	: prosequitur.“
p.	88	*u.*	5	*not.*	*scribd.*	: 5 quo lacessat N quod lacessat *ug.*
p.	91	*u.*	28	*not.*	*scribd.*	: his N
p.	103	*u.*	33	*text.*	*scribd.*	: „Quia et, si
p.	106	*u.*	16	*text.*	*scribd.*	: referre; qui
p.	117	*u.*	11	*text.*	*scribd.*	: tam iniquus
p.	119	*u.*	9	*text.*	*scribd.*	: suspendit!
p.	121	*u.*	1	*text.*	*scribd.*	: „ergo, si
p.	150	*u.*	20	*not.*	*scribd.*	: exagitat, abscindit nihilo N[2] *ut ug.*
p.	163	*u.*	24	*text.*	*scribd.*	: praeter me“?
p.	204	*u.*	4	*a. i.*	*scribd.*	: ampliora honestioraque.

INDEX

ADNOTATIONUM CRITICARUM.

Ab de causa 207.
ablatiui duo diuersae significationis uni uerbo adiuncti 230.
abuti 275.
accusatiuus auditur ex nominatiuo 195.
accusatiuus et nominatiuus apud *unde?* 217.
adaugescere 204.
aemulari 276.
agere = efficere 242; *agere se* 207; *ante* (*se*) *agere* 213.
Aglaie 194.
altercatio dialogi mediae disputationi interposita 238. 240 (206); eadem obscurius significata 259.
an pro *utrum* — *an* 239.
animal homo uocatur 279.
Annius Pollio 226.
ἀποστροφή 236.
arma satiata 237.
asyndeton 224. 249.
aut 263.
autem = enim 232.

Bellissimus sanguis 223.
breuiloquentiae genus quoddam 203. 227. 257.
breuitas in conparando 222

Carptim 243.
causa non ponitur ante genetiuum 216.
cedo, si 269.
certa credita pecunia 210.
chiasmus quidam sententiarum 211.
chirographum dare 208.
Ciceronis epist. ad Att. IX, 9, 4 explicatur 221.
codices deteriores et editiones licentius a cod. N digrediuntur 194. 204. 231.
codicis N praestantia 205. 215 sqq. 225 sq. 229. 234. 236. 241. 243. 245. 257. 260. 261. 280; nulla interpolatio 258. 270. 273. 282; codex ualde conruptus in extremis libris 265. 266. 270 sqq. 275. 278 sqq.; uerba in eo male iterata 259 sq. 270. 274; uocabula detruncata 271; menda ex conpendiis scripturae orta 199. 242. 261. 265. 267; ex conrectionibus in margine archetypi 212. 233; lacunae 192. 195. 198. 207. 208. 209. 219. 223. 225 et saepius.
condicto 196.
confusio rei et imaginis 243.
coniunctiuus uerbi omissus 230.
contingit εὐφημιστικῶς positum 276.
contrarium neutri generis masculino subiungitur 224.

Damnare alicui aliquid 245.

datiui liberior usus 246. 266.
datiuus apud passiua 218.
debere = obligatum esse 192.
deinde particulae singularis usus 210
denotare 226.
densae legiones 266.
differt pro *defert* scriptum et similia 200.
differt 261.
distringere inter multa 249.
duo, inter duos 256.

Ectypa 213.
eluere uitia 278.
enim in interrogando 221; *enim* omissum 227.
esse in aliquid Seneca non dixit 248. 251.
est excidit 200. 211. 261. 274.
et apud futura post imperatiuum 233.
et confunditur cum *in* 193; cum *sed* 194. 226; cum *ut* 222. 273; cum *et* 258. 259.

Fallere beneficium 234.

Genetiuus qualitatis 194.
gerundiuus non recte positus 229.
gustus 264.

Hic et *huic* confusa 258.
hilaris 194.
hoc et illo 232.
hoc quod, id quod, illud quod 229. 272.

Ille superuacaneum 274.
imperare medico aegri dicuntur 247.
in consilium significat 271.
incidere memoriam animis 195.
indicatiuus pro coniunctiuo in sententiis condicionalibus 193.
infantia beneficia 203.
infinitiui *esse* et *fuisse* apud praedicatum omissi 224. 270.
ingratum pro substantiuo ponitur 198.
inquit interponitur aut omittitur 206. 225. 238. sqq. 276.
interpunctio 202. 205. 210. 223. 226. 243. 246. 276. 277 et saepius.
inultus 253.
ita est, ita dico 201.
itaque et *utique* confusa 230.
ius 237.

Lassae res 249.
Liber pater cur dictus sit 218.
licet 224. 272.
linea et pinnae 272.

Mansuefactio? 265.
merere 222.
mitior uita 225.
mobilis tudates 264.

Ne (nae) 200.
ni pro *nisi* scriptum 271.
nihilo minus 208.
non pro *ne* praue positum 254.

Obirasci 242.
oratio obliqua in rectam transiens 202.
ordo uerborum contortior 282 sq.

Parere et *adparere* 280.
Perusianus? 270.
perdere beneficium 198. 242.
pilus 231.
posse aliquid 269.
praemium et *pretium* confusa 246.
praepositio omissa a librariis in uerbis conpositis 197.
praepositio omissa a scriptoribus apud secundum membrum conparationis 199.
pronomen relatiuum omissum a librariis 215. 245.
pronomen relatiuum post aduerbia localia 255.
pronomen relatiuum ubi et poni et omitti possit 228.

propterea et *praeterea* inter se permutata 241. 246.

Quamuis cum indicatiuo 201.
que-et 282.
quia pro *nam* 231; *non quia* cum indicatiuo 244.
quid ergo parum recte positum 247.
quid tua (?) refert 216.
quoi 218. 228.
quoniam quidem 262.
quoto anno 221.

Ratio 210.
reddere gratiam recte ne dicatur 209.
res minor = minus 278.
reus 237.

Sed pro *tamen* 272.
si falso additur 198. 224. 257; *si* pro *nisi* scriptum 260.
sidus = sol 242.
spurcus 278.
strictus 229.
subiectum in alterum membrum retractum 264.

Tam — *quam* et similia in comparationibus inuerso membrorum ordine 277.
tamquam 198.
tamquam qui 208.
tanti pro *tantidem* positum uidetur 213.
tanti existimo, iudico 251.
terminatio passiui omissa in cod. N 214 (193.)
Tiberii Caesaris commentarii citantur 202.
trahere frontem 245.

Uagus 283.
uellere 249.
uerba transponuntur 211. 213. 214. 220. 226. 230. 235. 244. 257.
uerba rectius inter loquentes distribuuntur 208. 215. 227. 228. 238 sq. 240 sq. 253.
uerba interlocutoris eadem saepius deinceps ponuntur 203.
uerba sunt ista 241.
Uergilii uersus 217.
uiae theatri 266.
uideo extra constructionem orationi anteponitur aut interponitur 240.
uiduus caelibatus 197.
uitare, euitare, deuitare 200.
ultus 237.
uoluere uices 222.
uulgum accusatiuus 193.

TYPIS J. B. HIRSCHFELDII
LIPSIAE.